6806
16908/A

ad Bibliothecam
Collegii Medici.

~~Mit 1 Beiband~~

L x
18/c

~~1912. 1776~~ 16694

IO. FRIDERICI CARTHEVSER
MEDICINAE DOCTORIS
EIVSDEMQVE IN REGIA ACAD. VIADRINA
PROF. PVBL. ORDINARII

FVNDAMENTA
MATERIAE MEDICAE
TAM GENERALIS QVAM SPECIALIS

IN
VSVM ACADEMICVM
CONSCRIPTA.

PARS PRIOR.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
IMPENS. IOHANNIS CHRISTIANI KLEYB.
MDCCXLIX.

F

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

Multis procul dubio mirum videbitur, quod denuo librum, de *Pharmacorum ſimplicium natura* ac *viribus* conſcriptum, in lucem emittere auſus fuerim, nec paucos proinde, ex eorum inprimis cohorte, qui orbem literatum ſcriptis, laudatum argumentum concernentibus, hoc et præterito ſeculo, jam ſatis ditatum eſſe, opi-

nantur, laborem hunc inutilem prorſus atque ſuperfluum judicaturos prævideo. Quare, ne juſtam hi ipſi accuſationis cauſſam ſeſe inveniſſe exiſtiment, in limine protinus, uti moris eſt, non ſcopi tantum operisque ſuſcepti, ſed contrariæ pariter, quam in hoc paſſu foveo, ſententiæ rationes reddere, conſultum, immo neceſſe, duco. Credidi nempe hactenus, et adhuc firmiſſime credo, materiam medicam, etſi nulla, quod dictum, librorum penuria ſit, ad ordinem decentem, eamque, quæ deſideratur, perfectionem nondum perductam eſſe, ſed paſſim valde mancam exiſtere, et ulteriori omnino ac ſedula præ reliquis medicinæ partibus egere cultura. In libris enim quampluirimis, qui de laudata materia ſucceſſive prodierunt, numeroſa ſimplicia, diverſisſimæ indolis, di-

verſisſimi ſaporis et odoris, diverſisſimæ denique virtutis, ſecundum Alphabeticum duntaxat ordinem diſpoſita, aut confuſe ſaltem ad tria naturæ regna, minerale videlicet, vegetabile et animale, redacta, unice propemodum quoad formam externam, locum natalem, notas bonitatis, virtutes et uſum pertractata cernuntur; de vera indole autem et principiis activis, in quibus ſolida tamen virium ratio unice quærenda eſt, vel nulla omnino*, vel parum demonſtrata, aut paſſim plane falſa reperiuntur. NICOLAVS LEMERY v. g. creberrime de copioſo oleo et ſale eſſentiali loquitur, et principium utrumque

 ple-

* B. NEVMANNI *Prælectiones Chymico-pharmaceuticas* hoc loco excipiendas duco, quoniam in iis plerorumque ſimplicium examina ſpagyrica, infuſione et extractione cum ſpiritu vini et aqua ſimplici peracta, breviter recenſentur.

pleriſque regni vegetabilis ſubjectis tribuit, etiamſi in paucis ſaltem demonſtrari queat. STEPHANVS FRANCISCVS GEOFFROY, cujus *Tractatus de Materia Medica* inter præſtantiora cæteroquin ſcripta hujus cenſus collocandus eſt, nec minus PAVLVS HERMANNVS in notiſſima *Cynoſura Materiæ Medicæ* perſæpe pariter circa aſſignanda vera principia activa delinquunt, et opiniones ſuas argumentis, haud raro ab effectibus quibusdam, perperam explicatis et adplicatis, vel frequentius adhuc a violenta deſtructione, aut nova prorſus ſyncriſi deſumtis, probare nituntur: Magnam nihilominus laudem poſtremus meretur, quod primus ejusdem naturæ ſimplicia ad unam eandemque claſſem genericam redigere allaboravit, adeoque de ſtabilienda methodo, magis regulari, magisque ra-

rationali, ſollicitus fuit. Fecit circa hanc doctrinam, quod MORISONIVM quondam in ſcientia botanica, ad ſummum noſtro ævo faſtigium properante, feciſſe compertum habemus, et mihi veſtigia ejus adeo placuiſſe non diffiteor, ut ante complures pridem annos iisdem quodammodo inſiſtere, et neglectæ huic Medicinæ parti plus ſtudii conſecrare, eamque, pro modulo virium mearum, magis magisque methodicam, ac rationalem reddere decreverim. Ad obtinendum igitur hunc finem non obſervationes ſolum et experimenta aliorum, paſſim in ſcriptis communicata, laborioſe conquirere, ſed ipſe manus operi admovere, et ſimplicium ſelectiora, aliaque variis examinibus chemicis, non ſine ſumtibus memorandis, nec ſine multiplici ac diuturno labore, ſubjicere coepi, ut, exploratis explorandis,

niant. Vix enim fieri poteſt, ut plures principiorum ſcrutatores in hac parte perfecte conſentiant, quoniam ſubjecta examinanda diverſæ plerumque bonitatis ſunt, et alius præterea majorem, alius minorem, experimentis adornandis diligentiam adhibere conſuevit. Hæc pauca ſunt, quæ prænotare mihi placuit: Quod reliquum eſt, gnaros et benevolos Lectores humaniſſime rogo, ut de priori hoc tomo, quem propediem poſterior, ſi Deus vitam conceſſerit, ſequetur, amice judicent, et æquo ſuo judicio inveſtigandi deſiderium, atque ſincerum inſerviendi ſtudium augeant. Dab. Trajecti Francorum ad Viadrum, die xx. Martii MDCCXLIX.

SERIES SECTIONVM
ET
CAPITVM PARTIS PRIMÆ.

Pag.

Sectio I. *De Materia medica et Medicamentis in genere.* 1.

Cap. I. *De Differentia, ac definitione Materiæ medicæ, variisque impedimentis, notitiæ ſimplicium rationalis incrementum retardantibus.* ibid.

- - II. *De Effectibus medicamentorum, eorundemque cauſſis formalibus.* 7.

- - III. *De Nonnullis medicamentorum diviſionibus, actionem eorundem generalem plus pariter minusve concernentibus, eamque ulterius illuſtrantibus.* 18.

- - IV. *De Vaſis corporis inhalantibus et exhalantibus.* 29.

- - V. *De Medicamentis ſympatheticis et magneticis, nec minus de Amuletis.* 41.

- - VI. *De Elementis corporum chymicis, et inde naſcentibus generalioribus medicamentorum principiis activis, ceu cauſſis effectuum materialibus.* 51.

Sectio II. *De Inſipidis Terreis, et Terreo-gelatinoſis.* 95.

Cap. I. *De Natura et principiis terreorum.* ib.

Cap.

Pag.
Cap. II. *De Modo operandi et virtutibus medicis alcalino-terreorum.* 101.
- - III. *De Natura et principiis terreo-gelatinoſorum.* 110.
- - IV. *De Modo operandi et virtutibus medicis terreo-gelatinoſorum.* 115.
- - V. *De Lapidibus cancrorum, Conchis, Teſtis oſtrearum, et Putaminibus ovorum.* 122.
- - VI. *De Perlis, Matre perlarum, et Oſſe ſepiæ.* 128.
- - VII. *De Coralliis rubris et albis.* 135.
- - VIII. *De Cryſtallo montana, Lacte lunæ, Oſteocolla, et Terris ſigillatis albis.* 150.
- - IX. *De Calce viva, et inde parando Infuſo aquoſo.* 159.
- - X. *De Vngula alcis, Cranio humano, Cornu cervi, et Oſſibus de corde cervi.* 176.
- - XI. *De Ebore, Unicornu vero, Dentibus Hippopotami, Caſtoris, atque Apri, Mandibulis lucii piſcis, Lapide Carpionum et Percarum.* 182.
- - XII. *De Lapide bezoardico.* 186.

Sectio III. *De Acidis et Acidulo-dulcibus.* 197.
Cap. I. *De Natura et differentia acidorum.* ibid.
- - II. *De Modo operandi et virtutibus medicis acidulorum.* 206.

Cap.

Pag.
Cap. III. *De Natura, principiis, et virtutibus acidulo-dulcium.* 217.
- - IV. *De Acetoſella et Acetoſa.* 219.
- - V. *De Succo Citri et Limoniorum.* 221.
- - VI. *De Aceto et Tartaro vini.* 223.
- - VII. *De Sero lactis.* 231.
- - VIII. *De Tamarindis et Paſſulis minoribus.* 234.
Sectio IV. *De Salinis alcalinis, tam fixis, quam volatilibus urinoſis.* 238.
Cap. I. *De Differentia, natura, et origine ſalium alcalium fixorum.* ibid.
- - II. *De Modo operandi, atque virtutibus medicis ſalium alcalium fixorum.* 247.
- - III. *De Natura, differentia et origine ſalium alcalium volatilium.* 251.
- - IV. *De Modo operandi et virtutibus medicis alcalium volatilium.* 267.
Sectio V. *De Salinis explicitis mediæ naturæ.* 272.
Cap. I. *De Elementis, natura et differentia ſalſorum.* ibid.
- - II. *De Modo operandi et virtutibus medicis ſalium mediorum.* 277.
- - III. *De Nitro.* 286.
- - IV. *De Sale communi.* 315.
- - V. *De Sale Anglicano.* 321.
- - VI. *De Sale Carolinarum.* 326.

Pag.
Cap. VII. *De Sale amaro Sedlizenſi et Seidſchuzenſi.* 329.
- - VIII. *De Borace.* 333.
- - IX. *De Sale Ammoniaco.* 337.

Sectio VI. *De Auſteris ſtypticis.* 346.
Cap. I. *De Differentia et natura auſterorum.* ibid.
- - II. *De Modo operandi atque virtute auſterorum.* 353.
- - III. *De Radicibus Tormentillæ et Biſtortæ.* 358.
- - IV. *De Cortice ac Floribus Granatorum.* 363.
- - V. *De Terra Japonica.* 365.
- - VI. *De Vitriolo.* 368.
- - VII. *De Alumine.* 374.

Sectio VII. *De Acribus alterantibus.* 378.
Cap. I. *De Natura et differentia acrium alterantium.* ibid.
- - II. *De Modo operandi atque virtute acrium.* 385.
- - III. *De Radice Scillæ.* 392.
- - IV. *De Radice Ari.* 402.
- - V. *De Radice Pimpinellæ albæ et Pyrethri.* 405.
- - VI. *De Radice Raphani et Hellebori albi.* 410.
- - VII. *De Cochlearia, Naſturtio et Cardamindo.* 415.

Cap.

Pag.
Cap. VIII. *De Arnica.* 419.
- - IX. *De Semine Sinapi et Gummi Euphorbio.* 424.
- - X. *De Cantharidibus.* 431.

Sectio VIII. *De Dulcibus.* 438.
Cap. I. *De Natura et differentia dulcium.* ibid.
- - II. *De Modo operandi atque virtutibus dulcium.* 445.
- - III. *De Radice Polypodii et Glycyrrhizæ.* 450.
- - IV. *De Siliqua dulci et Caſsia fiſtula.* 454.
- - V. *De Paſſulis majoribus, Prunis Damaſcenis, et Sebeſtenis, Jujubis, Caricis et Dactylis.* 457.
- - VI. *De Sacharo, Manna et Melle.* 460.

Sectio IX. *De Amaris et Amaricantibus.* 468.
Cap. I. *De Differentia et natura amarorum.* ibid.
- - II. *De Modo operandi et virtutibus amarorum.* 477.
- - III. *De Radice Gentianæ rubræ, Diptamni albi et Trifolii fibrini.* 480.
- - IV. *De Herba Scordii, Abſinthii, Cardui benedicti, et Trifolii aquatici.* 485.
- - V. *De Summitatibus Centaurii minoris et Fumariæ.* 488.
- - VI. *De Semine Cardui benedicti et Cardui Mariæ.* 490.

Pag.

Sectio X. *De Acribus et Amaris Purgantibus, tam Emeticis, quam Catharticis.* 492.

Cap. I. *De Natura et differentia emeticorum et catharticorum.* ibid.

- - II. *De Modo operandi et virtutibus purgantium et emeticorum.* 502.

- - III. *De Rhabarbaro.* 513.

- - IV. *De Radice Jpecacoanha.* 522.

- - V. *De Jalappa.* 527.

- - VI. *De Mechoacanna alba et Radice Bryoniæ.* 531.

- - VII. *De Radice Hellebori nigri.* 537.

- - VIII. *De Foliis Sennæ.* 540.

- - IX. *De Agarico ſive Fungo laricis.* 545.

- - X. *De Aloe.* 550.

- - XI. *De Scammonio, et Gummi Gutta.* 554.

- - XII. *De Colocynthide.* 561.

Sectio XI. *De Vaporoſis Inebriantibus et Narcoticis.* 566.

Cap. I. *De Natura et principiis narcoticorum.* ibid.

- - II. *De Modo operandi et virtutibus vaporoſorum.* 578.

- - III. *De Herba Nicotiana, et Floribus Sambuci.* 593.

- - IV. *De Croco orientali.* 602.

- - V. *De Opio.* 607.

- - VI. *De Semine Papaveris hortenſis.* 615.

SECTIO

SECTIO I.

TRADENS

GENERALIORA TVM MATERIAM MEDICAM TVM IPSA MEDICAMENTA CONCERNENTIA.

CAPVT I.

DE

DIFFERENTIA AC DEFINITIONE MATERIAE MEDICAE, VARIISQVE IMPEDIMENTIS NOTITIAE SIMPLICIVM RATIONALIS INCREMENTVM RETARDANTIBVS.

§. I.

Scientia *pharmacorum ſimplicium*, quam vulgo MATERIAM MEDICAM vocant, apte in *Empiricam* ſeu *mere hiſtoricam*, & *Rationalem* ſeu *hiſtorico - philoſophicam* dividitur. Illa nempe, neglecta ſolida *naturæ, principiorum,*

piorum, ac *modi operandi* cognitione, ſolos *medicaminum effectus*, tumultuariæ ſaltem, et mancæ obſervationi innixos, recenſet: Hæc autem latioris ambitus eſt, et, ratione non minus, quam certa, et adcurata experientia ſuffulta, *effectuum* quoque *cauſas* tradit, adeoque, præter *nomina*, *determinationem generis*, et *ſpeciei*, *locum natalem*, *habitum externum*, *odorem*, *ſaporem*, *colorem*, aliasque proprietates, ſenſibus obvias, *notas* quoque *bonitatis*, *virtutes communes*, et *ſpecificas*, *formam exhibendi*, aut *adplicandi*, *doſin*, ac ſimilia, perſpicue pariter, ac ſolide *naturam internam*, *principia conſtitutiva*, præſertim ea, quæ præ ceteris judicantur *activa*, nec non *modum operandi*, vel evidentem prorſus, vel tamen ad minimum, debita nonnunquam deficiente evidentia, probabilem, explicat, ratiociniis demonſtrat, et obſervationibus atque experimentis, tum phyſico-chymicis, tum medico-practicis, ita illuſtrat, ut medicus de virtutibus, quas obſervat, quæque ſuum in memoratis inveniunt fundamentum, ſolidas rationes reddere valeat.

§. II.

Sub primis medicinæ incunabulis pauciſſima tantum pharmaca, eaque ſimplicia, et ex ſolo vegetantium regno deſumta, excellentiſſimæ hujus artis cultoribus cognita erant, aſt temporis progreſſu adeo illa, tam ſimpli-

ſimplicibus, quam compoſitis aucta, quin prorſus obruta fuit, ut medici rationales, qui pauca ſufficere ſciunt, et rectius præterea ſimplicium æque, ac compoſitorum indolem atque vires æſtimare, ac metiri didicerunt, rejecta ſuperflua et inutili farragine, ſelectiora tantum, quorum virtutes ac tuta adplicatio ratione et experientia magis fuerunt comprobatæ, familiarius cognoſcere neceſſe ducant. Multa enim olim, vel *caſu* inventa, vel per *inſomnia*, *oracula*, *bruta*, *analogiſmum*, et *loci*, *rerum lædentium*, atque *partium adfectarum ſignaturas (a)*, vel revera ſuggeſta ſunt, vel ſuggeſta tamen traduntur; quorum numerus, poſtquam ars chemica caput ſuum exſerere coepit, ferme in immenſum crevit, quum quilibet hujus artis cultor quædam addiderit, immo, proh dolor! quivis ciniflo, et vagabundus agyrta, qui vix, aut ne vix aquam ſtygiam deſtillare didicit, panchreſtum quoddam, aut certiſſimum tamen, atque infallibile in hac, vel illa ægritudinum ſpecie remedium ſeſe inveniſſe vane glorietur, idemque verbis ſesquipedalibus promiſcue omnibus ac ſingulis commendare haud erubeſcat.

§. III.

Pridem de diffuſiſſima hac farragine PLI-

 NIVS

(a) Conf. Oſwaldi Crollii Tract. de Signaturis internis rerum.

NIVS pariter conqueſtus eſt: "Ex terra na-
„ſcentibus, ſcribit *(a)*, nata medicina. Hæc
„ſola naturæ placuerat eſſe remedia parata
„vulgo, inventu facilia, ac ſine impendio,
„ex quibus vivimus. Poſtea fraudes homi-
„num et ingeniorum capturæ officinas inve-
„nere iſtas, in quibus ſua cuique venalis
„promittitur vita. Statim compoſitiones,
„et mixturæ inexplicabiles decantantur.
„Arabia atque India in medio æſtimantur, ul-
„cerique parvo medicina a rubro mari im-
„portatur, qvum remedia vera pauperrimus
„quisque cœnet &c. Eundem fere in modum
etiam SENECA diſſerit, quando inquit *(b)*:
„Medicina quondam paucarum fuit ſcientia
„herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis,
„vulnera coirent paullatim. Deinde in
„hanc pervenit tam multiplicem varieta-
„tem. Nec eſt mirum, tunc illam minus
„negotii habuiſſe, firmis adhuc, ſolidisque
„corporibus, et facili cibo, nec per artem,
„voluptatemque corrupto. Qui, poſtquam
„coepit, non ad tollendam, ſed irritandam
„famem, quæri, et inventæ ſunt mille condi-
„turæ, quibus aviditas excitaretur: quæ de-
„ſiderantibus alimenta erant, onera ſunt
„plenis. &c.

§. IV.

(*a*) In Hiſt. nat. Lib. XXIV. cap. 1.
(*b*) Epiſt. 95.

§. IV.

Præter memoratam nimiam medicamentorum multitudinem, quæ conſilium eligendi optima, aut cæteris tamen meliora, difficilius reddit, et ita nonnunquam medentis animum perturbat, ut dubius pharmacum ægro porrigat, quid? quod, prætermiſſis melioribus, perſæpe deteriora arripiat, hactenus deſideratum rationalis materiæ medicæ incrementum valde pariter remorata eſt *Negligentior chemiæ medico-phyſicæ cultura*, et adhuc magis *ſiniſtra* et *inconſulta ſubſidiorum*, quæ inde petuntur, in materia medica *adplicatio*. Haud quemquam enim, qui ſcripta huc ſpectantia attente perluſtravit, latere poterit, violentas tantummodo examinandorum triplicis regni ſubjectorum analyſes a plerisque fuiſſe ſuſceptas, et ſedulos cæteroquin naturæ ſcrutatores plerumque de principiis, in naturali mixtione hærentibus, ex ſimplicium combuſtorum cineribus tuliſſe judicium. Alia profecto via circa laudata ſcrutinia procedendum eſt, et blandæ duntaxat operationes chemicæ, quæ absque ulla, vel absque ſingulari tamen, principiorum metamorphoſi, mixtionis naturalis diſſolutionem præſtant, eligendæ erunt, ne, violentæ ſyncriſeos, aut diacriſeos ope, novæ prorſus ſubſtantiæ, quæ ſub tali forma nunquam in mixto adhuc integro delituerunt,

et falſis proinde ideis occaſionem præbent, producantur. Non quascunque quidem reſolutiones violentas ſimpliciter damnare audeo, dum illæ pariter ſubinde aliquid lucis principiorum cognitioni foenerantur; aſt caute tamen easdem advocare et adornare, et cautius adhuc ex iis in materia medica concluſiones formare decet.

§. V.

Hactenus allegatis impedimentis potioribus jungi etiam merentur *Imperfecta cauſſarum in morbis nonnullis evolutio*, et *ſuperficiaria pariter, nec ſatis attenta effectuum*, qui adſumtionem medicaminum, aut externam duntaxat eorum adplicationem ſequuntur, *annotatio*: Inde nempe fieri conſuevit creberrime, ut, non ſatis cognitis veris atque differentibus morborum cauſſis, pharmacorum uſus irritus, perſæpe quoque, mirantibus ac ſtupentibus ignaris medicaſtris, plane noxius evadat, aut mutationes tamen, quæ in corpore humano ſub medicamentorum uſu eveniunt, ab uſu eorum erroneè deducantur, et fortuito coincidentia ab una eademque cauſſa, licet agnoſcant diverſiſſimam, deriventur, immo, neglectis ſæpiſſime veris effectuum cauſſis, effectus obſervati aliis cauſſis, tunc temporis plane inſontibus, adſcribantur. Quare, ſi meliores in poſterum in materia medica rationali ſperare velimus progreſ-

progreſſus, omni allaborandum erit ſtudio, ut, remotis hiſce, ceteriſque obſtaculis, pharmaca propemodum innumera, hactenus introducta, et recepta, exterminatis in ſpecie, et proſcriptis iis, quae virulenta indole pollent, aut dudum, ob agendi juvandique inertiam, exilii poenam meruerunt, ad minorem numerum redigantur, et ſelectiora poſtea probe examinentur, quo vera eorundem indoles, principia activa, modusque operandi abſolutus et relativus ad majorem in dies evidentiam ac certitudinem deducantur.

CAPVT II.

DE EFFECTIBVS MEDICAMENTORVM, EORVNDEMQVE CAVSSIS FORMALIBVS.

§. I.

Quicquid in corpore animali vivo, ſub uſu medicamentorum interno, vel adplicatione eorundem externa, *Effectus* dicitur, nihil aliud eſt, niſi priſtini ſtatus, ſeu priſtinae conditionis partium, quae pharmaci actionem ſuſtinent, vel *generalius* quoad *motum*, vel *ſpecialius*, ſi ſolidae ſunt, quoad *ſitum*,

cohæſionem, *connexionem*, *magnitudinem*, *texturam* atque *figuram*, nec minus, ſi fluidæ ſunt, quoad *mixtionem*, *temperiem*, *conſiſtentiam*, *colorem*, et *proprietates alias*, major vel minor mutatio. Sic v. g. pharmacum emolliens, ſolidis adplicatum, fibras antea denſas, rigidas, ac duras reddit molliores, laxiores, rariores; quum admotum e contrario adſtringens fibris, antea mollibus, raris et laxis texturam inducat duriorem, compactiorem, ſtrictiorem. Exhibitum reſolvens volatile fluida, antea viſcoſa et quieta, vel ſegniori tamen circulo per ſolitos meatus provoluta, ad fluiditatem reducit, et impellit, adeoque iisdem, ſublata quiete, motum de novo impertit, vel languidum reddit vegetiorem: Unde in propatulo eſt, priſtinam partium conditionem hac ratione magis minusve mutari.

§. II.

Laudatam priſtini ſtatus mutationem, interveniente *Contactu*, nunc *mediato*, nunc *immediato*, tum pharmacum quodcunque, tum venenum, producit mediante *Motu*. Sine contactu enim et motu nulla cogitari poteſt corporum in corpora actio, et agere hinc atque movere in hoc paſſu mihi unum idemque indicant. Quare circa motum quoque ſub ipſa pharmaci aut veneni in partes corporis

ris humani vivi actione ſemper conſideranda veniunt:

1.) *Medicamentum aut venenum movens pariter atque commotum.*

2.) *Cauſſa motus cum vi motrice.*

3.) *Motus ipſe pharmaci aut veneni quoad modum æque, ac vehementiam.*

4.) *Motus partium corporis, quæ pharmaci aut veneni impetum ſuſtinent, cum mutatione ſeu effectu inde reſultante.*

§. III.

Differens *Vehementiæ* gradus, quem circa motum pharmaci agentis, et inde pendentem atque connexam actionem proportionatam, obſervamus, quatuor cauſſas generaliores, (quarum prima, ſecunda, et tertia in ipſo medicamento, quarta autem in corpore animali vivo, quod medicamenti actionem ſuſtinet, quærenda eſt), agnoſcit, nimirum, 1) *inæqualem materiæ commotæ quantitatem*, 2) *differentem ſubtilitatem ac mobilitatem molecularum minimarum*, 3) *diverſam partium, maiorem ſubſtantiæ activæ molem aggregatione ſua conſtituentium, figuram, et* 4) *diſcrepantem naturæ ſeu vis vitæ impellentis ſenſibilitatem, et inæquale robur*; ſic v. g. viginti rhabarbari pulveriſati grana, ceteris tamen paribus, maiorem motum excitant, fortioremque effectum laxantem præſtant, quam grana decem:

Scammonii grana quinque, ob acredinem molecularum minimarum eminentiorem, vehementius operantur, quam quinque grana aloes, aut reſinæ jalappæ: Spiritus cujusdam urinoſi concentrati guttulæ decem, ob celeriorem motum inteſtinum, et majorem molecularum mobilitatem, fortius humores commovent, fortioremque ſudorem pellunt, quam viginti, et plures guttulæ ſpiritus vini rectificati, et duodecim denique pulveris gialappæ grana apud ſubjecta, natura ſenſibiliori prædita, plus, quam grana viginti, ſubjectis, natura torpida donatis, oblata, efficiunt.

§. IV.

Altera motus, quoad *Modum* ſcilicet, differentia, in venenis æque ac medicamentis, unice derivanda eſt à *differenti diſpoſitione materiæ*, ſeu *diverſa et ſpecifica molecularum minimarum figura*, quæ ſenſus noſtros utplurimum quidem fugit, certiſſime tamen præſens eſt: Mutata hinc figura molecularum minimarum, maſſam majorem conſtituentium, vel per *ablationem partium*, vel *novam additionem*, vel *translocationem*, non tantum virtus medica, ſed ſingulæ etiam proprietates internæ et externæ plus minusve mutantur. Diſtinctæ enim figuræ inſtrumenta, licet ex eodem chalybe fabrefacta fuerint, diverſiſſimas agendi poteſtates obtinent. Sit. v. g. ut cum BOER-

HAAVIO

HAAVIO (*a*) loquar, chalybis uncia in cuneum, cultrum, pugionem, lanceolam, plebotomam, ſphæram, cubum, cylindrum, priſma, pyramidem, conum, expolita, nonne ſingulis ſuæ propriæ, novæque vires aderunt? Valent hæc non ſolum de ſolidis, ſed etiam de fluidis, dum quælibet eorum particula ſolida eſt, ac certa prædita figura, quæ conſiſtit vel in particularum, fluidi molem aggregatione ſua formantium, nunc ſimplici, nunc multiplici, acumine, vel earundem inertia, particulis ſcilicet perfecte ſphæricis exiſtentibus, ſine ullo angulo. In quocunque nimirum corpore particulæ, in ſuperficie locatæ, vel omnes æqualem a centro obtinent diſtantiam, vel inæqualem, h. e., aliæ ſitum centro propiorem, aliæ remotiorem ab illo acceperunt.

§. V.

Quanquam illa, quæ hactenus de habitudine et potentia medicaminum, tam hoc vel illo modo, quam hoc vel illo vehementiæ gradu, in corpore agendi, dicta fuerunt, exiſtant certiſſima, nihil tamen in iisdem per ſe valent magnitudo, denſitas, gravitas, figura partium &c., nec ſingularis ideo ab illis in corpore exſpectari poterit actio, niſi *motus actualis*, a cauſſa externa excitandus, accedat. Sim-

(*a*) Vid. Tract. de Viribus medicamentorum cap. 3, pag. 18.

Simpliciter hæc ipſa de medicamentis plane fixis, quæ, in ſe ſpectata, corpora quaſi mortua ſunt, propria poteſtate, propriis viribus, ſeſe movendi deſtituta, intelligenda erunt; quod volatilia autem ac ſemi-volatilia attinet, de illis in hoc paſſu paullo aliter, et cum notabili limitatione judicare decet. Nam priora quoad totam ſuam molem, poſteriora quoad aliquam, eamque majorem, vel minorem portionem, ex corpuſculis, ſeu moleculis ſubtiliſſimis volatilibus, et ante exhibitionem in ſatis veloci pridem motu conſtitutis, compoſita ſunt; hinc, iisdem in corpus delatis, motus, ad actionem neceſſarius, a cauſſis impellentibus non prima demum vice excitandus, ſed jam præſens duntaxat augendus, ac plus minusve, pro partium corporis, aliarumque circumſtantiarum, tum eſſentialium, tum accidentalium, diverſitate, mutandus eſt.

§. VI.

Cauſſæ pharmacorum impellentes in vivis animantium corporibus in *Primarias* et *Secundarias* diſtingui merentur: Ad priores non tantum *Ictus ſolidorum, ſub quavis contractione repetiti, ſed reiterati quoque fluidorum, per vaſa et cavitates alias meantium ac remeantium,* immo *ſolummodo ſolventium, Impulſus;* ad poſteriores autem *Calor*, et *Aer incluſus, aut ordinatum etiam cum humoribus circuitum* ab-

abſolvens, *et magis minusve calore rarefactus atque commotus* ſpectant. Primum tamen atque præcipuum locum jure maximo ſibi vindicat *Vis contractilis*, *et actualis contractio ſolidorum*, præprimis cordis, tunicæ nervoſo-muſculoſæ arteriarum, aliarumque partium, quæ potiora organa, ad circulum humorum perpetuandum neceſſaria, conſtituunt. A ſolidorum enim contractione non circulus tantum, ſed omnes quoque motus humorum reliqui dependent; ex mutuo atque perenni fluidorum ac ſolidorum affrictu naſcitur calor, et a calore denique aeris incluſi ac mixti rarefactio derivanda eſt. Sine calore proinde nulla unquam aeris incluſi, aliarumque corporis partium rarefactio exſpectanda foret, ſine mutuo et inteſtino partium attritu et perenni colliſione nullus adeſſet calor, ſine contractione ſolidorum nullus attritus, nullus circulus humorum contingeret, et, hoc deficiente, decens quoque humorum fluiditas prorſus defutura eſſet: Obſervatio hoc loco recenſione utique digniſſima eſt, quam LEEUWENHOECKIVS in *Epiſtolis ſuis phyſiologicis* communicat: Obſervavit nempe, ſanguinem in ranis torpidis et veſpertilionibus, ſi arteriolæ eorundem brumali tempore armatis oculis conſpiciantur, in grumos plane concretum adparere, et grumoſum hunc cruorem, etſi animal igni admoveatur, ut caleſiat, tamen minime reſolvi,

nec

nec prius iterum moveri, quam cor ſeſe contrahere inceperit; eo autem moto, moveri iterum, et tandem, poſt varios cordis ictus, priſtinam recuperare fluiditatem.

§. VII.

Vis vitæ igitur, ſub qua omnes in corpere cauſſas impellentes, conjunctim ſumtas, complector, præcipua, et interdum unica, cauſſa cenſenda eſt, quæ medicamenta actuat, ſeu, quod idem eſt, in corpore vivo, (in mortuo enim medicamentorum ac venenorum vis perit, et acerrima etiam, extrinſecus cadaveri adplicata, nunquam notabilem ſortiuntur effectum), ad agendum impellit. Unde non adeo mirandum erit, quod effectus medicaminum, ob miram naturae, tum intuitu *ſenſibilitatis*, tum *roboris*, varietatem, non ſemper vi ipſorum propriae inveniantur proportionati, ſed idem pharmacum, v. g. purgans, ſub æqvali doſi, pluribus ſubjectis, in eadem quidem ætate conſtitutis, diverſa tamen natura præditis, oblatum, inæquales plane effectus edat, et apud unum perſæpe vix alvum moveat, apud alterum blandam quidem, aſt completam, evacuationem præſtet, et apud tertium denique fortem catharſin, immo hypercatharſin, concitet. In genere enim *Natura* vel *vivida* eſt, vel *torpida*, et hæc æque, atque illa vel *robuſta* iterum, vel *debilis*: Hinc medicaminum *actio*

apud

apud homines, natura robuſta ac ſimul vivida donatos, ob eminentem ſenſibilitatem, cum eminenti robore conjunctam, *promta* ac *valida*, apud homines, natura vivida ac debili præditos, ob ſenſibilitatem notabiliorem, *promta* quidem, aſt *parum* tamen, ob roboris proportionati defectum, *valida*, apud homines, qui natura torpida atque robuſta gaudent, propter ſenſibilitatem minorem, *tarda* quidem, poſtea tamen, ob præſens robur eminentius, *ſatis valida*, et apud homines denique, natura torpida ac debili praeditos, propter exiguam ſenſibilitatem, ac debiti quoque roboris defectum, non tantum *tarda*, ſed etiam *debilis* deprehenditur.

§. VIII.

Indicata naturæ diverſitas partim in *differenti textura* atque *elatere ſolidorum*, partim in *differenti mixtione*, *temperie*, *fluiditate humorum*, et inde derivanda, et explicanda *majori* vel *minori partium utrarumque mobilitate*, ſeu *habitudine* atque *diſpoſitione ad motum actualem*, ſuum invenit fundamentum. „Particularis præcipue ſolidorum ſtructura, „teſte BAGLIVO (*a*), facit, ut ea pro va„rietate ſtructuræ unius cujusque varie reſi„ſtant in ſuis motibus, quod funium experi„menta abunde nos docent; aliam enim re„ſiſtentiam, ac vim habent, funes, lino, cannabe,

(*a*) In Oper. Tract. de fibra matr, Lib. I. p. 57.

„nabe, ſericoque, aliam vero lana, anima-
„lium inteſtinis, ramisque arborum, con-
„texti.

§. IX.

Manifeſte medicus attentus, et ſedulus corporis humani ſcrutator memoratam ſtructuræ, texturæ, elateris, mixtionis, temperiei, fluiditatis, mobilitatis &c. differentiam deprehendet, ſi plures homines, laudata diverſa natura generica donatos, conſiderationi decenti et iteratæ ſubmittere velit. Apud ſubjecta enim, quæ *natura* gaudent *vivida robuſta*, *partes ſolidæ ſicciores* atque *compactiores* exiſtunt, et ex *fibris gracilibus*, *valde* tamen *denſis* et *elaſticis*, adeoque *ad promptam ac validam contractionem aptiſſimis*, contextæ inveniuntur, *humores* præterea, inprimis ſanguis, *ſatis fluidi* ſunt, *ſubtiles*, *mobiles*, et, ob partium ſalino-oleoſo-inflammabilium abundantiam, *calidiores*, et ideo etiam *ad vegetam expanſionem proniſſimi*. Status, priori quoad omnia propemodum contrarius, apud homines reperitur, quorum *natura torpida* ac *debilis* eſt: In hiſce quippe *partes ſolidæ valde flaccidæ*, *juſto humidiores*, et ex *fibris laxis*, *imbecillibus* ac *parum elaſticis* contextæ deprehenduntur, et *humores* quoque *craſſiores*, *ſpiſſiores*, et *multis partibus mucidis inertibus referti* ſunt, ut ideo *tardus* tantummodo *humorum circuitus*, et *lenta* pariter

ac *langvida ſolidorum contractio* exſpectari poſſint.

§. X.

Apud ſubjecta, quorum *natura* vel *vivida* et *debilis*, vel *robuſta* ac *torpida* eſt, ſtatum quaſi mixtum obſervamus: Apud priora nempe *partes ſolidæ valde* quidem *ſenſibiles*, aſt ſimul *debiles* reperiuntur, quoniam ex *fibris comparative gracilioribus*, *tenerioribus*, *laxioribus*, adeoque *ad promptam* quidem, *non adeo validam* tamen *contractionem aptis*, contextæ ſunt, et *humores* quoque, licet *ſatis calidi* exiſtant, *paullo ſpiſſiori conſiſtentia* pollent; apud poſteriora autem *partes ſolidæ ſiccæ* ac *duræ* ſunt, et ex *fibris craſſis*, *denſis*, *rigidis*, ac *parum elaſticis*, ad *validam* quidem, aſt *minus promtam contractionem aptis*, componuntur, *humores* vero, ob partium terrearum copiam majorem, et ſalino-oleoſo-inflammabilium aliqualem penuriam, *craſſiores*, *ſpiſſiores*, ac *comparative frigidiores* exiſtunt.

XI.

Natura *connata* nunquam penitus quidem tolli, plus tamen minusve mutari, h. e., exaltari ac deprimi poteſt, ſupervenientibus ſcilicet morbis gravioribus, aut diuturnis, nec minus creſcente ætate, mutato climate ac vitæ genere, mutatis alimentis etc., ita tamen, ut harum rerum aliæ diuturniorem, ac magis

conſtantem, aliæ brevem ſolummodo ac magis temporariam naturæ metamorphoſin inducant: Vnde eo luculentius conſtare opinor, actionem pharmacorum in ipſo corpore vivo nunquam *abſolutam*, ſed ſemper *relativam* eſſe, et medicum ea propter maximo ſemper ſtudio allaborare debere, ut naturas individuorum, quibus, prout decet, opitulari cupit, ante medicaminum exhibitionem probe cognoſcat.

CAPVT III.

DE NONNVLLIS MEDICAMENTORVM DIVISIONIBVS, ACTIONEM EORVNDEM GENERALEM PLVS PARITER MINVSVE CONCERNENTIBVS, EAMQVE VLTERIVS ILLVSTRANTIBVS.

§. I.

Pharmaca vel *Interna* ſunt vel *Externa:* Illa ore adſumuntur, et, deglutitionis beneficio ad ventriculum delata, inde vel ad ſanguinem, atque humores reliquos, per varii generis vaſa circulantes, properant, vel, aliqua tantum, immo interdum nulla prorſus, in primis viis utilitate præſtita, absque laudato tranſitu denuo cum fæcibus alvinis excluclu-

cluduntur. Quae ex ventriculo et inteſtinis ad humorum circulantium maſſam deferenda ſunt, prius a liquore gaſtrico, aliisque primæ culinæ ſuccis naturalibus, aut præternaturalibus, vel in partes *ſimilares*, quod fieri ſolet frequentius, vel *diſſimilares*, quod rarius accidit, adeoque *ſuperficiarie* ſaltem, aut *radicaliter* ſolvi, vel blando ventriculi calore *in halitus ſubtiles* mutari, poſteaque, *filtrationis*, aut *inhalationis* ope, vaſa lactea et bibula venoſa minutiſſima intrare ac permeare debent (*a*)

§. II.

Qui ſolidum de futura pharmacorum in ventriculo *ſolutione*, aut *reſolutione halituoſa* ferre ſuſtinet judicium, is porrigendorum non minus medicaminum naturam ac ſolubilita-

(*a*) Concreta perfecte reſinoſa, etiam ſpiritu vini rectificatiſſimo ſoluta, et in tincturæ aut eſſentiæ formam redacta, quoad ſubtiliorem duntaxat portionem oleoſo-ſpirituoſam, per vaſa lactea et bibula reliqua ad ſanguinem tranſire, vero ſimillimum eſt. Quando tincturæ enim et eſſentiæ reſinoſæ, minori, uti fieri conſuevit, quantitate adſumuntur, ſpiritus vini in tepido et aqueo liquore gaſtrico confeſtim debilitatur, et ad ſolutionem ulteriorem ineptus redditur; hinc aliter fieri nequit, quin moleculæ reſinoſæ craſſiores præcipitentur, adeoque neceſſario, quum ſpiritum et ſubtilem portionem oleoſam ſequi, et filtrationis ope amplius ad humores circulantes deferri nequeant, in ventriculo et inteſtinis relinquantur.

litatem, quam naturalis quoque caloris gradum, et liquorum ſolventium indolem probe conſiderare, et horum vim atque actionem cum genio et reſiſtentia illorum comparare tenetur. *Calor naturalis* blandus eſt, et, obſervante BOERHAAVIO *(a)*, in corporibus perfecte ſanis nunquam ultra nonageſimum ſecundum *Thermometri Fahrenheitiani* gradum adſcendit, adeoque caloris gradu, quem aqua, in ebullitionis motum redigenda, poſtulat, quique ad ducenteſimum et decimum ſecundum aut tertium adſcendere debet, multo inferior deprehenditur, et ſolummodo cum longe minori caloris gradu, quem blandis digeſtionibus adhibemus, comparandus erit. Quod *liquores* vero *ſolventes*, in ore, ventriculo, et inteſtinorum canale obvios, attinet, illi in ſtatu naturali duplicis inveniuntur generis: quatuor nempe, *liquor* nimirum *ſalivalis*, *oeſophagaeus*, *gaſtricus*, et *pancreaticus*, quos maxima, quoad naturam et elementa, ſimilitudo intercedit, aqueo-ſalſi temperatiſſimi ſunt, quintus autem, *bilis* ſcilicet, præſertim fluidior atque temperatior *hepatica*, indolem aqueo-ſalino-oleoſam ſaponaceam obtinet; Menſtrua priora facile concreta ſalina, gelatinoſa, mucilaginea, gummoſa, ac teneriora pariter gummeo-reſinoſa ſolvunt, et ſpirituoſam quoque oleorum æthereorum, aliorumque portionem recipere, et ſecum ad

(*a*) Vid. Chemiæ T. I. p. m. 228. 350. ſequ.

ad ſanguinem ducere poſſunt; liquidum bilioſum autem aliquid ad oleorum, pinguedinum atque reſinarum, niſi perfectam, aliqualem tamen, ſolutionem, unionemque cum ſuccis aqueis confert. Noto quippe notius eſt, bilem delendis maculis, quas corpora pinguia et oleoſa pannis induxerunt, adhiberi, et, ſaponis vulgaris inſtar, poſt inunctionem temporariam adeo unguinoſam ſubſtantiam reddere ſolubilem, ut poſtea ſola aqua ſimplici elui poſſit. Menſtruis aqueoſalſis ſubinde etiam, quanquam præternaturaliter, aut nonnaturaliter, acidæ partes admiſcentur, iisdemque miſcela ſua potentiam, concreta quoque terrea alcalina ſolvendi, communicant; quemadmodum alibi melior, de hiſce fuſius differendi, occaſio erit.

§. III.

Medicamenta igitur, quæ, ob ſingularem et refractariam ſuam indolem, ſolutionem in ſuccis ventriculi et inteſtinorum naturalibus plane reſpuunt, nec blando etiam corporis calore in halitus teneriores mutari poſſunt, e prima culina per vaſa lactea et bibula venoſa ad ſanguinem &c. tranſire neſciunt, ſed actionem ſuam, vel in ſola contenta ventriculi et inteſtinorum, vel ſimul etiam in parietes eorum, nunc *ſolo pondere eminentiori*, nunc *mechanico quodam ſtimulo*, nunc *ratione alia*, exercent, quæ inde tamen,

 ſi

ſi fuerit fortior, ob nexum vaſorum, nervorum, membranarum arctiſſimum, in vicinas æque, atque remotiores, partes propagari poteſt. Mercurius currens v. g., præſertim largiori quantitate, h. e., ad aliquot uncias, adſumtus, ſolo duntaxat pondere ſuo in parietes, et contenta ventriculi atque inteſtinorum agit, vaſa lactea et bibula venoſa autem, licet fluidum ſit mobiliſſimum, ſubire nequit, quum nec ſolvi a liquore gaſtrico, nec corporis etiam calore blando in halitus mutari poſſit; hinc in paſſione iliaca graviori, etſi ægris magna quantitate exhibitus fuerit, interdum ſatis diu, experientia teſte, in inteſtinis latitavit, et poſt multos demum dies, refractaria alvi obſtructione tandem reſerata, citra ponderis decrementum, ac formæ mutationem, cum excrementis excluſus fuit.

§. IV.

Medicamenta *externa*, vel *mediate*, vel *immediate* corpori adplicantur: Hæc partem, in quam agunt, *tota ſua*, tam craſſiori, quam ſubtiliori, *ſubſtantia*, uti emplaſtra, unguenta, linimenta &c., vel *ſubtiliori* ſaltem *halitu*, ut ſuffimigia, cucuphæ, ſacculi &c. adficiunt, ita tamen, ut hæc æque, atque illa, vel in ſolam epidermidem, et cutem ſubjectam, adeoque in meram corporis ſuperficiem, actionem ſuam exerceant, vel, quoad particulas

tene-

teneriores atque volatiles, corporis calore ſub adplicatione magis magisque animatas, exiliſſima vaſcula lymphatico-venoſa, inhalationis, aut immerſionis beneficio, intrent, tandemque ipſis humoribus circulantibus miſceantur, et altius proinde in corporis receſſus penetrent. Quando prius fit, et medicamenta adplicata in externa duntaxat corporis integumenta agunt, ibidemque poros vel aperiunt, vel claudunt, cohæſionem fibrarum ſolvunt, vel reſtituunt, et partium texturam compactiorem, vel rariorem reddunt, adeoque tenſionem pariter ac motum oſcillatorium augent, vel minuunt, actio eorum nunc unice, ſi nimirum brevis eſt, atque languidior, in ſuperficie terminatur, nunc vero, ſi ſcilicet fortior exiſtat, et diutius perduret, latius, ob partium nexum arctiſſimum, extenditur, ac crebro ad interiora prorſus propagatur. Emolliens v. g. aut roborans medicamentum, abdomini impoſitum, non cutem ſolummodo et muſculos ſubſtratos, ſed ipſa etiam inteſtina, ipſum ventriculum, et plures abdominis partes interiores laxat, aut roborat, immo unguentum arthanitæ, ventri infantum illitu adplicatum, catharſin excitat, licet nullæ prorſus particulæ activæ ad ventriculum et inteſtina deferantur. Omnia igitur in hoc paſſu ex ſolo partium nexu explicanda veniunt: Integumenta enim abdominis externa atque

communia cum membranaceis muſculorum abdominalium involucris, et hæc cum peritonæo cohærent, peritonæum plerisque partibus abdominis internis integumenta largitur, et ſua inprimis duplicatura meſenterium format, quod multis connectitur viſceribus, et exteriorem quoque ventriculi atque inteſtinorum tunicam membranaceam producit: Unde parum mirandum, quod mutationes, per adplicata medicamenta integumentis externis, intuitu texturæ ac motus, inductæ, partibus interioribus quoque, pro diverſo tamen operationis gradu, nunc citius, nunc tardius, communicentur.

§. V.

Non perinde eſt, an medicamenta, aliaque corpora activa per *vias ordinarias*, gulam videlicet, ventriculum, inteſtina &c. ad maſſam humorum deferantur, an vero per *venas bibulas*, aut *vulnuſcula*, cuti inflicta, in vaſa ſanguifera et interiores corporis receſſus penetrent. Confirmante enim experientia, eorum multa, quæ, per ventriculum ingreſſa, nihil plane detrimenti gignunt, veneni vires exercent, quando per vaſcula cutis et carnium ſubjectarum disſecta aut dilacerata intrant, et humoribus circulantibus confeſtim miſcentur. Vulnera v. g. telis, ellebori nigri ſucco imbutis, inflicta, abſolute lethalia obſervantur, etiamſi infuſum radicis, interne ſumtum, al-

vum

vum tantummodo moveat, nec ullam aliam, rite ſcilicet uſurpatum, noxam corpori inferat: Liquores acidi, alcalici, aliique ſpirituoſi, qui, per os adſumti, ſæpe proſunt egregie, ac nullo prorſus modo, ſi debite fuerint præparati, et tempore, ordine ac doſi decenti exhibeantur, ſanitatem lædunt, graviſſime œconomiam perturbant animalem, et repentinam plerumque mortem inferunt, quando aliquot duntaxat guttulæ venis, lanceola inciſis, infunduntur *(a)*: Immo venenum viperæ, quod, obſervante FRANCISCO RHEDI (*b*), in duplicata vagina membranacea, intra quam viperæ dentes ſuos repoſitos habent, reperitur, et liquorem refert, oleo amggdalarum dulcium colore et ſapore ſimillimum, ne minimum incommodum, largiori etiam quantitate interne ſumtum, gignit, per vulnuſculum vero, externe cæſim vel punctim factum, exigua ſaltem portione ſeſe inſinuans, illico pathemata graviſſima, et mortem ipſam producit. (*α*)

 §. VI.

(*a*) Vid. Sect. de Acidis §. 5.
(*b*) Vid. ejusd. Experimenta circa varias res nat.
(*α*) IACOBVS SOZZI viperarum captor, uti vix laudatus RHEDI *libro citato pag. 166. et 171.* refert, præſentibus multis viris doctis, integrum cochleare hujus liquoris hauſit, ac nihil inde incommodi expertus eſt. Curavit quoque, ut omnis liquor e maximis et iratiſſimis viperis in vini cyathum efflueret, una cum ſpuma et ſaliva, quam viperæ exagitatæ, percuſſæ, compreſſæ, iratæ, rejicie-

§. VI.

Medicamenta ulterius, habita ſcilicet ratione virtutis generalioris, in *Tonica*, *Alterantia* et *Evacuantia* dividuntur. *Tonica*, in

bant, et deinde vinum hoc, absque ullo pariter ſanitatis detrimento, ebibit. Ipſe FRANCISCVS RHEDI quatuor capita viperarum, ſemiviva, ſanguinem ſtillantia, ſqualida, in ſcyphum, aqua plenum, immerſit, et, omni palati et maxillarum pulpamento lanceola reſecto, curavit, ut humiditas, inde in aquam ſtillans, eandem ſpumidam redderet, turbidam, abominabilem, poſteaque infectum hoc juſculum cum pulpamenti reſecti fruſtulis partim hœdo, partim anati infudit; at nullum animalia illa accepti veneni ſignum dederunt. Non nocuerunt etiam hominibus pulli gallinacei &c., a viperis lethaliter demorſi et cocti, licet integri commederentur, quid? quod, viperæ ipſæ occiſæ, et cani, hyenæ odoriferæ, avi tinunculo obiectæ, ac penitus ab illis devoratæ, ne minimam labem ſanitati affricabant. Aliter prorſus cum actione hujus liquoris venenati comparatum erat, cum, per vulnera externe inflicta intrans, protinus cum ſanguine miſceretur. Vulneri enim, lanceola, vel ſcoparum virgulis, aut alio inſtrumento in cute facto, inſtillatus, omnia animantia intra breve tempus certiſſime interfecit; citius tamen pullos gallinaceos, columbas, glires, et alia animalia minora, tam greſſilia, quam volatilia, tardius vero animalia majora, v. g. verveces, equos, tauros, Citius pariter animalia quævis extincta fuerunt, quibus venenum a vipera ipſa morſu communicatum fuit, quam quorum vulneribus, inſtrumento quodam factis, ſolummodo infundebatur &c.

in ſenſu latiori ſumta, texturam partium ſolidarum vel compactiorem, vel laxiorem reddunt, et tonum ſeu tenſionem earundem, vim contractilem, oſcillationem, et contractionem actualem augent, vel minuunt: *Alterantia* fluidorum mixtioni, temperiei, conſiſtentiæ, colori, aliisque proprietatibus varias inducunt mutationes, et *Evacuantia* denique ſuperflua, inutilia, noxia, per varias vias e corpore educunt. Ad primam igitur claſſem, præter *roborantia* ſeu *tonica proprie ſic dicta*, etiam *adſtringentia*, *ſtimulantia*, *exſiccantia*, quin *humectantia*, et *emollientia* ſpectant: Ad alteram vero claſſem *calefacientia*, *refrigerantia*, *attenuantia*, *incidentia*, *diſcutientia*, *incraſſantia* &c., et ad ultimam denique *emetica*, *cathartica*, *ſudorifera*, *diuretica*, *ſalivantia*, *errhina*, *ptarmica*, *veſicantia* et ſimilia referuntur.

§. VII.

Pharmaca, quæ vulgo *Specifica* audiunt, vel *certum duntaxat morbum*, vel *certum humorem*, vel *certam denique partem ſolidam*, *certumque corporis viſcus*, primario reſpiciunt, adeoque commode etiam in *Specifica morborum*, *Specifica humorum*, et *Specifica partium ſolidarum* ac *viſcerum* dividi, et primæ proinde claſſi *antiſcorbutica*, *carminativa*, *anthelmintica* &c., ſecundæ *cholagoga*, *phlegmagoga* &c., et tertiæ denique *cephalica*, *cardiaca*,

ſto-

ſtomachalia &c., adnumerari poterunt. Non deſunt quidem inter medicos neotericos, qui pharmaca hujus commatis ſpecifica negant, et hanc ideo diviſionem plane reprobant: Verum enim vero, ſolidum, me ſentiente, negationis ac reprobationis ſuæ fundamentum allegare nequeunt, dum ratio non minus, quam experientia medicaminum ejusmodi exiſtentiam ſufficienter comprobat: Certo enim certius eſt, 1) viſcera, cæterasque corporis humani partes ſolidas differenti textura, robore, ſtructura, elatere, humores autem diſtincta atque ſpecifica mixtione, temperie, ſyſtaſi &c. pollere, 2) cauſſas morborum, tam formales, quam materiales, valde diſcrepantes eſſe, 3) corpus quodcunque, medica virtute præditum, et ab aliis generice, aut ſpecifice diſtinctum, ſingularem, quoad moleculas minimas, præſertim activas, magnitudinem atque figuram obtinere, et 4) aliam proinde atque aliam actionem, alium effectum, aliam virtutem, ab hoc vel illo medicamento, in hac vel illa parte, in hoc vel illo morbo, exſpectandum eſſe (*a*): Quæ omnia

(*a*) Varia corpora naturalia, (quæ obſervatio prædictis multum utique lucis fœneratur), hominibus ſalutaria, animantibus aliis lethifera ſunt, et vice verſa. Sues radicibus hyoſcyami, ſturni cicuta aquatica, coturnices lolio temulento, absque ullo ſanitatis detrimento, veſcuntur; quæ ſingula tamen hominibus magnam noxam, immo ſubinde ipſam

mnia ita tamen nequaquam accipienda erunt, ac ſi alia medicamenta nihil prorſus ibidem, ubi ſpecifica efficacius proſunt, præſtarent, aut hæc nullas amplius vires, niſi ſolas ſpecificas, exſererent; ſed memorata ſolummodo juvandi prærogativam, ſpecificæ mixtioni, texturæ, partium indoli, et peculiari operandi modo innixam, concernunt.

CAPVT IV.

DE VASIS INHALANTIBVS ET EXHALANTIBVS.

§. I.

Quoniam in antecedentibus aliquoties *vaſorum abſorbentium* mentio facta fuit, et ſæpius quoque fiet in ſequentibus, potiora hoc loco de iis non minus, quam exhalantibus tradere neceſſarium duco, ne ignari falſam ſibi, aut tamen incompletam ideam de medicamentorum tranſitu ad ſanguinem, aliisque momentis, ex horum vaſculorum præſentia explicandis, forment. Sunt autem primo

ipſam mortem, inferunt: Aloe ex adverſo, non contemnendum apud homines medicamentum, canibusvalde nocere, et amggdala amara, hominibus pariter innoxia, gallinas ac feles necare obſervantur; uti plura de hiſce in *Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. ann. 8. Obſ. 99.* videnda ſunt.

primo *vaſa corporis halituoſo-lymphatico-venoſa abſorbentia*, quæ etiam *vaſa bibula*, *vaſa inhalantia*, *venæ bibulæ* vocantur, ultimæ propagines, ſeu extremi ac minutiſſimi venarum ramuli capillares, verſus originem ſeu venam ſuam reſpectu diametri magis magisque increſcentes, verſus viſcerum vero, atque externi corporis ſuperficiem decreſcentes, adeo, ut canaliculi exiliſſimi, viſcerum atque corporis peripheriæ propiores, tenerrimos ſeu roriferos duntaxat halitus, ampliores autem, centro atque origini ſuæ propiores, ſubtiliſſimum liquorem, rori analogum, ex pluribus canaliculis halituoſis in tubulum ampliorem confluentem, recipere, transmittere, et in ipſam venam ducere valeant.

§. II.

Eadem propemodum ſubordinatio reperitur apud *Vaſcula exhalantia* ſeu *excernentia*, præterquam, quod illa, ex arteriolis minimis primordialiter exeuntia, intuitu progreſſus humorum, primo *ſeroſa*, deinde *lymphatica*, tandemque, poſt maximam diviſionem, *halituoſa* audiant. Humores enim, quos vehunt, non ad ſanguinem reducunt, ſed inde ſegregatos, partim nutriendi fine verſus partes transferunt, partim, ſub halitus, nunc viſibilis, nunc inviſibilis, forma, in ſuperficie corporis ac viſcerum cribroſa excludunt: Monendum tamen, non omnes ca-

canaliculos ſeroſo-lymphaticos, ex arteriolis ortos, tandem in exiliſſimos tubulos exhalantes deſinere, ſed multos pariter ramulos, quos *venas lymphaticas* vocant, verſus interiora recurrere, et lympham, a partium nutritione ſuperſtitem, nec minus refluum nervorum liquidum, itidem ſub progreſſu ſuo ex inſertis nervorum ramuſculis receptum, reducere, et ciſternæ lumbari, ductui thoracico, venæ cavæ, venæ portarum, aliisque vaſis venoſis majoribus infundere, ut cum ſanguine circulante, ceu liquores laudabiles et ſpirituoſi, diluendi fine, denuo miſceantur.

§. III.

Tantæ prædicti canaliculi exilitatis ſunt, ut, ſeorſim conſiderati, viſus aciem prorſus effugiant. Minimi quippe arteriarum ramuli, qui integrum tamen globulum rubicundum, adeoque ſanguinem perfectum, adhuc vehunt, ſecundum BOERHAAVII ſententiam, tubuli capillares ſunt, tam parvo præditi diametro, ut decem, in unum faſciculum collecti, vix pilum craſſitie æquent: Ex hiſce ſextuplo minores tubuli ſeroſi, ex ſeroſis adhuc minores lymphatici, et inde demum minimi halituoſi, quorum 125000, ſupputante LEEUWENHOECKIO (*a*), in puncto corporis,

(*a*) V. Arcan. Nat. deteſt. p. 186.

poris, unius ſabuli granulum æquante, repe-riuntur hiantes, originem ducunt. Hinc ſe-roſi etiam nullum amplius ſanguinem rubi-cundum, ſed flaveſcentem ſolummodo par-tem ſeroſam, lymphatici meram lympham, ſero adhuc tenuiorem, et halituoſi denique vaporoſam materiam recipere, transmittere, atque emittere poſſunt. Memorata, ſubtili-tatem concernentia, non tantum de exiliſſi-mis hiſce arteriolarum propaginibus, verum etiam de præcedentibus venoſæ proſapiæ ca-naliculis dicenda erunt.

§. IV.

Laudatis vaſculis exhalantibus primi ge-neris jure meritoque jungenda ſunt *vaſcula exhalantia nervoſa.* Nemo enim, ſolidiori-bus mechanicorum principiis addictus, vel debite tamen edoctus, negare audet, ner-vos, ex cerebri medulla oblongata et ſpinali exeuntes, et originaliter ex minimis ſub-ſtantiæ cineritiæ ſeu vaſculoſæ arteriolis na-ſcentes, per univerſum corpus diſſeminari, eorundemque pleroſque in cute, non in cœ-cos ſacculos, ſed in papillulas prominentes, orificiis patulis, ſtupendæ tamen exilitatis, inſtructas, terminari, immo, quod momen-tum præcipuum eſt, tubulos nervorum quoſ-cunque ſubtili quodam liquido conſtanter ir-rorari, idemque, inſtar ſanguinis ac lymphæ, perfectum, et nunquam in ſtatu ſano interru-

ptum,

ptum, abſolvere circulum. Ubi autem completus humorum circulus viget, ubi conſtans in ultimas propagines, ramulis reducentibus deſtitutas, liquidorum influxus adeſt, ibi neceſſario duplex apertura, in origine ſcilicet ac fine, adeſſe debet.

§. V.

Præter adductos tubulos exhalantes primi et ſecundi generis nonnulli anatomicorum *tertii* adhuc *generis canaliculos excernentes* in cute admittendos eſſe opinantur. Statuunt ſcilicet *glandulas miliares ſubcutaneas*, ſingulis poris cutaneis ſubjacentes, et excretoriis ſuis ductibus, emittendæ ſudoris materiæ inſervientibus, inſtructas. Sed, quid opus eſt, ut, admiſſis glandulis hiſce, entia præter neceſſitatem multiplicemus? Sola certe vaſcula exhalantia arterioſa, per varias cauſſas ſolito ſubinde ampliora reddita, etiam paullo craſſiori ſudoris materiæ excludendæ aptiſſima exiſtunt. Hiſce accedit, quod anatomicorum recentiorum præſtantiores glandulas haſce ſubcutaneas, quas nunquam detegere, aliisque oſtendere potuerunt, vel prorſus negent, vel valde dubiam tamen de iis foveant ſententiam. Diſſentientes quidem, pro harum glandularum exiſtentia ſtrenue pugnantes, ad innumera illa tubercula, ſub horripilatione febrili, metu atque terrore graviori, ut et prima frigoris actione conſpicua, nec minus

ad corpuſcula quædam ſphæroidea, cum ductibus ſuis excretoriis hinc inde, præſertim in palpebris, naſo, auribus, areolis mammillarum, ſub alis, in cute penis atque ſcroti, circa anum et pudenda mulierum &c. (*a*) inveſtigantibus obvia, ordinario provocant: Verum, argumenta inde petita mihi admodum infirma videntur. Memorata enim tubercula, ſubito ſub indicatis circumſtantiis naſcentia, poſteaque, mutatis mutandis, rurſus diſparentia, nihil aliud ſunt, niſi vaſculorum exhalantium extremitates, prope exitum ſuum, per fortem ac repentinam corporis reticulati MALPIGHII, cujus foraminula tranſeunt, conſtrictionem clauſæ, et ideo, ob vias excretorias ad tempus præcluſas, a ſenſim adducta, et exitum continuo moliente halituoſa materia in conſpicuos folliculos præternaturaliter expanſæ. Sphæroidea quoque corpuſcula, ſparſim in cute latitantia, ſecundum HEISTERVM, RVYSCHIVM, BOERHAAVIVM, alioſque, itidem arteriolarum extremitates judicantur, quæ a denſitate cuticulæ, vel materiæ contentæ craſſitie obſtructæ, in tubercula ſeu folliculos ejuſmodi extenduntur. (*b*)

§. VI.

Vaſorum exhalantium primi generis in cute

(*a*) Conf. Excell. Heiſt. Comp. Anatom. pag. 221.
(*b*) Conf. Idem l. c.

cute exiſtentia hactenus a medicorum nullo, quantum ſcio, in dubium vocata fuit, quum facillime per ſudorem, atque ſubtiliorem exhalationem cutaneam, aliaque probari poſſit: Quod vaſa autem inhalantia ſeu abſorbentia venoſa attinet, de illis multi adhuc dubitant, immo, nonnulli illa ipſa penitus negare audent, licet æque, ac priora, per *injectiones*, aliaque experimenta, ab anatomicis ſuſcepta, abunde fuerint demonſtrata. Nam ſacculus, ex cute cranii humani factus, et aquæ poſt clauſuram immerſus, eandem, teſte BELLINO (*a*), in cavitatem recipit, ita ut interna ſacculi ſuperficies humore aqueo probe madida evadat. Idem quoque B. BOERHAAVIVS obſervavit, cum ſacculus, ex cute humana, epidermide liberata, paratus, aquæ immergeretur (*b*): Immo, cera tincta ac liquida, methodo *Ruyſchiana* ſuper valvulas in venas impulſa, in manu pueri per innumerabiles poros venoſos, roris inſtar, denuo prodiit. (*c*)

§. VII.

Præter injectiones haſce, venarum in cute præſentiam manifeſtam pariter reddunt *corporum mobilium, extrinſecus adplicatorum, introitus*, eidemque, vel confeſtim, vel poſt modi-

(*a*) Tr. de Sanguinis miſſione p. 146.
(*b*) Vid. Ejusd. Prælect. Acad. ab Exc. Hallero edit. Vol. I. p. 274.
(*c*) Ibid.

dicum temporis intervallum, *ſuperveniens actio.* Argentum vivum v. g., licet fluidorum graviſſimum ſit, in unguentum cum pinguedine quadam redactum, et externe, circa manum ac pedum articulationes, vel alibi quoque, corpori illitum, in vaſcula capillaria, digitorum preſſione introitum adjuvante, pellitur, et inde ad interiora provolutum, rurſus cum humoribus lymphaticis impuris, qui globulis mercurii indolem nonnihil corroſivam conciliant, per glandulas ſalivales, inteſtinales &c. excernitur; Infantes debiles quoque, quoties nuda eorum corpora ſpongia, vino tepido imbuta, abluuntur, cito atque mirifice reficiuntur, et levis inde ebrioſitas, cum placido ſuperveniente ſomno, ipſis conciliatur. Quid dicam denique de aliqua adultorum temulentia, in cellis vinariis ex ſolo odore, et partium ſpirituoſarum inhalatione contracta, de celerrimo halitus torpedinis venenati introitu, et promptiſſima actione, de exanthematibus retrogredientibus aut retropulſis, de ſcabiei, luis venereæ, aliorumque morborum facillima propagatione per contagium, et ſimilibus? Nota profecto hæc omnia ſunt, et ſatis ſuperque, quæ dicta fuerunt, comprobant.

§. VIII.

Laudata vaſcula inhalantia et abſorbentia non tantum in externo corporis ambitu, ſed

in

in naribus quoque, ore, ventriculo et inteſtinis maximo reperiuntur numero. Nam vini hauſtus, quin unicus tantum panis bolus, vino generoſo impraegnatus, ſub manducatione, et adhuc magis poſt deglutitionem, via feſſos, aut labore et inedia debilitatos, illico reficit; manifeſto documento, in oris, œſophagi et ventriculi cavitates bibula hiare vaſcula, quæ absque mora ſubtilem atque ſpirituoſam alimenti partem abſorbent, et via breviſſima ad ſanguinem et fluidum nerveum deducunt. Similis propemodum tenoris argumentum ſuppeditat temulentia, quæ poſt opii, ſpiritus vini, aliorumque halituoſæ, mobilis, atque inebriantis naturæ corporum adſumtionem largiorem, præſertim in nondum adſuetis, brevi elapſo tempore, ſupervenire conſuevit. Ignotum quoque medicis eſſe nequit, clyſmata emollientia, vel alterius etiam naturæ atque virtutis, penitus nonnunquam, ſi apud ſanos ſcilicet, aut ægros plane retenta fuerint, ex inteſtinis ad ſanguinem, non per nota quidem vaſa lactea, quæ in inteſtinis craſſis vel prorſus deſunt, vel admodum exiguo tamen numero inveniuntur, ſed per bibulos venoſæ proſapiæ canaliculos, tranſire (*a*), et alvina pariter excrementa, juſto diutius in inteſtinis craſſis ſtabulantia,

(*a*) Conf. D. Chriſt. Philippi BERGERI Verſuch einer gründlichen Erläuterung merckwürdiger Begebenheiten in der Natur Obſ. XI. p. 210. ſequ.

ſicca evadere et arida, ac ſæpius proinde mucidas et ſemiputridas impuritates liquidas, quæ ſenſim per dicta vaſcula ad humores circulantes deferuntur, febres putridas, aliosque morbos producere, vel plus tamen minusve ad geneſin eorum atque augmentum conferre. Quibus denique ſubjungendum erit, penicillulos dictarum partium ſuccoſos per ipſas etiam comprobari injectiones: Aqua nempe in ventriculum, circa pylorum æque atque cardiam deligatum, infuſa, per vaſa brevia decurtata iterum exſtillat, et cera, methodo *Ruyſchiana* in venam meſeraicam impulſa, in cavum inteſtinorum penetrat. (*a*)

§. IX.

Nullo tandem modo dubitandum erit, quin vaſcula memorata in bronchiis pariter, et pulmonum veſiculis, nec minus in viſcerum quorumvis ſuperficie, ut et thoracis, abdominis atque uteri cavitatibus obvia ſint, quoniam multæ etiam obſervationes, multa experimenta, quæ præſentiam eorum in locis hiſce egregie probant, ſucceſſive innotuerunt. Aer quippe, ut nonnulla duntaxat adducam, flatu per aſperam arteriam in bronchia et veſiculas pulmonales pulſus, teſte MERIO *(b)*, venas ingreditur, ac ſenſim deinceps

(*a*) Conf. Ruyſch. Adverſ. Anat. D. II. p, 87.
(*b*) V. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1700. p. 217.

ceps ſiniſtrum cordis ventriculum diſtendit: Et, vice verſa, aer, follis ope per dextrum cordis ventriculum et arterias pulmonales impulſus, in veſiculas pulmonum tranſit, et aſperam arteriam nonnihil diſtendit; quid? quod, ipſa cera liquida, *Ruyſchiana* methodo venis pulmonalibus injecta, ſæpiſſime in cavas veſiculas exſudat. Non deſunt quoque experimenta, quæ de laudatorum canaliculorum præſentia, et apertura in reliquis partibus indicatis plana adferunt teſtimonia. Nam aqua ad aliquot uncias in abdomen canis, facta provida ejus inciſione, infuſum, elapſis aliquot horis, prorſus diſparet, et per vias urinarias excernitur. Succedit quoque poſterius, quando ambo ureteres filo ceraceo ligantur, et cani poſt vulneris deligationem, atque perfectam veſicæ a lotio exonerationem, catheteris ope inſtituendam, aqua largius haurienda offertur. Et uterus denique totus expanditur, quando flatus in venam hypogaſtricam immittitur; manifeſto documento, ramulos numeroſiſſimos venoſæ proſapiæ in uteri cavitatem hiare, et aerem, in majorem venæ hypogaſtricæ ramum, vel ejus truncum vi impulſum, denuo emittere.

§. X.

Ex recenſitis igitur experimentis cum conſtet abunde, quod halitus æque, ac ſubtiles liquores, per vaſcula, in cute, viſcerum

 ſu-

ſuperficie, et variarum cavitatum parietibus patula, ad ramos majores, et intimos corporis ac partium receſſus penetrent, inde pariter luculentiſſime pateſcere opinor, laudata fluida per nullos alios, niſi indicatos venoſæ originis tubulos inhalantes et abſorbentes, ſeſe inſinuare. Quicquid enim in cute et plerisque cavitatibus allegatis canales ſanguiferos intrat, vel per oſcula vaſorum inhalantium, vel exhalantium intrare debet: Verum, per poſteriora ingredi nequit, quippe quæ, ceu arterioſæ propagines, halituoſam quidem materiam, nec minus roridum humorem emittunt, nihil autem, extrinſecus receptum, ad interiora adducunt aut reducunt. Contrarios etenim ejusmodi motus uno eodemque tempore ac loco fieri poſſe, haud quisquam adfirmabit, præſertim, cum canaliculorum arterioſæ proſapiæ contractio ita ſit comparata, ut ejus ope fluida ex majori quidem ramulo in minores promoveri, tandemque, ni denuo ſub progreſſu deferantur ad venas, expelli, neutiquam vero adduci, et ex ramulis minoribus ad majores, ordine plane inverſo, deduci queant. Hiſce accedit, quod vis premens fluidorum exeuntium, ob ſolidorum contractionem, longe major ſit vi premente liquorum et halituum, ab extra intrare nitentium. Aliter comparatum eſt cum vaſculis inhalantibus originis venoſæ; quippe quæ nihil prorſus

edu-

educunt, et ideo, niſi aliquid ab extra intraret, ſemper forent vacua, et nullius in corpore utilitatis. Hæc igitur facilius liquida externe adplicata, nec minus halitus, in aere ambiente, et clauſis corporis cavitatibus præſentes, recipere et abſorbere, poſteaque, cum nulla fluida egrediantur, nec figura etiam et ipſorum tubulorum motus obicem ponant, ulterius ex minoribus ad majores ramulos, tandemque ipſas venas, ducere poſſunt.

* *

CAPVT V.

DE MEDICAMENTIS SYMPATHETICIS ET MAGNETICIS, NEC MINVS DE AMVLETIS.

§. I.

Morborum curationes *magneticæ*, quas alii, quanquam minus apte, etiam *ſympatheticas* vocare conſueverunt, adeo præteritis temporibus apud gentem Æſculapiam, et adhuc magis inter turbam plebejam, invaluerant, ut nulla propemodum ægritudinum ſpecies ſupereſſet, cui vetulæ, aut medici ſuperſtitioſi ſuaſu, non unum alterumve remedium, magnetice aut ſympathetice, h. e., citra cauſſam manifeſtam, citra ullum conta-

ctum, adeoque operatione plane abſcondita, profuturum, opponeretur. Senſim deinde, creſcente ſcientia phyſica, magis quoque magisque exculta arte chemica, hæc ſuperſtitio apud plurimos exſpiravit, et ita ubique imminuta fuit, ut hodie paucos ſaltem inter medicos doctos, ſolidis cæteroquin principiis medicis inſtructos, reperias, qui relationibus, curas magneticas concernentibus, aliquam adhuc fidem adhibeant, aut ipſi nonnunquam talia remedia in uſum vocare audeant. Verum et hæ reliquiæ, quantum fieri poterit, exſtirpandæ erunt: Aniles enim traditiones ſunt, quibus ratio refragatur, et caute pariter inſtituta obſervatio; Quemadmodum ea clarius ex morborum, atque cauſſarum morbificarum, ut et medicaminum, tam ordinariorum, quam extraordinariorum conſideratione uberiori patebunt.

§. II.

Morbi, qui hominum, aliorumque animantium corpora, mechanice ſtructa, invadunt, vel totam oeconomiam animalem, vel unam ſaltem, alteramve functionem animalem, vitalem, aut naturalem turbant, et ideo recte in *univerſales* et *particulares* diſtinguuntur. Morbi uniuerſales ſunt motus in univerſo corpore plus minusve irregulares, et proinde etiam functionum quarumvis læſiones ſecum comites adducunt: Morbi particu-

culares autem motus ſunt, in hac ſaltem, vel illa parte irregulares, immo, nonnunquam plane ſufflaminati; hinc unius, vel aliquarum duntaxat actionum læſione, aut plenaria ſubinde abolitione, ſtipati accedunt.

§. III.

Motus, tum in toto corpore, tum partibus, maxime irregulares redduntur, ac plus minusve a naturali ordine deflectunt, quoties juſto tardiores, vel juſto celeriores evadunt; Unde etiam fit, ut pleraque pathemata et ſanitatis incommoda in ſcholis medicorum, et ipſa praxi a *ſpaſmo*, aut *languida ſolidorum contractione*, vel a *circulo*, et *influxu humorum nimis veloci*, aut *nimis torpido*, quin *prorſus* in hac, vel illa parte *ſufflaminato*, primario deducantur. Cujusvis cæteroquin motus irregularis aut plane ſublati *cauſſa phyſica*, tam formalis, quam materialis, in partibus *ſolidis* aut *fluidis* hæret, et reſpectu ſolidarum vitia *ſitus*, *connexionis*, *texturæ*, *conformationis*, *magnitudinis*, *elateris* etc., reſpectu fluidarum autem vitia *quantitatis*, *fluiditatis*, *temperiei*, *mixtionis* &c. ſupponit; Hinc durante vitio ſolidi, aut fluidi, perdurat motus irregularis, ceu morbus, perdurant læſiones, aut abolitiones functionum, ceu ſymptomata; ablato contra vitio memorato, ad ordinem redit motus, priſtinæ libertati et

or-

ordini reſtituuntur functiones, adeoque cum cauſſa morbus, et cum morbo ſymptomata ceſſant.

§. IV.

Quoties igitur ſolidorum ac fluidorum vitia in corpore humano per congrua et adæquata remedia denuo removenda, adeoque, cauſſa ſublata, morbi tollendi ſunt, toties *partium quarundam ablatione*, aut *reſtitutione*, vel *translatione*, *transformatione*, aut *mutatione alia* opus eſt. Fiunt autem ſingula hæc ac fieri debent mediante motu *(a)*, et corpus movens præterea corpori movendo, vel mediate, vel immediate adplicari debet: Nullum quippe motum, quod plerisque dudum notiſſimum eſt, corpus corpori communicare valet, niſi movens movendum immediate, aut mediate, h. e., aliorum corporum interventu, contingat, et vis motrix prioris reſiſtentiam ſeu vim inertiæ poſterioris plus minusve ſuperet.

§. V.

Medicamenta, tam ordinaria, quam ſympathetica, ſunt ſubſtantiæ corporeæ, adeoque æque, ac corpora reliqua, ſi alias ab iis ſperare velimus effectum, partibus fluidorum aut ſolidorum mutandis mediate, aut immediate adplicari, et tum ipſa moveri oportet, tum

(*a*) Conf. cap. II. §. 1. 2.

tum etiam movere partes, quibus mutationem inferre debent. Et, quum hæc neceſſaria inveniantur, neceſſe pariter erit, ut quoad totam ſuam molem, et craſſiorem ſubſtantiam corpus intrent, aut iſtud ad minimum extrinſecus contingant, vel exhalationes teneriores, quæ ad interiora corporis penetrare, aut proxime tamen ad ſuperficiem ejusdem deferri poſſunt, transmittant. Quare pharmacorum etiam ſingula, quæ partium quarundam exhalatione, translatione et inhalatione agunt, aut ſuam tamen actionem abſolvere ſupponuntur, moleculis, minutiſſimis, volatilibus, activis, calore aut perenni motu inteſtino reſolvendis, inſtructa eſſe, et expulſa effluvia aerem, usque ad ægroti corpus, largius ac circumquaque replere, vel unice ſaltem via recta, non aliter, ac ſi lateralibus circumſepta eſſent limitibus, ad corpus ægroti, citra diſſipationem in atmoſphæra, tendere debent.

§. VI.

Verum enim vero, ſi ſub certa remedii magnetici a corpore ſanando diſtantia notabile atmoſphæræ ſpatium effluviis activis replendum eſt, inſignis, immo, ſi corpus ægrotum longius paullo a remedio diſtet, ſtupenda prorſus exhalationum copia requiritur, vel activa pharmaci putatitii effluvia venti ſecundi, ſive aeris verſus illum locum celerius

rius fluentis impulſu, absque ullo tamen ad latera viæ rectæ ſeceſſu, ad corpus ſanandum deferri, vel omnino ratione inſtructa eſſe debent, ut rectam viam ingredi, iter ſuum eadem proſequi, ac ſeſe in nullum aliud corpus, niſi ægrotum, nec in ullam aliam partem, niſi ægrotam, inſinuare, eidemque deſideratam ac deſtinatam medelam adferre ſciant. Prius quodammodo quidem ſub diſtantia parva, neutiquam vero ſub majori, quæ ſeſe, adfirmantibus ipſis curationum ſympatheticarum fautoribus, ad aliquot milliaria extendit, admitti poterit; poſteriora autem partim hypothetice impoſſibilia ſunt, partim abſurda: Quid enim prohibebit, quominus tenerrima effluvia in aere libero, motu perenni atque inteſtino ſub maxima etiam tranquillitate agitato, ſurſum quoque et verſus alias plagas progrediantur, et ſic penitus, vel maxima tamen ex parte, antequam ad ægrum perveniant, diſſipentur? Quis ſperabit, corpus ſanandum remedio ita ſemper e directo oppoſitum iri, ut ventum ſecundum, et cum eo transmiſſa effluvia activa, pro ſuperſtitioſi hominis lubitu, excipiat. Quis denique credere audebit, quamcunque volatilem medicamenti ſympathetici moleculam ratione præditam eſſe?

§. VII.

Si hactenus dicta remediis ſympatheticis

et

et magneticis paullo ſtrictius adplicantur, facile, uti ego quidem credo, patebit, putatitiam eorundem actionem fundamento, vel admodum lubrico niti, vel rectius, nullo. Medicamenta magnetica et ſympathetica enim partibus volatilibus vel inſtructa ſunt, vel iisdem deſtituta: Hæc in diſtans, ob ſummam effluviorum penuriam, aut plenarium defectum, agere nequeunt; illa autem, quæ ſanationibus ſympatheticis exigua plerumque quantitate impenduntur, tantam partium exhalabilium quantitatem nequaquam poſſident, ut ingens, et ſubinde ad aliquot milliaria protenſum, aeris ſpatium iis implere poſſint; multo minus effluvia, ob certiſſimam, et inevitabilem in aere libero diſſipationem et rationis defectum, curſum ſuum atque progreſſum, ſecundum lineam rectam, verſus unicam duntaxat et deſtinatam plagam, dirigere, et, prætermiſſis corporibus aliis, in unius duntaxat ægroti corpus penetrare, tantosque effectus, quales exſerere, ac ſæpius exſeruiſſe dicuntur, producere valent.

§. VIII.

Non evertunt propoſita, nec ullum hactenus conſideratæ ſuperſtitioni largiuntur patrocinium experimenta, cum magnete ſuſcepta; itemque numeroſæ a fautoribus allegatæ obſervationes. Magnes quippe ſub certa tantum, nec adeo longa, diſtantia in ferrum

agit,

agit, et obſervationes quoque fidem amittent, quamprimum empiria craſſa et plebeja, remotis præjudiciis et fallaciis cauſſarum, in veram atque prudentem mutabitur experientiam. Haud raro enim, quod ſupra pridem dictum fuit, mutationes, quæ in corpore humano ſub uſu medicamentorum eveniunt, ab uſu eorum erronee deducuntur, et frequentiſſime pariter coincidentia ab una eademque cauſſa, licet agnoſcant diverſiſſimam, derivantur, immo, ſæpiſſime veræ effectuum cauſſæ negliguntur, et effectus obſervati aliis cauſſis, tunc temporis plane inſontibus, adſcribuntur. Nihil dicam de forti imaginatione ægrotantium, quæ perſæpe, absque medicaminis adjumento, ſingularium in corpore mutationum, et ſalutarium æque, ac minus ſalutarium, effectuum cauſſa evadit. (α)

§. IX.

(α) Medicum novi doctum et a ſuperſtitione liberum, cui homo quidam, alchemiæ deditus, maſſam ſalinam, lapidis inſtar concretam, et ex vitriolo, ſale culinari, et vitro contuſo paratam, aliquando offerebat, eandemque, certa quantitate cum urina recenti, ſub continua cum ſpatula lignea agitatione, coctam, apud eum hominem, qui urinam ſuppeditaſſet, fortem ſudorem, ſi homo duntaxat coctionis tempore ſeſe in lectum conferret, aut corpus veſtimentis probe contegeret, certiſſime provocaturam eſſe, audacter adſerebat. Medicus ille, etiamſi nullam relationi fidem adhiberet, experimentum nihilominus cum ſua urina per famulum curavit inſtituendum, et, cum illi, lapidem

§. IX.

Argumento, in antecedentibus pertractato, nonnulla hoc loco ſubjungenda ſunt de AMULETIS MEDICIS, quæ in genere vel *licita* audiunt, vel *illicita*. Poſterioribus hiſce ea, quæ magicis artibus, aut craſſiori ſuperſtitioni originem debent, et ordinario, ſive ex metallo, ſive materia alia fuerint fabrefacta, ridiculis, abſurdis, atque impiis characteribus, figuris, imaguncalis &c. ſignata repe-riuntur, nec minus ſchedulæ illæ chartaceæ aut

dem cum urina ebulliente jam jam miſceri, nuntiatum eſſet, corpus, in lecto compoſitum, ſtragulis debite cooperuit, eventum interea anxie exſpectans. Sed, ecce! ſub hoc animi motu leniori lenior prorumpit ſudor, et ſcepticum noſtrum nonnihil perturbat: Verum, quum ratio adhuc conſtanter repugnaret, priſtinæ ſuæ ſententiæ nondum valedicere, ſed experimentum alio potius tempore reiterare, et, obfirmato animo, corpus veſtimentis ſolummodo contra aerem externum munire decrevit: Quo etiam facto, iterum a dubio, quod paullatim progerminare incipiebat, perfecte liberatus fuit. Nullus enim ſuperveniebat ſudor, licet urina æque, ac prima vice, et longe adhuc diutius, cum lapide ſympathetico coqueretur. Simile quid, ſimillimo pariter eventu, B. HOFFMANNUS, aliique obſervarunt, ut ideo nullum ſuperſit dubium, quin ſudoris proruptio, ſi interdum contingat, partim imaginationi, ac leniori animi commotioni, partim etiam aucto per ſtragula aut veſtimenta calori adſcribenda ſit.

aut membranaceæ, quibus certæ literæ, certa vocabula, aut integræ, et ſubinde ſatis ineptæ, periodi inſcripta ſunt, jure adnumerantur; ad priora autem ſingula referri merentur corpora naturalia, e triplici naturæ regno deſumta, quæ vera activitate medica, et inde etiam pendente hac vel illa virtute generali aut ſpecifica, tollendo morbo, cujus gratia adpenduntur, aut alligantur, apta omnino et adæquata, inſtructa ſunt, vel ad minimum inſtructa creduntur: Quare hæc ipſa in *activa* quoque, et *inertia* ſive *fatua* commode diſtingui poſſunt. Activa, vel quoad totam ſuam molem volatilia ſunt, vel mobiliſſimis tamen, volatilibus, et activis ſcatent particulis, quæ ſenſim evolutæ, ſenſimque e maſſa adpenſa prodeuntes, aerem circumfuſum, ſeu particularem corporis atmoſphæram plus minusve replere, eamque, ſi qualitatis quo jam vitio laboret, emendare, adeoque corpus contra aeris corrupti injurias defendere, vel in ipſo etiam corpore, dum in ſuperficiem ejus agunt, aut altius per patula vaſcula inhalantia penetrant ad interiora, ſalutarem atque ſpecificam mutationem producere valent: Fatua ſive inertia ex adverſo particulis volatilibus vel prorſus carent, vel pauciſſimas ſaltem, ac parum inſuper activas, adeoque inferendis mutationibus, ad morbos nunc profligandos, nunc arcendos neceſſitatis, impares, poſſident; unde in propatulo,

tulo eſt, nullum ab iis auxilium vere medicum, etiamſi cum maxima nonnunquam fiducia a credulis, et virium ignaris adhibeantur, exſpectari poſſe, ſed rectius ea ad crepundia medica, et ridicula corporis ornamenta referenda eſſe.

CAPVT VI.

DE ELEMENTIS CORPORVM CHYMICIS, ET INDE NASCENTIBVS GENERALIORIBVS MEDICAMENTORVM PRINCIPIIS ACTIVIS, CEV CAVSSIS EFFECTVVM MATERIALIBVS.

§. I.

Elementa ſeu *Principia corporum*, ex mente recentiorum quorundam, ſunt entia, extenſione, magnitudine, figura, gravitate, et motu inteſtino prorſus deſtituta, ideoque vere ſimplicia, ſeu *Monades*, quæ per ſe quidem nullum replent ſpatium, ſuo tamen concurſu extenſa, ſive corpora formant atque producunt. Hæc itaque, ſi exiſtentia eorundem alias certa, jure ſummo *elementa corporum phyſica* vocari merentur. Secundum *chemicorum* autem placita, *corporum principia*, ſub extrema ſcilicet tenuitate ſua, puritate, ac

relativa ſimplicitate conſiderata, ſunt atomi phyſicæ, ſeu extenſa minima, inviſibilia, mobiliſſima, actu indiviſibilia, aut ad minimum tamen impenetrabilia, e quibus ſingula corpora, quæ univerſum complectitur, originaliter reſultant, et in quæ ultimo iterum reſolvuntur.

§. II.

Mirandam igitur eorum exiguitatem nunquam ſenſibus noſtris, ſed quodammodo ſaltem ratione aſſequimur. Quum corpora enim *primigenia*, ſeu *mixta prima*, quin ipſæ particulæ minimæ, aggregatione et implicatione ſua molem corporum compoſitorum aut decompoſitorum conſtituentes, tantæ ſint ſubtilitatis, ut priora omnem ſenſuum aciem eludant, poſteriores autem oculos, optimis etiam microſcopiis armatos, ſub ſtupenda quidem exiguitate, nondum tamen ultima, incurrant, ridiculum profecto eſſet, principiorum, et corpuſculorum primigeniorum cognitionem per ſenſus ſperare. Vnicum v. g. auri granum, referente BOYLEO (*a*), in tenuiſſimum foliolum ab artifice diductum, 50. pollicum quadratorum ſpatium implet. Quare ſi latus cujusvis pollicis in 200. partes dividitur, ſupputante celeberr. WOLFFIO (*b*), quilibet pollex 40000. partes continebit, qua-

(*a*) Tr. de mira ſubtil. effluv. cap. 2.
(*b*) In Phyſicaliſchen Verſuchen T. I. p. 4. ſequ.

quarum unaquæque corpus ſiſtit quadratum, cujus latus $\frac{1}{200}$ partem pollicis, h. e., $\frac{1}{20}$ partem lineæ complectitur. Vigeſima lineæ pars, quanquam valde exigua ſit, oculos tamen nudos adhuc ſatis diſtincte incurrit, poſteaque microſcopio ſubjecta, multas adhuc partes, prioribus longe minores, oſtendit. Nunc autem foliolum, ex unico auri grano factum, quinquaginta ejusmodi quadrata offert, quorum ſingulum in partes 40000 ſeſe dividi patitur, nudis oculis diſcernendas: ergo integrum foliolum aureum complectitur 2000000 exigua quadratula, et conſequenter 2000000 partes ſeorſim adhuc conſpicuas. Si poſtea ulteriorem cum Auctore laudato computationem inſtituere velimus, tandem cognoſcere poſſumus, unicum auri granum ex 16000 millionibus, immo, adhibito tali microſcopio, quod minutum tale corpuſculum, oculis nudis adhuc diſcernendum, ſub magnitudine, vera magnitudine trigeſies mille majori, viſui ſiſtit, ex 60000 millionibus partium, vere adhuc aurearum, conſtare. Adeoque ſi porro, tametſi ſaltem hypothetice, ſupponere placeret, quamcunque ejusmodi moleculam auream, quam nobis in præſenti auream minimam concipere volumus, ex aliquot particulis, diſſimilis quidem, mineralis tamen indolis, et harum quamlibet ex aliquot iterum corpuſculis primigeniis terreis, ſalinis, ſulphureis compoſitam eſſe,

ſtupendus ſane, ſingulis debite ad calculum revocatis, partium numerus, quæ nondum tamen, ceu corpuſcula, ex principiis per primam mixtionem enata, ipſorum principiorum exilitatem aſſeqvuntur, reſultaturus eſſet.

§. III.

Exemplum notatu pariter digiſſimum B. STAHLIVS de ſulphure vulgari minerali ſuppeditat, quod planum quoque de mira corporum ſubtilitate teſtimonium adfert, et ita ſeſe, ſecundum ejus deſcriptionem *(a)*, habet: „Imponatur minimo crucibulo, prius „ponderato, ſulphuris communis pulveriſati „drachma una: In medio hujus ſtabiliatur „(filo tenero metallico) ellychnium, e filo „ſulphure imbuto; ea ratione, ut longitudo „hujus vix ſupra ſulphuris pulverem emi„neat. Repoſitum ſub camino, ab omni in„curſu venti tranquillo, accendatur illud „filum, ut non majori flamma ardeat, quam „parva lens. Ardeat ita per horæ ſpatium: „Quo elapſo, extinguatur levi afflatu. Pon„deretur iterum crucibulum cum adhuc reſi„duo ſulphure. Ita invenietur, quod totius „horæ ſpatio, oculis interim ſemper conſpi„cua flammula, vix aliquid ultra dimidium „aſſumti ſulphuris, in auras diſſipatum ſit. „- - - Cer-

(*a*) Vid. Ejusd. Experiment. Obſervat. et Animadverſ. chym. et phyſ. p. 48. §. 12.

„- - - Certe, *paragrapho* 35. *pergit*, cogita-
„tionem meretur, quam immenſæ exilitatis
„debeant eſſe illa ignea corpuſcula, quæ,
„totius horæ ſpatio, indeſinente rapido mo-
„tu, in aerem liberum diripiuntur; cum in
„ipſo ſulphure, in conſortio aliorum adhuc
„comprehenſa, tam parvam molem effor-
„maverant, ut vix majus piſum æquarent.
„Dum inſuper ponderis, quod tunc molecu-
„la talis oſtendebat, vix centeſimam partem
„conſtituiſſe vero ſimile ſit. Quamvis
„enim animadverſio octava in præcedente
„§. XXXIII. allegata, de motu verticillari,
„non ita velocem localem progreſſum, ſeu
„diſſipationem, ſubeunte, ſatis certa ſit; ta-
„men indeſinens odor penetrantiſſimus talis
„ardentis flammulæ ſatis teſtatur, quod
„omnino etiam indeſinenter disjectio talis
„tenuiſſima in aerem continuetur &c.

§. IV.

Non deſunt quoque ſtupendæ corporum diviſibilitatis, et incomprehenſibilis particularum exilitatis exempla in regno vegetabili et animali. Unicum quippe moſchi aut Zibethi granum per integrum annum, et ultra, ſine intermiſſione odorem ſpargit balſamicum, et innumera paullatim effluvia in aerem circumfuſum abeunt, licet nullum ſingulare ponderis decrementum ſentiatur, et cunctæ nihilominus particulæ, per aerem diſperſæ,

 et

et ſpecifica moſchi aut Zibethi mixtione adhuc gaudentes, haud incongrue volatilia moſchi aut Zibethi fruſtula dicendæ ſint. Animalcula ſpermatica, a LEEUWENHOECKIO primum detecta, tam exigua deprehenduntur, ut 100000, adfirmante inventore laudato, ſpatium, amplitudine modicum arenæ granulum æquans, corporea ſua mole vix impleant: Qvid? quod, ſcriptor quidám recentiſſimus, nimirum IOH. GEORGIVS SVLTZERVS, refert *(a)*, ſe microſcopii præſtantiſſimi ope, quod ipſe conſtruxit, in mucida materia, quæ dèntibus adhæret, et maxime eorum interſtitiis reperitur immerſa, vermiculos, quorum dudum tamen LEEUWENHOECKIVM mentionem feciſſe *(b)* fatetur, obſervaſſe, tam exiguis corpuſculis a natura præditos, ut ſpatium; quod ad recipiendum unicum pulveris pyrii, debite lævigati, granulum requiritur, eorum 134217728, adeoque centum et triginta quatuor milliones complecti poſſit. Heu, quam ſtupenda integri animalculi, et integræ ideo machinæ artificioſiſſimæ parvitas! Quid igitur exſpectandum, ſi quis a magnitudine totius corporis ad determinandam magnitudinem partium, viſcerum videlicet, vaſorum &c. progredi vellet? Nonne longe adhuc major ſub-

(a) V. Ejusd. Verſuch einiger moraliſchen Betrachtungen über die Wercke der Natur p. 2. ſequ.
(b) In Arcanis Naturæ detect. p. 42. 46. 335. 337.

ſubtilitas, nondum tamen ad corpuſculorum primigeniorum, et ipſorum principiorum ſubtilitatem accedens, proditura eſſet?

§. V.

Quanquam principia corporum chymica, ſolitaria ſcilicet, et quoad minimas particulas conſiderata, nobis, ſenſuum externorum ope, nec innoteſcant, nec unquam innoteſcere poſſint, in aggregatione nihilominus, et mixtione corporea craſſiori numerum eorundem, diverſitatem, atque indolem cognoſcere licet. Sunt autem quatuor, nimirum principium *inflammabile*, quod vulgo Φλογιϛὸν itemque *ſulphureum* dicitur, et deinde *ſalinum*, *aqueum*, atque *terreum*. Duo priora, præſertim inflammabile, jure rerum corporearum ſpermata, et, ob excellentiam, activa principia vocari merentur; poſteriora autem rectius matrices audiunt, quoniam illa recipiunt, iisdemque ſub mixtione baſin atque recipiens præbent, ut quaſi figi, et in corpora, ſenſibus obvia, coaleſcere poſſint. Terra primordialis maxime matricis nomine digna æſtimanda eſt, quum principium ſulphureum et ſalinum in ſenſu chymico nec evadat, nec unquam evadere poſſit corporeum, niſi terreum recipiat, et cum eodem arctius cohæreat.

§. VI.

Principia corporum chymica pura, et extra omnem mixtionem atque compoſitionem ſpectata, per quoscunque corporum poros ac cavitates, totamque telluris atmoſphæram diſperſa eſſe, quin etiam, præſertim inflammabile, ſpatium univerſum, ſoles ſeu globos mundi lucidos, et planetas ſive globos opacos illuminandos intermedium, ſub mobiliſſimi et inviſibilis fluidi forma, replere, magna apud me probabilitate gaudet: Hinc memoratum quoque ſpatium immenſum, quod, cum nihil ſenſus noſtros incurrat, plane vacuum videtur, haud incongrue comparari poterit cum immenſo mari ſeu oceano, globos mundanos circumfluente, et ex principiis puris, ac relative ſimplicibus conſtante. Inde innumeri quaſi rivuli in atmoſphæras globorum, ipſosque globos derivantur, atque primam materiam, ad corporum geneſin neceſſariam, ſuppeditant. Ex memoratis enim principiis per ſimplicem mixtionem, cohæſionem, coaptationem, et complicationem oriuntur *corpora primigenia* ſeu *principia principiata*, quæ adhuc tamen tantæ ſunt ſubtilitatis, ut nunquam ſenſibus noſtris, quoad ſolitarias moleculas, ſed ſub ulteriori demum cum aliis compoſitione, vel ex parte etiam ſub craſſiori aggregatione in molem majorem, obvia reddantur: Tam firma

ma præterea elementorum cohæſione hæc ipſa gaudent, ut, adſtipulante B. STAHLIO *(a)*, illorum ſeparatio a ſe mutuo longe difficillima ſit, tum ob conjunctionis exactitudinem, tum ſuperlativam ſingulorum illa conſtituentium parvitatem, quæ omnis inſtrumenti, ad ſeparationem adhibendi, uſum prorſus excludunt.

§. VII.

Corpuſcula primigenia ſeu mixta prima ultra atmoſphæræ limites nunquam adſcendere, ſed libere ibidem, poſt corporum compoſitorum, ac decompoſitorum reſolutiones illuc abrepta et evecta, fluctuare, circumferri, atque ſucceſſive, vel in ipſa iterum principia, naturæ artificio nobis ignoto, reſolvi, vel, citra hanc diſſolutionem, ad novorum compoſitorum geneſin concurrere, vero videtur ſimillimum. In atmoſphæra quippe corporum initia fiunt, primaque ponuntur rudimenta, ibidemque etiam plenariæ iterum compoſitorum reſolutiones contingunt. Credibile quoque eſt, principia, quamprimum in ſpatiis, atmoſphæræ terminis paullo altioribus, in mixta prima coaleſcunt, in ipſas atmoſphæras protinus deſcendere. Nam planetarum, et fortaſſis etiam globorum lucentium, atmoſphæræ expanſa fluida ſunt, quæ ex confuſe invicem mixtis, ac

(a) In Specim. Becheriano p. 29.

ac ſine cohæſione fluctuantibus principiis puris, corpuſculis primigeniis, et multis quoque compoſitis, ut ut ſubtiliſſimis, conſtant, ita tamen, ut in ſuprema aeris atmoſphærici regione, numero ac quantitate, prædominari videantur principia pura, in media corpuſcula primigenia, et in infima compoſita, ulterius reſolvenda, primo in mixta prima, tandemque in ipſa principia, niſi forſan ante hanc diſſolutionem, præſertim ultimam, novæ iterum compoſitioni, aut compoſiti pridem ac decompoſiti corporis incremento impendantur.

§. VIII.

Mirandum inde in ſyſtemate mundano circulum cognoſcimus: Cognoſcimus pariter, nunquam deficere, nec unquam defuturam materiam, ad ſtruenda corpora cujusvis generis ac ſpeciei aptam. Eo ipſo enim temporis momento, quo certa principiorum quantitas, certusque numerus geneſi corporum impenditur, eodem, inquam, temporis momento rurſus per effluvia corporum tantum adfertur, et atmoſphæræ redditur, quantum ad reſarciendum corporum primigeniorum, quin, ultima peracta reſolutione, ipſorum principiorum defectum neceſſarium eſt, ut ideo etiam ſatis probabiliter liceat ſtatuere, quantitatem principiorum, extra mixtionem ac compoſitionem, adeoque ſeorſim ſpecta-

ctatorum, ſemper eandem eſſe, nunquam videlicet majorem, nunquam minorem; aeque propemodum, ac in oceano telluris noſtræ, in quem tanta ſemper aquæ moles per flumina revehitur, quanta in terræ viſcera penetravit, et exhalatione perenni ablata eſt. Fit autem laudata reſtitutio per halitus atque vapores, et quidem 1.) ſub corporum compoſitorum ac decompoſitorum violenta deſtructione per ignem, 2) ſub putrefactione, et 3) ſub continua corporum, præſertim viventium, transſpiratione et exſpiratione.

§. IX.

Quum principia corporum chymica ſint extenſa, nullo quoque modo dubitandum erit, quin ea pariter, quoad ſolitarias ſcilicet, easque impenetrabiles et actu indiviſibiles, particulas ſpectata, certa prædita ſint figura, licet nulla certæ in hoc paſſu cognitionis ſpes adfulgeat, ſed cuncta potius, quæ nonnulli de figura proponere auſi fuerunt, meris conjecturis nitantur. Id vero certius adſerere licebit, principia chymica in triplicis naturæ regni corporibus non eſſentialiter, uti uberius monſtrabitur in ſequentibus, ſed ſaltem accidentaliter differre, et poſt plenariam ideo reſolutionem, reſtituto nimirum unoquoque in priſtinam puritatem, nihil prorſus diſcriminis principium *terreum* et terreum, *aqueum* et aqueum, *phlogiſton* et phlogi-

phlogiſton, *ſalinum* et ſalinum intercedere, ſive antea in mineralis, ſive vegetabilis, ſive animalis mixtione latuerit, dum ſola proportionis et mixtionis diſcrepantia mirandæ differentiæ cauſſa cenſenda eſt.

§. X.

Hactenus propoſita, conjunctim penſitata, nos ſatis docent, ex *principiis* memoratis, *inflammabili* videlicet, *ſalino*, *terreo* atque *aqueo* primordialiter, ſi natura nempe per gradus deſcendit, et paullatina ac gradualis corporum generatio contingit, *mixta prima* ſive principia principiata, *phlogiſton* ſcilicet, et *ſal primigenium*, et ex hiſce poſtea, de novo tamen atque creberrime concurrente principio terreo et aqueo, *corpora compoſita*, et ſic porro *decompoſita*, ac *ſuperdecompoſita* naſci: Immo, docent quoque, corpora decompoſita, ſuperveniente nimirum paullatina ac graduali deſtructione, primo in compoſita, hæc in mixta prima, et illa tandem in ipſa principia denuo reſolvi, rariusque naturam operantem, ſi violentas quasdam deſtructiones per combuſtionem in montibus ignivomis, aliisque naturæ laboratoriis ſubterraneis &c. quodammodo exceperis, hunc ordinem transſcendere, ſaltumque admittere.

§. XI.

Sed ſufficiant hæc de principiis chymicis

in genere; Nunc ſpecialius de ſingulis, et primo quidem de INFLAMMABILI agere conſultum duco. *Principium inflammabile*, alias quoque *phlogiſton*, *igneſcens*, *ſulphureum* &c. dictum, cum principio ſicco terreo arctiſſime coaleſcens, *phlogiſton primigenium* gignit, quod omnium poſtea corporum *inflammabilium, igneſcentium, ſulphureorum, unguinoſorum* ac *pinguium* baſin, et præcipuum elementum, quin ipſam materiam *calorificam* et *igneam*, quæ cum *ætherea*, *electrica*, et *magnetica* una eademque eſſe videtur, conſtituit: *Caloris*, inquam, *ignis gliſcentis* atque *flammantis materiam*, nondum tamen, ſub relativa ſcilicet quiete conſideratum, *ipſum ignem actualem*; quippe qui tunc demum oritur, quando materia laudata, per varias cauſſas, maxime autem per *fortem corporum attritum*, tum viſibilem in ſolidis, tum inviſibilem in fluidis, impulſa, in motum ruit verticoſum celerrimum, et, tenerrime reſoluta, ſub motu hoc ſpecifico, ceu *cauſſa* ignis *formali*, oculis lucis, tactus vero organis caloris, vel ſi motus velocior, adeoque etiam impetuoſior eſt, ardoris ſenſum imprimit. Nam calor, ignis ardens, candens, lucens, flammans ac flagrans ſunt ſaltem motus hujus materiæ ſpecifici verticillares, immanentes, nec proprie progreſſivi, qui velocitatis gradu, non penitus tamen excluſa differenti materiæ rapidius com-

commotæ quantitate, ac denſiori aut rariori aggregatione, ab invicem diſtinguuntur.

§. XII.

Memorata B. STAHLIVS, cui clariorem hujus principii evolutionem debemus, ſuo pariter ſuffragio corroborat: „Si de illo, „ſcribit (*a*), ſermo eſt motu, quem commu-„nis hominum conſenſus ab omni ævo no-„mine *Ignis* deſignat; nempe viſibili maxime „ratione, ardente, candente, lucente, flam-„mante, immo flagrante, omnia quocunque „modo pingvia prompte corripiente, et ſen-„ſim abſumente: De hoc, inquam, igne ſi „loquatur propoſitio, diſtinguendum erit in-„ter materiam talis ignis et formam, ſeu uti, „hic apprime quadrat loquendi (magis vul-„go, quam demonſtrandi) formula inter „materiam et motum. Materiam integrum, „eſt definire, 1.) quod ſit corporea; 2.) te-„nuiſſima, et quidem in eo tenuior ipſo ae-„re, quod cum aer ſe notabiliter condenſari „et congregari permittat (in ſclopetis pnev-„maticis) hæc noſtra, quantum usquam ad-„huc innotuit, in ſua ſimplicitate atque puri-„tate, nullam congregationem ſeu conden-„ſationem admittat: 3.) In ſe ipſa elaſticæ „expanſioni ſubjecta: 4.) In mixtiones „aqueo-ſalino-terreas accedens, 5) in tali mixtio-

(*a*) In Experimentis &c. chymico-phyſicis pag. 194. ſequ.

„mixtione ignem, vulgo dictum, conſti-
„tuens: 6) ipſo vero actu igneſcendi, illas
„reliquas facile iterum deſtituens: 7) non
„tamen ſine concurſu aeris aut flatus repente
„elaſtici: 8) ſub hoc ipſo autem actu ulti-
„mæ evolutionis e ſua mixtione, ſupremà
„tenuitate, in aëris latifundium diffugiens
„9) ſuper hæc omnia vero materia hæc ſola
„ſit illa ſubſtantia corporea, quæ mixtionibus
„innexa, illud, quod Ignis nomine, uſitata ac-
„ceptione, appellatur, ſuſcipit, ſubit, atque
„præſtat: 10) nempe, juxta Scholarum no-
„menclaturam, formam; quæ hanc materiam,
„ut ſit corporalis Ignis, perficit, efficit, at-
„que efformat potius, quam, ut loquuntur,
„informat. Forma hæc nihil aliud eſt, quam
„peculiaris plane ſpecies motus, tenerrimi,
„citatiſſimi, ultra propemodum, quam con-
„ceptu aſſequi licet: Verticillaris, circa cen-
„trum materialium corpuſculorum, illa rapi-
„diſſime pellentis et circumagentis &c.

§. XIII.

Phlogiſton non tantum ignis gliſcentis ac flammantis, ſed *cohæſionis* pariter, *nutritionis*, *odoris*, quin *coloris*, cauſſa materialis præcipua æſtimandum eſt: Nemini quippe, rerum chemicarum nonnihil ſaltem gnaro, ignotum eſſe poterit, metalla, ac corpora ſemimetallica, ut et plantas et animalia, exuſta portione ſulphurea, bituminoſa, reſinoſa, ungui-

unguinoſa, pingui, mucilaginea, gelatinoſa, quae ſingulae inflammabilem ſubſtantiam pro baſi ac parte conſtitutiva primaria agnoſcunt, illico in calcem, crocum, cinerem, uno verbo, in pulverem, aut tamen materiam friabilem, leni tritura in pulverem redigendam, fatiſcere, et, reſtituto quoque hoc principio, ad priſtinam formam ac conſiſtentiam ex parte reduci: Ex parte, inquam; dum perfecta reductio cum quibusdam duntaxat mineralibus, minime vero cum vegetabilibus et animalibus, ceu corporibus non mere mixtis, ſed ſimul quoque artificioſiſſime ſtructis, ſuccedit. Haud quemquam pariter latebit, ſubſtantiam illam, quae apud plantas et animantia proprie nutriens exiſtit, oleoſam, pinguem aut mucilagineam eſſe, eamque vegetabilia non tantum cum ſucco, per radices intrante, cui ſub craſſiori pridem conſiſtentia immixta eſt, ſed per patulos etiam poros in ſuperficie foliorum, ramorum, truncorum ac caulium diſpoſitos, ex aere haurire, in quo hinc inde ſub ſpirituoſa tenuitate vagatur.

§. XIV.

Ultimum receptionis modum laudatus STAHLIUS unice propemodum, habito ſcilicet ſolo reſpectu ad introitum ſubſtantiae inflammabilis, admittere videtur: "Animad-

„ver-

„vertimus, inquit (*a*), quod igneſcens „illa materia, quando fit ignis actu, in libero „aere, ſub tanta tenuitate, dilabatur, ut ſen- „ſus noſtros ſubterfugiat, incomprehenſibili „ſuâ tenuitate. Redit ad ſenſus noſtros, pri- „mo omnium, in vegetabilium corporibus, „quorum penitiſſimis receſſibus ita inter- „texitur, ut nulla horum portiuncula, quan- „tumque exigua, deprehendatur, quin de „hac materia aliquid contineat. Abundan- „tiſſime omnium autem in reſinis invenitur. „Jam, cum vegetabilia, immediate aut me- „diate, omnium animalium nutrimentum pri- „marium conſtituant: Vix dubitare licet, „quod vegetabilia ſint ordine prima, quæ „hanc materiam ſuæ mixtioni attexunt. Por- „ro, cum talis nova receptio in mixtionem, „non fieri poſſit ſub craſſiore aliqua conſi- „ſtentia; vero nihil eſt ſimilius, quam quod „aditus ille et acceſſio, ad novam in vegeta- „bilibus mixtionem, fiat in ſumma illa te- „nuitate, quam ſub actuali igneo motu ſub- „ivit. In tali tenuitate, cum in aerea atmo- „ſphæra, quam plebs cœlum interpretatur, „velut immenſa quantitate, diffuſa verſetur; „poteſt ex illa, tanto liberius, imo et uber- „rime in novam mixtionem irretiri. Suffra- „gatur huic aſſerto reſinoſarum arborum „proventus lætiſſimus, non in madidis aut „uliginoſis locis; in quibus neque creſcunt,

E 2 „neque

(*a*) Lib. cit. p. 44. ſeqq.

„neque ullo modo durant, ſed in ſiccis are-
„noſis: E quibus nonſolum in genere parum
„ipſis nutrimenti ſuppeditari poteſt; ſed et
„tanto minus quisquam ſuſpicabitur, quod
„de ſubſtantia arenæ materia talis efformari
„poſſit, quæ ut omnium, quas novimus, te-
„nuiſſima, admixtione ſua ad reliquam ve-
„getabilium ſubſtantiam, ibidem igneſcen-
„tem hanc materiam ſignat, atque repræſen-
„tat. Unde nihil eſt ſimilius vero, quam
„quod materia hæc tenerrima, cum roſcida
„humiditate, quæ non minus in aere abun-
„dat, in vegetabilia hæc ſeſe inſinuet. Et
„hoc quidem mediante adhuc ſalina quadam,
„pariter halitus forma in atmoſphæra vagan-
„te, ſubſtantia &c.

§. XV.

Quanquam adducta maximam quidem partem nitantur veritate, nullo tamen modo dubitandum erit, quin notabilis quoque materiæ inflammabilis portio, præſertim in terris pinguioribus, ſimul cum ſucco nutritio, ſub craſſiori tamen forma, plantarum tubulos per radices intret. Confirmant hæc inter alia experimenta et examina, detegendæ fertilitatis cauſſa a D. DOCT. KÜLBELO *(a)* ſuſcepta: Ex pingui nempe terra, et absque fimo fertili, adjuvante digeſtione, tandem-
que

(a) Vid. ejusd. Diſſert. de cauſa fertilitatis p. 9. ſequ.

que ipſa decoctione, materiam terreo-ſalino-unguinoſam aqua calida penitus extraxit, ita, ut nil, niſi craſſior portio ſabuloſa, ulteriorem ſolutionem plane reſpuens, remaneret. Magma unguinoſo-ſalino-terreum, quod poſt lenem lixiviorum evaporationem impetraverat, brunneo-rubicundi coloris erat, et, aqua rurſus ſolutum atque filtratum, colorem rubicundum elegantiorem, debitamque pelluciditatem adquirebat, nec amplius terrei quidquam, licet iterata vice ſolveretur, ad fundum deponebat. Notabile quoque eſt, quod ſub prima lixivii evaporatione cuticula ſalina, qualem ſalia lixivioſa ſub ſui evaporatione formare ſolent, ultimo enata fuerit. Extractum concentratum, deſtillationi in cucurbita ſubjectum, primo phlegma transmiſit, debilem odorem atque ſaporem terræ, unde extractum erat, referens, deinde, lixivio adhuc ſpiſſiori facto, liquor flaveſcens odoris empyrevmatici prodiit. In fundo terra levis, ſpongioſa, albeſcens, ſuperſtes erat, quæ, aqua elixiviata, portiunculam ſalis fixi, medii, neque cum acidis, neque alcalicis efferveſcentiæ motum ſubeuntis, ſuppeditavit. Materia ſub deſtillationis initio valde ſpumeſcebat, ut ideo etiam igne opus eſſet moderatiſſimo, ne vaſis deſtillatorii oras tranſcenderet, et ſubtiliſſimum mucum in recipiens eructaret Cum extractum igne aperto calcinaretur, mera terra,

 inſtar

inſtar nivis candida, nec amplius in aqua ſolubilis, remanebat. Portio ſalina, quae longe minori quantitate, quam pars terreo-unguinoſa praedicti magmatis mixtionem ingrediebatur, in aliis terris fertilibus magis ad indolem nitroſam accedebat, in aliis vero ſal enixum, vulgari magis analogum, in aliis alcalicum, exhibebat. In terris ſterilibus ſalina haec materia magis acidae indolis erat, et quantitate praeterea minori inhaerebat. Terrae igitur fertiles quaecunque, ſecundum laudati Auctoris experimenta, ſubſtantia terreo-ſalino-unguinoſa, in aqua ſolubili, inſtructae ſunt, et quo terra quaedam fertilior eſt, eo majori materiae deſcriptae quantitate donata reperitur.

§. XVI.

Hactenus conſideratum principium inflammabile in ſingulis corporibus compoſitis, decompoſitis, in radice, quoad naturam unum idemque eſt; hinc etiam corporibus nonnullis, ejusdem jacturam paſſis, facile ex aliis, eodem praegnantibus, reſtituitur; quemadmodum hoc ipſum optime ex calcis cujusdam metallicae aut ſemimetallicae reductione elucet: Vbi perinde eſt, an recuperandum amiſſum phlogiſton ex minerali, animali, aut vegetabili regno petatur. Nam, ſi ſtanni aut plumbi cineribus, in crucibulo candente, oleum lini additur, aut pix, pulvis carbo-

num

num (α), ſevum, aut alia pingvedo animalis, adjuvante mixturæ agitatione quadam cum bacillo ligneo, ad priſtinam formam ac conſiſtentiam metallicam facile revertitur, ſuumque proprium in igne fluorem metallicum recipit, præſertim, ſi ſtanni aut plumbi adhuc integri pauxillum ſimul ingeratur, cui iterum particulæ redintegratæ ſeſe confeſtim aſſociare poſſint. Eadem, immo majori, promptitudine, reguli antimonii ſimplicis reductio peragitur, quando cinis, ex eodem, lenioris detonationis beneficio cum nitro, paratus, cum pulvere carbonum crucibulo candenti injicitur: Intra breve enim tempus mixtura hæc pulverulenta in priorem maſſam regulinam confluit. Notatu quoque hoc loco dignum eſt, mineras metallorum imperfectioris mixtionis, plumbi videlicet, ſtanni, ferri ac cupri, ſine immediato carbonum, aut alterius corporis, phlogiſta ſubſtantia prægnantis, concurſu, nequaquam integrum fundere metallum, ſed illud ipſum, deſtructo ſub violenta ignis actione principio inflammabili, nec aliunde iterum reſtituto, in crocum

 potius,

(α) Deſcripta cinerum metallicorum et ſemimetallicorum reductio etiam cum flaveſcente, flavo, rubello &c. florum pulvere, qui antheris ſeu ſtaminum apicibus adhæret, facile ſuccedit; manifeſto documento, pulverem hunc ſubtili ſubſtantia inflammabili largiſſime inſtructum eſſe. Conf. *Miſcell. Societ. Reg. Berolinenſ. Cont. II. p. 21. ſequ.*

potius, aut calcem abire; carbonibus vero, uti hoc in magnis caſis fuſoriis fieri conſuevit, eliquandæ mineræ contuſæ, per modum ſtrati ſuper ſtratum, additis, memoratam metalli deſtructionem minime accidere, dum deſtructæ ſubſtantiæ inflammabilis nativæ locum phlogiſton carbonum protinus occupat, adeoque metalli jam liquefacti calcinationem avertit. Mineris ejusmodi, in parva quantitate, et ſaltem in crucibulo eliquandis, loco carbonum, ordinario ſic dictus *fluxus niger* (der ſchwartze Fluß), aut alia ſubſtantia ſalino-alcalico-carbonaria additur, quoniam æque, ac carbones, amiſſum phlogiſton metallo reddit, et liqueſcendi inſuper promptitudinem auget.

§. XVII.

Lucem adhuc clariorem momento hactenus confirmando ſulphuris mineralis deſtructio atque regeneratio, nec minus *Pyrophori Hombergiani* præparatio fœnerantur: Paratur nimirum, leniſſimæ colliquefactionis beneficio in crucibulo, notiſſimum hepar ſulphuris, ex una ſcilicet parte ſulphuris mineralis, et duabus partibus ſalis tartari. Maſſa haec rubicunda, fœtida, et humiditatem ex aere facillime recipiens, contunditur, et, tenuiter in latioris fundi tigillo vulgari expanſa, ſubſtrato igne leniſſimo, tamdiu, ſub continua cum bacillo ferreo agitatione, calcinatur, donec, inflammabili ſubſtantia exhalando prorſus ablata, in pulve-

pulverem albicantem aut ex albo-gryſeum fatiſcat. Pulvis hic, aqua ſolutus, lixivium largitur ſaporis ſalſo-amaricantis, in quo poſt decentem evaporationem cryſtalli ſalinæ concreſcunt, vulgari tartaro vitriolato, ſapore, forma, indole atque virtute ſimillimæ. Si pulveri laudato vel vigeſima ſaltem pars pulveris carbonum additur, et mixtura, in crucibulo ad perfectum fluorem redacta, effunditur, inde maſſa rubicunda, ſeu priſtinum hepar ſulphuris denuo reſultat: Simplici quippe aqua ſolutum, lixivium præbet ſalino-ſulphureum, quod, inſtillato aceto vini, pulverem albicantem ad fundum dimittit, qui, probe lotus et colliquefactus, verum ſulphur minerale, ab ordinario, nec indole, nec viribus, diſcernendum, rurſus exhibet (*a*). Eadem ferme circa *Pyrophori Hombergiani* geneſin obſervamus: Pulverulenta hæc aut grumoſa ſubſtantia, nigro vel flaveſcente colore prædita, admiſſo aere liberiori, illico ignem concipit, et prunæ inſtar ardet, immo, flaveſcens, qualem aliquoties ex alumine uſto et vitellis ovorum præparavi, æque ac ſulphur commune accenſum, flammulam ſubcœruleam ad tempus alit. Fortiori calcinatione ex alumine et corpore quodam, inflammabili principio prægnante, v. g. farina triticea, ſacharo, radice curcumæ, ſuccino, fuligine, pulvere carbonum, vitello ovorum,

E 5 quin

(*a*) Conf. Stahl. Lib. cit. p. 24. 25. ſeq.

quin ipſis animantium ſtercoribus &c. (*a*) paratur. Hoc productum, flaveſcente inprimis colore tinctum, vulgari ſulphuri minerali natura haud diſſimile eſt, præterquam, quod ex partibus longe ſubtilioribus atque mobilioribus, uti hoc ex ſpontanea in aere libero incenſione pateſcit, conſtet. Si ante incenſionem enim alia ejusdem portio cum vini ſpiritu digeritur, alia portio aqua ſolvitur, e priori vera tinctura ſulphuris extrahitur, e poſteriori autem lixivium reſultat, quod, aceto præcipitatum, genuinum lac ſulphuris offert: Vt taceam fortem, quem ſub ardore ſpirat odorem ſulphureum, aliaque, quæ de vera ejus indole ſulphurea plana teſtimonia adferunt.

§. XVIII.

Silentio pariter hoc loco non prætermittendum eſt experimentum quoddam, ad ſyncriſin referendum, et in ſcholis Phyſicorum, ubi ad illuſtrandam fulguris generationem perſæpe inſtituitur, haud ignotum quidem, aſt in præſenti, longe alio reſpectu, attenta conſideratione digniſſimum: Infunduntur ſcilicet cucurbitulæ vitreæ, colli et orificii arctioris, quatuor partes aquæ ſimplicis frigidæ, et una pars ſpiritus aut olei vitrioli concentrati, ac probe fumantis; quo facto, mixtu-

(*a*) Vid. Acta Med. Berolinenſ. Vol. I. No. 4. p. 67. ſequ.

mixturæ huic paullatim portio limaturæ martis puræ atque recentis injicitur, et vitrum leniter movetur, ut ſingula melius miſceantur: Sic acidum vitrioli moleculas martiales adgreditur, et illæ proinde forti non tantum motu inteſtino agitantur, adeo, ut aliæ adſcendere, aliæ in liquore deſcendere videantur, ſed paullo etiam poſt ſingularis halitus albicans, fœtidus, ſulphureus, ex mixtura adſcendit, ac totam cucurbitulam, nebulæ inſtar, replet, qui, per vitri obturationem temporariam cum digito, copioſius collectus, protinus, candela vitro denuo aperto admota, accenditur, ita, ut hac ratione fulgur oculis, et ſtrepitus, cum impetu e cucurbitula prorumpens, auribus percipiatur. Non vice ſimplici, ſed aliquoties iterata, experimentum hoc inſtitui poteſt, ſi cucurbitulæ orificium rurſus digito claudere, ac novam halitus inflammabilis collectionem exſpectare cuidam placuerit. Sub mutua hac partium actione et reactione in momento quaſi ex avulſa phlogiſta ferri ſubſtantia, et potenti vitrioli acido verum ſulphur inflammabile, quanquam ſubtile admodum, volatile atque halituoſum, naſcitur.

§. XIX.

Alcohol, ſive ſpiritus vini rectificatiſſimus, phlegmate ſcilicet ſeparabili prorſum ſpoliatus, in mixtione ſua *phlogiſton* continet

pu-

puriſſimum, idemque in illo cum nullo principio alio, niſi ſolo aqueo, unionem, eamque firmiſſimam, ſubiit; hinc laudatus quoque ſpiritus præ omnibus corporibus aliis, puriori ac primigeniæ ſubſtantiæ inflammabili cognoſcendæ ac demonſtrandæ inſervire videtur. Linguæ enim inſtillatus, inſtar prunæ, vividum ardoris ſenſum inprimit, et, ulterius in vivi corporis receſſus delatum, ubique calorem ſubito ac notabiliter ſuſcitat, ut actualis ferme ignis intraſſe videatur. Ebullit etiam ad gradum ignis 180, quum aqua gradum 213, oleum lini et mercurius currens ſexcenteſimum gradum poſtulent, antequam in ebullitionis motum ruant (*a*). Accenſus in vaſculo flamma deflagrat acuminata, placidiſſima, ſubcoerulea, ſine ullo ſtrepitu; nullum fumum, multo minus fuliginem ſpargit, nullum cineris veſtigium poſt conſumtionem relinquit, quid? quod, nullum odorem emittit, niſi quædam particulæ, uti plerumque fieri ſolet, adhuc integræ, ac nondum in motum flammantem converſæ, hinc inde ex vaſculo calefacto exhalando prodeant.

§. XX.

Memorata ſpiritus inflammabilis dephlegmatiſſimi principia analyſis, a BOERHAAVIO de-

(*a*) Conf. Boerhaave in Chym. T. I. p. 264. 320.

deſcripta (*a*), egregie probat. Recipitur nimirum magna cucurbita vitrea, orificii anguſtioris, cujus fundus ita reſecatur, ut amplum foramen orbiculare reſultet. Sub hac cucurbita, in loco plano erecta, vaſculum, alcohole optimo repletum, collocatur, et alcohol deinde accenditur. Quo facto, videbis, ſpiritum hunc dephlegmatiſſimum, placide deflagrando, ſenſim conſumi, et cucurbitam calefacere, nulla relicta fæce, niſi forſan pauxillo ſalis alcalici fixi, quod ſeſe ſub dephlegmatione inſinuavit: Obſervabis porro, per anguſtum colli orificium nihil exire, niſi vaporem tenuiſſimum, mere aqueum, in quo nulla acredinis veſtigia, nullus odor, nullus ſapor ſentiuntur. B. STAHLIVS aliam methodum, recenſita adhuc meliorem, communicavit, quam ideo etiam ipſisſimis verbis enarrare nullus dubito: „Tubos, *ſcribit* (*b*), e la-„minis, ſtanno obductis, unius ulnæ longitudi-„ne, duorum vel trium pollicum capacitate, „ita paratos habeo, ut infimo ſuo latere pla-„num habeant fundum, cum exiguo tubulo „ſurſum protenſo, palmum alto; ſuperiore „vero latere, infundibuli inſtar, acuti ſint, „ita, ut hujus apex, in tubulum baſeos alte-„rius, bene coincidat. Talium tuborum „tres aut quatuor, alterum alteri impono. „Infimo horum infundibulum capax adapto, „cu-

(*a*) L. c. T. I. pag. 321. ſequ.
(*b*) Lib. cit. p. 111. ſequ.

„cujus apex in canalem iſtius inſeratur: La-
„tiori autem infundibuli capacitati lampa-
„dem ſuppono, optimo ſpiritu vini plenam:
„quales alias pro patinis argenteis calore fo-
„vendis, aut vaſculis Thea potum continen-
„tibus, uſurpari ſolent. Tempero elly-
„chnium, ut flammam præbeat, non majo-
„rem, quam exiguæ olivæ lapillus. Repo-
„no in loco tranquillo, ut pacate ardere va-
„leat. Ita ſex unciæ boni ſpiritus facile to-
„tidem horas ardent: citra ullam præfeſti-
„nam nudam evaporationem. Hac ratione,
„in menſura aſſumti ſpiritus, non niſi leviſ-
„ſimus defectus ſentitur; dum interim aquo-
„ſitas, ad frigida latera tuborum cito alla-
„bens, et copioſe ad fundum ſingulorum,
„ſecundi, tertii, quarti tubi, defluens, ibi
„collecta, inverſo tubo, per apicem ejus co-
„nicum, de tempore in tempus, effundi
„poteſt, ſeorſim aſſervanda. Ita certe,
„quantumque unquam ſpiritus ardentis opti-
„mi comburatur, nec vola, nec veſtigium,
„ullius fuliginis, invenitur: abſumpta vero
„portione, quæ flammam præbebat, totum
„reliquum, aqua reperitur, ſalſedine aliqua-
„li, ſed certe pauciſſima, imbuta. &c. Lu-
culentiſſime ex hiſce experimentis pateſcit,
nihil amplius, niſi phlegma et phlogiſton te-
nerrimum, atque puriſſimum intimam alco-
holis mixtionem ingredi: Quod in poſte-
riori enim experimento leviſſimam aquæ
colle-

collectæ ſalſedinem attinet, illa ſine dubio ex pauca, ſubtili, adeoque inviſibili, fuligine ellychnii ſimul combuſti originem duxit, nec antea in ipſius ſpiritus mixtione, tanquam pars conſtitutiva, hæſit.

§. XXI.

Phlogiſton primigenium, etiam extra craſſiorem mixtionem corpoream ſpectatum, non tantum in poris corporum quorumvis, ſed copioſe pariter in expanſo atmoſphærico reperitur diſperſum. Prius inter alia ex notiſſimis noſtro ævo experimentis electricis, nec minus e ſucceſſiva omnium corporum, ſi aliquamdiu radiis ſolaribus exponantur, incaleſcentia; poſterius e meteoris igneis, in ſuperiori aeris regione ſubinde adparentibus, cognoſcitur. Quamprimum enim ignis actualis in telluris atmoſphæra conſpicitur, certo judicare licebit, vel effluvia ſulphurea ac pinguia, poſt adſcenſum ſuum in aerem, nondum in corpuſcula primigenia reſoluta, ſed adhuc compoſita, quanquam ſubtiliſſima, ignibus hiſce meteoricis materiam præbuiſſe, vel ſubſtantiæ phlogiſtæ primigeniæ portionem cum materiis aliis ſalino-terreis in tenerrimam abiiſſe mixtionem corpoream, et inde enata corpuſcula ſulphurea inflammabilia, accedente adæquata cauſſa impellente, pariter concepiſſe motum igneum et flammantem. Ut ut interea ſit, manifeſte ad minimum exinde

inde liquet, multum materiæ inflammabilis, tum ſub forma primigenia, tum craſſiori etiam corporea, in aëris expanſo hinc inde fluctuare, ac circumferri; præſertim, ſi ingens illa effluviorum copia, quæ ſub putrefactione, et perenni corporum exhalatione naturali, maxime autem ſub ſulphureorum, reſinoſorum ac pinguium combuſtione, in atmoſphæram adſcendunt, conſiderationi ſubjiciatur.

§. XXII.

Ex hactenus conſiderato principio inflammabili, cum terreo, uti antea pridem dictum, arctiſſime coaleſcente, *phlogiſton primigenium*, et inde poſtea, ſyncriſi nova ac varia cum aliis principiis interveniente, diverſæ illæ ſubſtantiæ, plus pariter minusve inflammabiles, quæ multis medicamentis, in ſequentibus ſpecialiſſime conſiderandis, activa fœnerantur principia, vel immediate, ut *ſulphura*, *concreta camphorata*, *olea* &c., vel mediate, ut *reſinæ*, *gummata*, *bitumina*, *pinguedines*, *mucilagines* &c. ſuos natales ducunt.

§. XXIII.

Sulphura ſicca mineralia, tam pura ac ſolitaria, quam mineris metallicis, ſemimetallicis, aliisque concretis mineralibus interjecta, immixta, et adhærentia, ex *acido ſpecifico*, quod vulgo *vitriolicum* vocatur, et *ſubſtantia inflammabili primigenia* inveniuntur

compo-

compoſita, et memoratæ partes conſtitutivæ tam arcte in iis cohærent, ut vix, aut ne vix, niſi ipſa accedat incenſio in aere libero, iterum poſſint divelli: Acidum tamen quantitate longe ſuperat portionem phlogiſtam, ita, ut illud quaſi matrix ſeu corpus, hæc anima vocari mereatur. Ab hiſce plus minusve diſtincta ſunt *Concreta camphorata* et *Olea*, tum *ætherea*, tum *ſpiſſiora unguinoſa:* Illa enim ex primigenia ſubſtantia inflammabili, et ſola terra teneriori conſtant; hæc autem, præter phlogiſton et terram, aliquam pariter ſalis acidi ſubtilioris et aquæ partem ad ſui mixtionem poſtulant; quemadmodum de hiſce plura in futuris Sectionibus ſpecialibus paſſim videnda ſunt.

§. XXIV.

Olea ætherea cum acidis potentioribus, præſertim vitriolico, facile in *Reſinam*, pingvia vero ſive ungvinoſa cum acido eodem, vel etiam nitroſo, alioque, in *Pinguedinem*, et utraque denique cum alcali fixo in *Saponem* coeunt. E quibus protinus ac clare adparet, reſinam quamcunque ex *acido potenti, vitriolicæ* plerumque *indolis*, et *oleo æthereo*, quibus ordinario tamen in reſinis naturalibus pauxillum *phlegmatis*, et major vel minor *terræ*, (cum tenerrima illa, quæ ipſius olei mixtionem ingreditur, non confundendæ) quantitas intermixta reperiuntur, conflatam

 eſſe;

eſſe; ad componendam vero pinguedinem animalem, *oleum eſſentiale unguinoſum*, necnon *acidum*, et aliquam *terræ* et *aquæ* portionem concurrere. Parum quoque a reſinis, reſpectu elementorum, *Bitumina mineralia* differunt, præterquam, quod loco olei ætherei ſubtilioris vegetabilis, ſingulare *oleum minerale*, vulgo *petroleum* aut *naphta* dictum, et ſemper quoque *acidum vitriolicum* ad geneſin eorundem requirantur.

§. XXV.

Quemadmodum reſinæ, bitumina, pinguedines, et gelatinæ animales primario oleum ſubſtantiale, et bina quidem concreta priora æthereum, vel æthereo tamen valde analogum, poſteriora unguinoſum ſpiſſiuſculum ad ſui mixtionem poſtulant; ſic *Gummata*, et *Mucilagines* vegetabiles naſcuntur, quando ſimplicior duntaxat *ſubſtantia inflammabilis*, aut *oleoſa* tamen tenerrima, parcius interjecta, cum larga *ſubſtantia terreo-ſalino-aquea* unionem ſubit: Hinc gummi quoque, et mucilagines in aqua facile ſolvuntur, ſpiritus vini rectificatiſſimi conſortium ex adverſo reſpuunt.

§. XXVI.

Relictis concretis, ex inflammabili principio maxime naſcentibus, nunc ad uberiorem quoque PRINCIPII SALINI contempla-

plationem pedem promovebo. Hoc, ſub extrema ſua tenuitate, puritate ac relativa ſimplicitate, æque ac inflammabile, ſenſibus noſtris ſeſe penitus ſubducit, nec unquam iis poteſt cognoſci, niſi cum terra ſubtiliſſima et aqua mixtionem ſeu unionem ſubeat arctiſſimam, et hac ratione *ſal primigenium* ſeu *primordiale* producat, eodemque mediante in alias tandem, easque craſſiores, concretiones ſalinas corporeas, compoſitas et decompoſitas tranſeat. BECHERVS quidem, STAHLIVS, eorundemque aſſeclæ longe aliam, ac plane a præcedente diverſam, de ſalis primordialis elementis ac geneſi ſententiam fovent, et B. STAHLIVS omni inprimis ſtudio demonſtrare anniſus eſt, nullum reperiri principium ſalinum, proprie ſeu abſolute ita dictum, ſed tantummodo ſal primigenium, non ex peculiari quodam principio ſalino, per intimam cum aqua et terra tenerrima coaleſcentiam, ſed unice ex aqua et terra primordiali, ſingulari modo unitis, enatum, et proinde etiam in duo hæc elementa iterum reſolubile: Verum enimvero, licet experimenta, ad hypotheſin confirmandam a STAHLIO *(a)* non minus, quam KVNCKELIO *(b)* adducta, clare probent, ſali etiam tenerrimo multum aquæ atque terræ inhærere, et utriusque principii concur-

 ſum

(*a*) In Tract. de Salibus.
(*b*) In Laborat. chymico.

ſum ad ſalis corporei productionem abſolute neceſſarium eſſe, immo illud, quoad maximam partem, terram et aquam eſſe, inde tamen nondum ſufficienter pateſcit, ſolum principium aqueum atque terreum verum ſal formare poſſe. Et quanquam indicata etiam experimenta nihil principii ſalini puri, et ſeorſim ſpectandi, ſiſtant, credere nihilominus licebit, principium hoc, facto elementorum divortio, partim de novo cum terra intime coaluiſſe, ut nullum amplius ejusdem veſtigium adparere potuerit, partim, a compedibus ſuis, et reliquorum conſortio liberatum, ac ſimplicitati, puritati atque ſubtilitati ſpirituoſæ reſtitutum, inſenſibiliter, ſine conſpicuo arroſionis effectu, ſoli tantum craſſiori corporeo ſali proprio, per vaſorum juncturas, ut ut exactiſſime clauſas, penetraſſe, protinusque abiiſſe in auras. Cur inſenſibilem enim ejusmodi abitum huic principio denegare vellemus, quum eundem tamen inflammabili principio, ſub motu calorifico et igneo corpora compactiſſima et duriſſima penetranti, nec non materiæ magneticæ atque æthereæ, concedere cogamur, quin liquida quædam ſalina tam ſubtilia inveniamus, ut vaſorum juncturas, luto optime munitas, tranſeant?

§. XXVII.

Exemplum nobis inter alia *ſpiritus ſalis* *con-*

concentratus GLAUBERI ſuppeditat, ex ſale culinari, probe ſiccato, cum oleo vitrioli parandus. Hic ſpiritus ſub deſtillatione luta denſa ac craſſa tam libere, quam aqua cribrum, tranſit, ita, ut ex libra integra ſalis culinaris interdum vix aliquot drachmæ ſpiritus in receptaculo colligantur, qui, etiamſi ſat larga adhuc phlegmatis quantitate mixtus ſit, tantæ ſubtilitatis ac volatilitatis deprehenditur, ut totus ferme, ſub nebulæ albicantis forma, e vaſe aperto in auras diffugiat, et una quoque aut altera ſaltem guttula, lapidi inſtillata, citiusque flatu diſperſa, adeo totum conclave halitu impleat, ut viſu et olfactu ſatis cognoſci queat. Refert quidem laudatus STAHLIUS, materias, ſuſceptis experimentis adhibitas, nihil prorſus amiſiſſe, eductamque terram, et aquam priſtinum pondus adſumti acidi vitriolici, et olei ætherei denuo æquaſſe, ut nihil abiiſſe certo inde conſtaret: Attamen probe hoc loco perpendendum erit, 1.) verum principium ſalinum, poſt ſeparationem plenariam, adeoque in perfecta ſua puritate conſideratum, exigui admodum ponderis eſſe, æque ac phlogiſton in ſulphure communi, quod præ ceteris tamen inflammabili principio abundare videtur, 2) magma terreum, peracta deſtructione enatum, maximam ſine dubio acidi partem in intimam ſuam mixtionem recepiſſe, ac ſimul compactius, adeoque etiam gravius, evaſiſſe, ut amiſſa

 igitur

igitur portio nullo plane modo ſentiri potuerit, uti ſimile quid in minio obſervare licet, cujus pondus nonnihil pondus plumbi, e quo calcinando fuit paratum, ſuperat, etiamſi principii inflammabilis jactura, adeoque veræ materiæ imminutio ſatis manifeſta ſit. Quicquid interea ſit, meam lubens mutabo ſententiam, ſi chemicorum aliquis unico ſaltem argumento, a contradictione fundata penitus tamen immuni, monſtrare mihi, ac demonſtrare poterit, ex mera terra et puriſſima aqua verum ſal poſſe componi. Parum enim videtur referre, an ſal primigenium, cujus exiſtentiam haud quiſquam negat, ex ſola terra et aqua, an vero ex ſingulari quodam principio ſalino et terreo enatum ſit, et enaſcatur.

§. XXVIII.

Sal primigenium, ſub forma fluidi ſubtiliſſimi ac mobiliſſimi per expanſum atmoſphæricum largiſſime diſtributum, ex corpuſculis acutis, rigidis, *acidæ indolis*, conſtare, et proxime ad naturam acidi vitriolici accedere, variæ obſervationes, variaque experimenta ſatis teſtantur. Quando enim, ut pauca ſaltem adducam, ſal quoddam fixum alcalicum aeri liberiori, in loco tamen tecto, exponitur, ibidemque per annum et ultra relinquitur, cryſtalli ſalinæ, tartaro vitriolato, quoad formam, ſaporem, ac totam indolem

lem ſimillimæ, in eo generantur, ita, ut temporis ſucceſſu tota propemodum ſalis alcalici moles in cryſtallinum atque perfectum ſal medium mutetur. Notatu quoque hoc loco digna ſunt, ac multum lucis foenerantur, quæ VALENTINI et GRIMMIVS in *Miſcellaneis Academiæ Naturæ Curioſorum* communicant. Prior nimirum refert, DN. MOLTERVM, olim practicum medicinæ Wezlarienſem, fruſtulum vitrioli martis habuiſſe, quod per ſe, absque ullius acidi vulgaris concurſu, in limatura ferri, aeri aliquamdiu expoſita, concreverat *(a)*, et poſterior, qui Bataviæ in India degens, perſæpe ſummo mane rorem ante ſolis ortum colligendum curaverat, aliquando, cum pueri condicti illum adferrent, non ſine admiratione eundem ſapore ſalſo-acidiuſculo, atque nonnihil vitriolato imbutum deprehendit. Filtratus, ac leni B. M. calore evaporatus ac concentratus, liquorem exhibuit ponderoſum, flavo colore tinctum, valde ſalinum ac vitriolatum. Varias cum eo, non ſine ſucceſſu, tentavit ſolutiones. Quum auro enim parum hujus liquoris addidiſſet, pulviſculus ſubluteus præcipitabatur, auro tamen parum admodum de pondere ſuo amittente. Argentum facilius in liquore hoc ſolvebatur, ut et cuprum, quod ſub evaporatione caudam pavonis, uti Auctor loquitur, repræſentabat. Ferrum

(a) Dec. II. Ann. 8. Obſ. 76.

cum illo in dulce vitriolum abiit, ſtannum, plumbum et mercurius autem in liquorem album, qui deſtillando ſpiritum, inſtar aceti deſtillati, aſt multo fortiorem, ſuppeditabat; in collum retortæ ſale candido cryſtallino, mercurii ſublimati inſtar, ſeſe ſublimante, in fundo vero remanente ſale, marini æmulo &c. (a)

§. XXIX.

Laudatum ſal primigenium ſeu acidum aereum, quod æque, ac phlogiſton, ſub combuſtione, et perenni corporum exhalatione atmoſphæræ reſtituitur, merito parens, atque præcipuus ſalium reliquorum genitor æſtimandum eſt, et proxime ex illo, aut remote, hoc eſt, vel mediate, vel immediate, interveniente ſcilicet ulteriori compoſitione, et firmiori aut laxiori unione cum aqua, cum terris, et ſubſtantiis unguinoſis, aut inflammabilibus tenerioribus, quævis *ſalia corporea acidæ*, *mediæ*, et *alcalicæ indolis* originem ducunt. Ex copioſa enim terra ſolubili, pauco acido, et pauca pariter materia inflammabili unguinoſa aut oleoſa, reliquis principiis, ignis violenti beneficio, intime miſcenda, *ſalia alcalia fixa* componuntur. Addita deinde, vel ſub prima ſtatim geneſi accedente, largiori ſubſtantiæ oleoſæ, pinguis, aut ſaltem inflammabilis tenerioris portione, *ſalia alcalia*

(a) Vid. Dec. II. ann. 4. Obſ. 56.

alcalia volatilia ſive *urinoſa*, et ex acidi denique et alcalici ſalis connubio *ſalia media, neutra, enixa*, naſcuntur, ita tamen, ut poſt acidi et alcali volatilis ſive urinoſi unionem *ſalia ammoniacalia*, facta autem acidi et alcali fixi proportionata miſcela, et arctiori cohæſione, *ſalia neutra vulgaria*, *comparative fixiora* prodeant; quemadmodum de ſingulis hiſce plura in Sectionibus ſpecialioribus de *ſalibus alcalicis* et *mediis* videnda erunt.

§. XXX.

Conſideranda reſtant bina poſteriora corporum principia chymica, AQVEVM videlicet atque TERREVM, quæ vulgo, non abſolute quidem ac vere, ſed hypothetice ſaltem ac relative, elementa paſſiva dicuntur. AQVA, ſub denſiori ſcilicet aggregatione conſiderata, et puriſſima, h. e., nullis corpuſculis heterogeneis impraegnata, eſt fluidum humectans, mobiliſſimum, exhalabile, pellucidum, valde poroſum, inſipidum, inodorum, et, cryſtalli puriſſimæ inſtar, omnis coloris expers. Calore facillime quidem expanditur, et in tenerrimos reſolvitur vapores, nulla tamen arte in arctius ſpatium comprimi poteſt: Unde quodammodo pateſcit, molem aqueam ex corpuſculis exiliſſimis, duriſſimis, ſphæroideis, ad motum inteſtinum perennem, ſub certo caloris gradu ſubeundum, aptiſſimis, conſtare.

§. XXXI.

Principium hoc pleriſque triplicis naturæ regni corporibus compoſitis, tum *ſtructis*, tum *mixtis*, inhærere, immo, ad ſingulorum geneſin concurrere, variæ obſervationes et chymica examina abunde docent: Ex quo cum HELMONTIO tamen, ejusdemque anteſignanis et aſſeclis minime concludendum erit, aquam unicum et primordiale omnium elementum eſſe, ſed id tantum inde licebit colligere, aquam ſub corporum compoſitorum productione reliquorum principiorum vehiculum conſtituere, eademque, ut et moleculas jam corporeas diverſiſſimæ indolis, quas in ſinu fovet, adducere et introducere, iisdemque poſt ſegregationem et appoſitionem relictis, evaporando rurſus abire.

§. XXXII.

TERRA PRIMORDIALIS pura, ceu quartum corporum elementum chymicum, et præcipua præcedentium principiorum matrix, immo, unica ſolidorum durabilium baſis, eſt ſubſtantia inſipida, inodora, mollis, ſicciſſima, et per ſe in igne fixiſſima. Sub violentiſſima enim Vulcani tortura neque fluit, neque in halitus mutatur. Reſpuit quoque omnem ſolutionem in aere, aqua et menſtruis aqueo-inflammabilibus, niſi prius principium ſalinum receperit in conſortium, et ſic, elementari ſua puritate ac ſimplicitate amiſſa,

amiſſa, in concretum terreo-ſalinum mutata fuerit. In globo terraqueo puriſſima hæc terra elementaris nullibi quidem reperitur ſolitaria, ſed diverſimode potius reliquis principiis mixta; vario nihilominus artificio chymico e triplicis regni corporibus educi, et, a principiis reliquis ſeparata, ſeorſim monſtrari poteſt.

§. XXXIII.

Quanquam terra pura elementaris per ſe in igne ſit fixiſſima, exiliſſimæ tamen ejus atomi in aerem evehi, ibidemque hinc inde cum reliquis exhalationibus libere fluctuare poſſunt, quando ſcilicet fortior aeris commoti impulſus accedit, aut illæ ipſæ pinguibus, inflammabilibus, aqueis et ſalinis corpuſculis adhærent, et ideo ab illis, in atmoſphæram abeuntibus, ſimul abripiuntur. Atomi enim terreſtres, quas vulgo *atomos ſolares* Sonnenſtäubigen, vocant, vel ipſam terram puram elementarem ſiſtere, vel proxime tamen ad eandem accedere videntur. Perſæpe illæ, quoad corpoream ſuam molem, et continuam in aere agitationem, a radiis ſolaribus, per foramen exiguum in conclave tenebricoſum admiſſis, viſibiles redduntur, immo, motu privari ac colligi poſſunt, quando velum, ſive pannus ſericeus nigerrimus in conclavi mundo, clauſo, et quieto

quieto expanditur. Intra breve enim tempus velum hoc tenerrimo pulvere terreo cinerei coloris obductum reperitur.

§. XXXIV.

Atomi hæ terreſtres, in aere vagantes, aquæ pluviali, roris &c. ſeſe immiſcent, et cum ea in globum noſtrum dejiciuntur; hinc in aquis hiſce meteoricis, ſub coelo libero, et aere tranquillo collectis, ſuperveniente motu putredinoſo, præter materias alias, etiam terra quædam tenerrima, albida, inodora, inſipida, mollis, neque in aere, neque aqua, alcohole, oleo, igne, ſolubilis, ſegregatur, quæ cum illa convenit, quam chymici e cineribus plantarum, et calcinatis animantium oſſibus, iteratæ loturæ ſeu elixiviationis beneficio, educunt, et vulgo ad parandas teſtulas docimaſticas adhibent. Maximam pariter ſimilitudinem habet cum terra, e fuligine ſeparata: Nam fumus, ſub combuſtione lignorum adſurgens, fuliginem denſam paullatina adhæſione producit, quæ chymice examinata, præter phlegma, ſal et oleum, etiam caput mortuum terreum ſuppeditat, quod debite elixiviatum et calcinatum, memoratam terram puriſſimam relinquit.

Generali

Generali principiorum conſiderationi *Tabulam*, in *Hiſtoria Academiæ Regiæ Pariſinæ ann.* 1720. a GODOFREDO communicatam, in qua *gradus affinitatis* corporum quorundam, circa unionem atque diſſolutionem facilius peragendam ſcitu neceſſarii, deſignantur, ſubjungere placet. Tabula hæc, quod addendum duco, chemicis multum quidem utilitatis præſtat, aliquam nihilominus limitationem circa ſubjecta nonnulla admittit; quemadmodum plura de hiſce in *Miſcell. Societat. Regiæ Scient. Berolinenſis* Continuat. II. p. 87. ſequ. videnda ſunt.

Spiritus acidi	Acidum ſalis marini	Acidum nitri	Acidum vitrioli
Salia alcalia fixa	Stannum	Ferrum	Principium ſulphureum et oleoſum
Salia alcalia volatilia	Regulus antimonii	Cuprum	Alcalia fixa
Terræ abſorbentes	Cuprum	Plumbum	Alcalia volatilia
Subſtantiæ metallicæ	Argentum.	Mercurius	Terræ abſorbentes
	Mercurius	Argentum	Ferrum
			Cuprum
			Argentum.

Sal

Sal alcali fixum Spiritus vitrioli Spiritus nitri Spiritus ſalis Acetum deſtillatum Sulphur commune	Sulphur commune Alcali fixum Ferrum Cuprum Plumbum Argentum Regulus antimonii Mercurius Aurum	Mercurius Aurum Argentum Plumbum Cuprum Stannum Regulus antimonii.	Subſtantia metallica Spiritus ſalis Spiritus vitrioli Spiritus nitri Acetum deſtillatum
Terræ abſorbentes Spiritus vitrioli Spiritus nitri Spiritus ſalis	Sal volatile alcalicum Spiritus vitrioli Spiritus nitri Spiritus ſalis	Plumbum Argentum Cuprum	Cuprum Mercurius Lapis calaminaris
Argentum Plumbum Cuprum	Ferrum Regulus antimonii Argentum Cuprum Plumbum.	Regulus antimonii Ferrum Argentum Cuprum Plumbum	Aqua Spiritus vini Sal

SECTIO II.

DE INSIPIDIS TERREIS ET TERREO-GELATINOSIS.

CAPVT I.

DE NATVRA ET PRINCIPIIS TERREORVM.

§. I.

TACHENIVS, SYLVIVS, eorundemque aſſeclae, qui ægritudinum ferme ſingularum originem ex acido præternaturali, ceu cauſſa communiſſima, derivare conſueverunt, multa præterito ſeculo TERREA ALCALINA, alteriusque generis, in Materiam medicam introduxerunt, horumque numerum deinceps nonnullorum libido, inventa, et civitate pharmacevtica donata, novorum additione in dies multiplicandi, tantopere auxit, ut labores quorundam neoterieorum, qui medicaminum indolem ac vires ſcruti-

ſcrutinio exactiori ſubjecerunt, Augiæ huic ſtabulo pauliſper iterum a nimiis ſordibus terreſtribus repurgando, hactenus nondum ſuffecerint; præſertim, cum hæreſium hujusmodi medicarum fautores, ea, quæ credunt, aliisque credenda obtulerunt, omni ſtudio defendere anniſi fuerint, et annitantur. Quæ omnia tamen nullatenus eum in finem dicta ſunto, ac ſi terreorum ejusmodi uſum prorſus damnandum eſſe exiſtimarem, ſed ideo tantum illa præmonere conſultum duxi, ut cum aliis, qui veras medicaminum vires ſibi notas reddiderunt, uſum eorundem anguſtioribus limitibus includerem, et abuſum, ex ignorantia, ac falſis hypotheſibus ortum, penitus tollerem.

§. II.

Terrea inſipida et inodora, quæ vulgo *abſorbentia*, *præcipitantia*, nec non, ob aliquam cum ſalibus alcalicis, quoad proprietates et effectus, convenientiam, *alcalina* dicuntur, natura nobis e triplici ſuo regno ſuppeditat, plurima tamen ex minerali et animali, pauciſſima ex vegetabili. Si enim a coralliis, ſimilibusque plantis ſubmarinis imperfectis ac lapidoſis diſceſſeris, vix inter vegetabilia, eaque ſimplicia, ac cruda, h. e., nullam adhuc calcinationem experta aut ſolutionem, terrea, alcalinis veris accenſenda, inveniuntur.

§. III.

§. III.

Sicca ac dura hæc concreta ex mera *terra*, in aliis teneriori, in aliis craſſiori ac rudiori, et pauca *ſubſtantia glutinoſa*, vel *gelatinoſæ* animalis, vel *unguinoſæ* mineralis proſapiæ, coagmentata ſunt, ac ſolidam hanc texturam, cum figura ſua ſpecifica, tamdiu retinent, quamdiu interpoſita materia glutinoſa terreas particulas compingit atque conglutinat: Extracta vero hac ſubſtantia conglutinante per menſtruum conveniens, vel violentius etiam, quod facilius ſuccedit, expulſa et deſtructa per ignem ſiccum, priſtinam cohæſionem protinus amittunt, evadunt friabiliora, et in veras ac meras calces terreſtres, diverſæ tamen teneritudinis et acrimoniæ, fatiſcunt. Annotante enim B. HOFFMANNO (*a*), ovorum teſtæ, in vaſe aperto exuſtæ, copioſum, eumque fœtidiſſimum, odorem emittunt, et calcem relinquunt inſipidam, quæ, ſine ſulphuris odore, cum acidis efferveſcit. Os ſepiæ fœtidum pariter odorem ſpargit ſub exuſtione, magis tamen ſalinum, quam empyrevmaticum oleoſum, et deinde calcem offert ſpongioſam, ſaporis ſubſalſi alcalini, quæ vehementer cum acido vitrioli ebullit, et odorem diffundit, ſimilem illi, quem in præparatione lactis ſulphuris percipimus. La-

(*a*) In Obſ. phyſico-chymicis Lib. II, Obſ. 30. pag. 225.

Lapides cancrorum, ut et conchæ et oſtreæ ſubtilem ac vix ſenſibilem vaporem eructant, ſine ullo olei empyrevmatici veſtigio, et calx, e lapidibus cancrorum relicta, admodum ſubtilis eſt, et albicantis coloris, ex oſtreis et coralliis vero calce viva adhuc acrior. Sapor cæteroquin aperte ſalſus et nonnihil alcalinus in calcinato oſſe ſepiæ, ſine dubio a ſale marino, poroſo huic corpori copioſe inhærente, derivandus erit; quemadmodum etiam ſub calcinationis initio ſtrepitum quendem exaudiri, et ſenſibilem decrepitationem contingere, certum eſt.

§. IV.

Neque oleoſis aut ſpirituoſo-inflammabilibus, neque ſalinis mediæ aut alcalicæ indolis, neque mere aquoſis, ſed *acidis* ſolummodo *menſtruis* terrea hæc corpora obtemperant. Quæ enim alibi (*a*) de ſolutione quorundam per aquam et olea dicuntur, a regula ordinaria] longe recedunt, et valde diuturnas digeſtiones, aut varias operationes chemicas poſtulant, rariorisque præterea obſervationis ſunt. Sola proinde acida iisdem reſolvendis apta exiſtunt, dum terream portionem, quæ glutinoſam quantitate longe ſuperat, prompte aggrediuntur, eamque, prævia efferveſcentia, corrodunt, atque deinde cum particulis corroſis in corpus ſalſum coeunt, ita ut priſtinus

(*a*) Cap. de Coralliis et Cryſtallo mont.

ſtinus acor prorſus evaneſcat; minime nihilominus credendum eſt, ex novo hoc terræ et acidi connubio completum ſal medium enaſci; magma enim, ſub unione memorata reſultans, ſolummodo terreo-ſalſum eſt, quod totum quidem in aqua ſolvitur, cryſtallos tamen perfecte ſalſas nunquam format, quippe quæ tum demum concreſcunt, quando acidum cum perfecto ſale alcalico unionem ſubiit.

§. V.

Pro diverſa acidi ſolventis indole et activitate, nec minus pro diſcrepante diſſolvendi corporis terrei textura atque denſitate, ſolutio nunc citius, nunc tardius ſuccedit, et inde enata ſubſtantia terrea non linguæ tantum diverſum inprimit ſaporem, ſed diverſum pariter in corpore effectum edit. Obſervante enim laudato HOFFMANNO (*a*), ſolutiones alcalinorum, ſpiritu ſalis factæ, valde amaricante ſapore, et laxante, ſtimulante, atque aperitiva virtute pollent: Cum acido vitrioli ſuſceptæ, fere inſipidæ deprehenduntur, et temperantem, adſtringentem, roborantem ac diureticum effectum edunt. Diſtincti tamen gradus circa amaritiem ſolutionum, quas acidum ſalis præſtitit, pro corporis ſoluti diverſitate notandi ſunt: Omnium quippe amariſſima fit ſolutio oſſis ſepiæ, mi-

 nus

(*a*) Lib. c. p. 226.

nus amara ſolutio teſtarum ovorum, adhuc minus ſolutio lapidum cancrorum, et omnium minime ſolutio concharum. Differentia hæc ſine dubio ab inæquali olei, quod mixtionem conglutinantis gelatinæ ingreditur, quantitate dependere videtur: Teſtæ ovorum enim et os ſepiæ, uti antea relatum fuit, fortiorem fœtorem ſub calcinatione ſpargunt, et majorem, quam lapides cancrorum &c., olei portionem in mixtione fovent.

§. VI.

Expertos denique latere nequit, acidum aliud promptius alio terrea hæc concreta adgredi, majoremque quantitatem ſolvere: Vna quippe *ſpiritus ſalis* uncia, teſtante HOMBERGIO (a), ſolvit *lapidum cancrorum* drachmas tres, *matris perlarum* drachmas duas, *perlarum* drachmam unam et grana quinquaginta ſex, *oſtrearum* drachmas duas et grana duodecim, *cornu cervi* drachmas duas cum granis viginti et uno, *coralliorum* drachmas duas et grana triginta ſex, *lapidis bezoardici orientalis* drachmam unam et grana quadraginta ſex, *lapidis bezoardici occidentalis* drachmam unam cum granis quinquaginta et uno, *calcis vivæ* drachmas duas et grana quinquaginta quinque, *calcis extinctæ* drachmas duas et grana quadraginta novem: Æqualis

(a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des ſciences Ann. 1699.

qualis autem *ſpiritus nitri* quantitas ſolvit *lapidum cancrorum* unciam dimidiam et grana novem, *matris perlarum* drachmas duas et grana quinquaginta octo, *perlarum* drachmas tres, et grana tria, *oſtrearum* drachmas tres et grana viginti, *cornu cervi* drachmas tres et grana viginti octo, *coralliorum* drachmas tres et grana ſeptem, *lapid. bezoardici orientalis* drachmam unam et grana triginta ſex, *lapidis bezoardici occidentalis* drachmas duas, *calcis vivæ* drachmas duas et grana triginta ſex, et *calcis extinctæ* drachmas tres.

* *

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS MEDICIS ALCALINO-TERREORVM.

§. I.

Terrea alcalina, per ſe conſiderata, ac ſibi relicta, ſola pollent *virtute antacidā;* hinc, acido in ventriculo et inteſtinis abſente, nullum prorſus effectum in corpore humano edunt, multo minus, etiamſi in pulveres ſubtiliſſimos redacta fuerint, ad ſanguinem et lympham transferuntur, ſed meræ terræ ac

fatuæ calces ſunt, quæ ventriculo, præſertim largiori quantitate exhibitæ, moleſtiam creant, ac ſine præſtita utilitate cum excrementis denuo per alvum eliminantur. Nonnulli quidem, moleculas hujusmodi pulverum exiliſſimas cum aqua per chartam bibulam penetrare, adeoque cum chylo pariter, aliisque primæ culinæ liquoribus per vaſa lactea ad humores circulantes tranſire poſſe, perhibent: At prius, et per conſequens etiam poſterius, falſum eſſe, avtopſia me edocuit. Tenerrima enim illa cruſta albicans, qua fundus et latera vitri, poſt filtrationem, et aquæ trajectæ evaporationem, obducuntur, quamque ſententiæ hujus patroni probandi ſine allegant, non tantum naſcitur, quando aqua, cum lapidibus cancrorum pulveriſatis aut ſimili terreo corpore aliquamdiu trita, poſt filtrationem evaporatur, ſed pari modo ac pari craſſitie concreſcere obſervatur, quando ſola aqua ſimplex fontana, prævia filtratione, evaporando conſumitur, ut inde igitur ſatis pateat, cruſtam memoratam ex præcipitata, relicta et appoſita ſubtili materia terrea, qua aquæ fontanæ plerumque refertæ ſunt, ſuam trahere originem.

§. II.

Aliter de actione ac viribus terreorum ſentiendum erit, quando acidum, præſertim potentius, in primis viis copioſe ſtabulatur: Pro-

Protinus nempe hoc ipſum terrea hæc corrodendo ſolvit, et arctiori unione ſua ſalinam iisdem indolem conciliat, ut poſtea a liquoribus aqueis facillime ſolvi, et ad ſanguinem transferri poſſint (*a*). Non extenditur igitur laudata virtus antacida ultra primæ culinæ limites: Sola enim terrea, ab acido nondum corroſa, vaſa lactea, aliaque bibula ſubire atque permeare nequeunt, et terreo-ſalſa, corroſionis beneficio producta, acido abſorbendo non amplius apta exiſtunt, ſed, ſub ſalina hac forma atque indole ad humores circulantes deducta, leniſſime duntaxat ſolida ſtimulant, fluida ſpiſſiuſcula blande incidendo nonnihil reſolvunt, atque abſtergunt, et aliquam proinde, quanquam valde exiguam, virtutem aperitivam, diureticam, quin diapnoicam, vel ſubinde etiam, contrario plane effectu, debilem adſtrictoriam exſerunt. Vn-

(*a*) „Denique, BOERHAAVIUS ſcribit *in Chymiæ T. I.* „*p. m. 489.*, aqua poteſt diſſolvere multa terreſtria „corpora; quæ ſola nunquàm ab eadem aqua di„lui poterant, neque diſſolvi. Oſtracodermata „piſcium mollium, chelæ, thecæque cancrorum, „gammarorum, cochleæ limacum, piſciumque, „tam in fluviis, quam in mari degentium; illo„rum cornua, ungues, oſſa et alia ſimilia, poſtquam „primo in acidis ſuis propriis ſolventibus eroſa „penitus fuerunt, deinde queunt in aqua omnino „diſſolvi. Idem etiam creta, corallia, margaritæ, „mater perlarum, ſaxa calcinata, ſilices, dudum „docuerunt &c.

de patet, illos in gravi omnino errore verſari, qui acidum, per maſſam ſanguinis ac lymphæ quandoque diſperſum, itidem antacidis hiſce extingui poſſe opinantur.

§. III.

Non deſunt quidem, etiam inter neotericos, qui iſtud, quod vix negavimus, niſi immediata miſcela, certe tamen paullatina liquoris gaſtrici ſecreti, ac denuo ad ſanguinem reducti, edulcoratione, in ipſo ventriculo fieri poſſe perhibent; Aſt rectius adſertum ejusmodi ingenioſis commentis, quam probabilibus hypotheſibus adnumerandum eſſe, pronunciare nullus dubito. Quis ſolide enim demonſtrare audebit, ſingulas particulas acres, univerſæ maſſæ ſanguinis ac lymphæ immerſas, ſucceſſive in ventriculi glandulis cum liquore gaſtrico ſecretum iri, ut ibi per terrea alcalina deſtrui atque inverti, adeoque humores circulantes præternaturali acrimonia liberari queant? Immo, quis ſibi perſuaderi patietur, nocivas partes ſalinas in cruore animantium crebro genitas, crebro quoque acidæ indolis eſſe? Acidum profecto, quod in prima culina reperitur, et ſolventis munere interdum perfungitur, rariſſime ex ſanguine ac lympha in glandulis memoratis ſecernitur, ſed ordinario infertur cum alimentis ſolidis vegetabilis proſapiæ, quæ acido debili, vel etiam acriori, ſcatent, nec minus

minus cum potulentis, fermentatione paratis, itemque cum lacte et lacticiniis, aliisque nutrimenti generibus, quae vel explicitum ſecum adducunt, ac ſine mora gaſtrico liquori miſcent, vel implicitum, diutius ſcilicet in ventriculo relicta, lenioris demum fermentationis beneficio evolvunt. Vtrumque poſtea majorem acrimoniam contrahit, et tandem, mole magis magisque auctum, vel fortuito etiam e foco ſuo excuſſum, laedere, variosque morbos, vellicando, erodendo, coagulando, producere incipit.

§. IV.

Clare ex praemiſſis conſtare arbitror, quod terrea haec medicamenta hominibus, qui lacte, lacticiniis, pultibus farinaceis, placentis, acetariis, fructibus horaeis, leguminoſis &c. frequentius veſcuntur, et vina acida, auſtera, cereviſiam aceſcentem, et potulenta ſimilia copioſe hauriunt, itemque infantibus tenellis, ſolo adhuc lacte, et pulticulis nutriendis, praecipue commendari mereantur, et quod unice pariter in iis morbis certum ſpondeant auxilium, qui venenis cauſticis ac conſtrictoriis mineralibus, aut abundanti et acriori ſaburrae acidae, uti ardor ventriculi, bulimus, ructus acidi, febris intermittens quotidiana et quartana, tormina ventris infantum, epilepſia infantilis, eaque ſtomachalis, ut et variae vomitus, cardialgiae, colicae, diarrhoeae, immo

dyſenteriæ, ſpecies &c., præcipuam originem debent. Facile præterea concedi poterit, nonnunquam ea aliquam pariter utilitatem præſtare, nullatenus tamen, ut mere terrea, ſed ab acido ventriculi peregrino corroſa prius, ac ſolubilia reddita, adeoque ut ſalſa, in obſtructionibus viſcerum, ſabulo renum et veſicæ, dyſuria, ſcorbuto, adfectibus arthriticis et rheumaticis, ſanguine congrumato, aſthmate pituitoſo &c., dum ratione prædicta in ſimpliciter ſalſa, vel ſalſo-amaricantia transformata, blande ſtimulant, abſtergunt, aperiunt, et, quod antea pridem dictum, leniſſimam diureſin ac diaphoreſin provocant. Quæ omnia tamen cum grano ſalis accipienda ſunt, ne, denuo in vulgares errores delapſi, inertibus hiſce corporibus plus, quam re vera poſſident, tribuamus, et virtutibus quibusdam imaginariis pridem rejectis novum patrocinium procurare videamur.

§. V.

Quemadmodum terrea alcalina acidum deſtruendo proſunt, ac veram virtutem exſerunt, ſic, acido in prima culina prorſus abſente, non tantum virtute carent, ſed perſæpe etiam, præſertim, ſi uſus eorum diutius protrahitur, eademque copioſius adſumuntur, notabilem ſanitati labem affricant, dum exiliſſimos tubulos lacteos atque lymphaticos, quando minores moleculæ patulis eo-

eorundem orificiis immerguntur, obſtruunt, et cum muco, tam naturali, ventriculi et inteſtinorum parietes obducente, quam praeternaturaliter in cavitatibus hiſce collecto, in denſum ac difficillime reſolubile corpus mucido-terreum, ac quaſi gypſeum concreſcunt; quod poſtea, praeſertim coacervatum, magisque temporis ſucceſſu induratum, dolorem ventriculi gravativum, cardialgiam, vomitus, aut inanes vomendi conatus parit, liquorem gaſtricum enervat, et ſolvente virtute ſpoliat, robur et actionem tunicarum ventriculi debilitat, digeſtionis negotium turbat, adpetitum minuit, atque penitus ſubinde proſternit, ſegnitiem alvi inducit, et vaſorum lacteorum obſtructiones magnopere auget, quin alia plura, eaque majora, ex prioribus rurſum propullulantia, ſanitatis incommoda provocat. (*a*)

§. VI.

(*a*) „Abſorbentium, ſiue ſic dictorum praecipitantium „exhibitio, B. HOFFMANNVS in *Diſſertatione de* „*noxa et abuſu benignorum remediorum* §vo 15. in„quit, non parum prudentiae deſiderat; ſub ven„triculi enim atonia, ſi is viſcidorum colluvie „ſcatet, et ſalſi magis, quam acidi ibi haerent „humores, eorum uſus plus nocuiſſe, quam pro„fuiſſe, annotatum eſt. Et §vo 18. pergit, ſunt „exempla, ubi in lentis ac hecticis febribus ab„ſorbentes et praecipitantes pulveres largiori „doſi, atque intempeſtive dati fuerunt, qui po„ſtea in ventriculo, per ſectionem aperto, ma-

„gno

§. VI.

Alcalina terrea, pro more hodierno, ante exhibitionem ſucco citri, aceto deſtillato, aut alio liquore acido vegetabili plus minusve impraegnata, priſtina ſua virtute antacida ex toto quidem, vel parte ſpoliantur, in dubio nihilominus caſu tutiora ſunt, ac certius vires quasdam reſolventes, abſtergentes, quin diureticas exſerunt. Secus ſentiendum erit de magiſteriis, e terreis hiſce per ſolutionem in acidis, et praecipitationem cum alcalicis vulgari modo paratis; quippe quae, ſi iterata ablutione, et perfecta edulcoratione omne, quod genitum fuerat, ſalinum ſolubile denuo ſeparatum fuerit, nulla amplius re-

„gno pondere fuerunt inventi." Huic ſuffragatur *Excell.* ALBERTI, quando in *Diſſertatione de Atrophia* §. 10. ſcribit: „A nimia exhibitione ter„reorum abſorbentium, uti ſunt conchae praepa„ratae, corallia, lapides cancrorum, obſtrui poſ„ſe foramina vaſorum lacteorum firmiſſime opi„nor. Obſervarunt enim, qui corpora infantum „diſſecuere, quod in iis, quibus abſorbentia in „nimia doſi propinata fuerant, cruſtae quaedam „ſolideſcentis materiae, tum in ventriculo, tum „etiam in inteſtinis tenuibus oculis ſeſe ſubjece„rint, quae vix ab horum ſubſtantia divelli po„tuerunt, ſicque nonſolum in ventriculo ſepara„tionem liquoris gaſtrici prohibuerunt, verum „et oſtiola vaſorum lacteorum clauſere, ut chylo „aditus ad maſſam ſanguineam fuerit praeclu„ſus &c.

reſolvendi aut abſtergendi virtute pollent, et, imminutis pariter poſt primam ſolutionem viribus antacidis, longe ſimplicibus ſuis deteriora exiſtunt.

§. VII.

Quo abſorbentium uſus, quod in fine addendum duco, ſemper evadat ſecurior, neceſſe erit, ut, rejectis craſſioribus ac durioribus ſaxeæ indolis, quæ acida potentiora ad ſui ſolutionem poſtulant, ſola duntaxat teneriora, quæ prompte in acidis debilioribus vegetabilis proſapiæ, citra ullam quoque digeſtionem calidam, ſolvuntur, uti lapides cancrorum, conchæ &c., eligantur, iisdemque, ad mucum tenacem eo melius diſſolvendum, ſalina mediæ naturæ vel præmittantur, vel largiori doſi miſceantur. Neglecta enim hac cautela, crebro atque facillime accidit, ut terrea hæc, præſertim in pollinem redacta, et ulterius, acido jam extincto, vel prorſus deficiente, exhibita, cum muco primæ culinæ naturali ac præternaturali in maſſam denſam, quaſi gypſeam, uti antea dictum, concreſcant, et morbis variis cauſſam materialem ſuggerant.

CAPVT

CAPVT III.

DE NATVRA ET PRINCIPIIS TERREO-GELATINOSORVM.

§. I.

TERREO-GELATINOSA, a præcedentibus nonnihil diſtincta, ex ſolo regno animali deſumuntur, et ſunt *Oſſa*, *Cornua*, *Dentes*, *Ungulæ*, aliaque hujus commatis corpora, dura, compacta, inſipida, et inodora, e *terra ſubtili*, *oleo unguinoſo temperatiſſimo*, et ſatis larga *ſubſtantia gelatinoſa*, partes terreas in corpus firmum conglutinante, compoſita. Oleum, hoc loco inter oſſium &c. principia conſtitutiva relatum, gelatinæ ſolummodo intertextum reperitur, ac minime proinde cum illo oleo, quod intimam gelatinæ mixtionem ingreditur, confundendum, ſed peculiare prorſus atque diſtinctum principium æſtimandum erit, quod citra radicalem gelatinæ diſſolutionem, niſi totum, maximam tamen partem, ſeparari, atque ſeorſim monſtrari poteſt; quemadmodum hoc videmus, quando ſolutioni cornu cervi pellucidæ ac flaveſcenti, cum aqua forti dilutiori factæ, oleum tartari per deliquium, vel alcaheſt GLAUBERI inſtillatur: Peracta enim magiſterii albi-

bicantis atque lanuginoſi præcipitatione, liquor ſupernatans aureo colore tingitur, et pinguis ac ſplendens cuticula oleoſa in ſuperficie concreſcit.

§. II.

Dura hæc corpora, accedente digeſtione, ſolvuntur quidem in menſtruis acidis, iisque adæquatis, et ſufficiente quantitate ſuperfuſis, difficilius tamen ac tardius, quam terrea alcalina, quoniam longe major immixtæ pinguis gelatinæ quantitas ſpiculorum ſcindentium aciem hebetat, ac promptum eorum vegetumque inſultum in partes terreas, quibus ſolvendis acida proprie idonea cenſentur, cohibet. Ex eodem quoque fundamento nullus plane, vel tamen vix notabilis, effervefcentiæ motus, poſt acidorum adfuſionem, obſervatur, ſed ſolutio ſine prævio ejusmodi tumultu, ſi paucas bullulas ſubinde adſcendentes exceperis, lente ac languide in loco calido ſuccedit; quum tamen caput mortuum, poſt raſuræ decoctionem, et gelatinæ extractionem relictum, cum acidis fortioribus ſatis vegete effervefcat, ac promptam pariter, nulla etiam in auxilium vocata digeſtione calida, ſolutionem ſubeat.

§. III.

Quemadmodum menſtrua acida partem terream præcipue adgrediuntur, ſic aquea pura,

pura, et aqueo-alcalica unice in ſubſtantiam conglutinantem gelatinoſam penetrant, eamque, præſertim, ſi igne admoto ad ipſum ebullitionis ſeu coctionis motum deducantur, diſſolvunt, et extrahunt. Extracta gelatina, ab igne remota, in loco frigidiuſculo facile ac brevi interjecto tempore, in ſubſtantiam concreſcit albicantem, lubricam, viſcoſam, acredinis non minus, quam volatilitatis expertem, et ſapore tantum moderate pingui atque ſubdulci præditam, ita ut albumini ovorum, aut liquido illi lymphatico, quod, e ſanguine ſecretum, corpora animantium nutrit, ſimillima ſit. Quando ulteriori ſubmittitur evaporationi, in verum gluten, ſeu corpus ſplendens, brunni vel ex brunno-flaveſcentis coloris, cartilagineæ, tandemque corneæ propemodum ſoliditatis, induratur.

§. IV.

Gelatinoſum hoc principium, terreis particulis interjectum, in ſingulis concretis oſſeis non eadem hæret quantitate, ſed alia aliis majorem portionem obtinent; uti illud protracta et iterata raſuræ coctio, et adhuc magis ipſa calcinatio monſtrat. In una v. g. uncia *lapidum carpionum* drachmæ ſex et totidem grana gelatinæ reperiuntur, æqualis contra *cornu cervi* quantitas ſolummodo drachmas tres et grana triginta ſex continet. Monendum

dum quoque eſt, coctionis, ut ut ſæpius repetitæ, ope gelatinam nunquam penitus extrahi: In una quippe cornu cervi uncia, uti vix dictum fuit, drachmæ tres et grana triginta ſex gelatinæ latent, coctione nihilominus binæ tantum drachmæ et pauca grana ſeparari poſſunt. *(a)*

§. V.

Quanquam gelatinæ mixtionem *terra tenerior*, *aqua*, *oleum unguinoſum temperatiſſimum*, et *ſubtile ſal ammoniacale*, reliquis intimius involutum, ingrediantur, eorum tamen nullum, durante mixtione naturali, ſeorſim ſeſe ſpectandum præbet, et gelatinæ proinde, ſive ſint liquidiores ac tenuiores, ſive ſpiſſiores, atque magis coagulatæ, et exſiccatæ, neque fixo, neque volatili, ſale explicito pollent. Sin violento autem ac ſicco igni in retorta, arenæ imponenda, committantur, in ſua reſolvuntur elementa, magnopere tamen, præſertim quoad partem oleoſam et ſalinam, immutata, ac transformata. Succeſſive nimirum in receptaculum *aqua nonnihil turbida*, *ſpiritus pinguis ſalino-oleoſus*, *ſal volatile urinoſum ſiccum*, *oleum levius ex brunno-flaveſcens*, tandemque *oleum craſſum, nigricans, valde foetidum* tranſeunt, et in retorta vitrea *corpus ſpongioſum*, *leve*, *niger-*

(*a*) Plura de hiſce in ſequentibus videnda ſunt.

gerrimum, et *amaricans*, relinquitur, quod, in vaſe aperto perfecte exuſtum, meram terram inſipidam, et inodoram offert.

§. VI.

In gravi igitur errore verſantur, qui ſal quoddam fixum aut volatile explicitum in puris oſſium gelatinis, albumine ovorum, et lympha ac ſero ſanguinis, quæ liquida mucilaginea magna intercedit ſimilitudo, quæſierunt: Errant pariter, qui gelatinis activum quendam halitum, antiſpasmodica virtute præditum, tribuunt. Errorem enim utrumque, tum blanda deſtillatio humida, tum experimenta alia clare oſtendunt. Fluida omnino ſunt mere mucilaginea, torpida, ſenſibili acredine deſtituta, quæ neque cum acidis, neque alcalicis efferveſcentiæ motum ſubeunt, multo minus, oculis aut nervis denudatis inſtillata, roſionis ſenſum excitant. Si e cucurbita igne blando deſtillantur, multum phlegmatis transmittunt, quod nulla olei, ſalis, aut ſpiritus activi veſtigia monſtrat, ſed clarum, pellucidum et inſipidum eſt, excepta portione ultima, quæ, incipiente reſidui exſiccatione et aduſtione leviſſima, tranſcendit, et aliqua amaritie, ac debili odore empyrevmatico imbuta obſervatur, quæ proprietates novæ expulſis quibusdam particulis oleoſis empyrevmaticis, ſub levi partis exſiccatæ aduſtione genitis, unice in acceptis ferendæ ſunt.

CAPVT

CAPVT IV.

DE

MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS MEDICIS TERREO-GELATINOSORVM.

§. I.

Medicamenta terreo-gelatinoſa, ſub pulveris forma, uti moris eſt, propinata, acidum potentius, in ventriculo ſubinde præſens, nonnihil quidem extinguunt, copioſam tamen gelatinam, quæ majorem alias præſtitura eſſet utilitatem, liquori gaſtrico communicare, et proinde ſingularem quoque effectum edere nequeunt. Nonnulli circa gelatinæ extractionem adhuc duriorem fovent ſententiam, et gaſtricum liquorem ſubſtantiæ memoratæ e compactis corporibus oſſeis extrahendæ plane imparem eſſe, pronunciant: Extra corpus enim, inquiunt, ad gelatinæ extractionem calore forti, et ipſa aquæ ſuperfuſæ coctione opus eſt, et, cum tantus caloris gradus in ventriculo nec adſit, nec ſine deſtructione ejus, et momentanea ſeri ac lymphæ coagulatione adeſſe poſſit, nulla coctio, ſed blanda ſaltem digeſtio contingit, adeoque nulla quoque gelatinæ extractio exſpectanda eſt.

§. II.

Fateor, objectionem hanc non prorſus deſtitutam eſſe fundamento, et, iterata experientia (*a*) edoctus, ſcio, aquam ſimplicem, ſola adhibita digeſtione, concretis oſſeis, ut ut ſubtiliſſime pulveriſatis, parum quidem gelatinæ eripere; quod ideo autem extractio ejus in ventriculo ſimpliciter neganda ſit, nondum video. In ventriculo enim plures reſolutionis cauſſæ concurrunt, quibus penitius, atque conjunctim conſideratis, patebit, aliquam gelatinæ extractionem utique poſſibilem eſſe. Primo nimirum perpendendum erit, reſolutionem adſumtorum in animantium ventriculis nequaquam ſimplici digeſtione abſolvi, aut vulgari coctione, nec ſolum quoque calorem ad illam perficiendam poſtulari, ſed ſuum pariter ſymbolum conferre fortem, atque creberrime repetitam, craſſæ atque robuſtæ tunicæ muſculoſæ ſub motu periſtaltico contractionem, et inde pendentem validam in contenta reſolvenda actionem, auctam inprimis per motum

(*a*) Binas drachmas raſuræ eboris tenerrimæ aliquando cum ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate ſat forti digeſtioni ſubjeci, viſurus, an hac ratione multum gelatinæ extraheretur: At, elapſis ſex, vel ſeptem horis, in infuſo decantato, cum illud vario modo explorarem, vix leviſſima quædam gelatinæ veſtigia deprehendere potui, ut ideo valde parum inde ſeparatum fuiſſe, abunde conſtaret.

tum viſcerum et muſculorum abdominalium. Quæ cauſſa magni omnino momenti eſt, dum, ſupputante BORELLO, ventriculi, viſcerum, diaphragmatis, muſculorum abdominalium, aliarumque partium adjuvantium vis, conjunctim ſumta, 12951. librarum pondus æquat. Huic aer ſuccurrit, per calorem expanſus, et iſte pariter, cum quodammodo incluſus ſit, notabilem effectum edit; quemadmodum id *machina* PAPINI, in qua, ob fortem aeris incarcerati et expanſi preſſionem, et ſingularem motum quaſi verticoſum *(a)*, corpora dura, carnea, tendinea, oſſea, aliaque, intra breve tempus, ſubſtrato ſaltem igne moderato, perfecte emolliuntur, immo, in fluidam ſubſtantiam gelatinoſam, aut mucilagineam reſolvuntur. Notabilis inter alia B. HOFFMANNI obſervatio eſt: Unam nempe ſuccini pulveriſati partem cum duabus olei amygdalini partibus in vitro conſervali machinæ Papinianæ, cujus tertia pars aqua repleta erat, impoſuit, et moderata, atque vix ultra horam protracta, digeſtione effecit, ut ſuccinum in liquamen pellucidum gelatiniforme redigeretur, pauco adhuc oleo liquido ſupernatante. *(α)*

 §. III.

(a) „Fungitur aer, BOERHAAVIVS in *Chemiæ T. I.* „*p. m. 451. 452. ſcribit*, inprimis officio miſcendi „omnia quam intime inter ſe: dum tanto pondere, tamque perpetua motus volocitate, inſtar

§. III.

Conſiderandum porro erit, impulſu et attritu, multoties repetito, quanquam leniori, reſolutorium perſæpe impetrari effectum, qui a brevi, eaque fortiori, actione vix ſperandus eſt; uti adſertum hoc inter alia ſolutio coralliorum *Langelottiana*, in ſequentibus deſcripta, emollitio oſſium per aquæ calidæ vapores, nec minus paullatina pyritarum quorundam martialium, aeri liberiori expoſitorum, reſolutio ferme centralis, alibi pariter adducta, et ſimilia ſatis illuſtrant. Idem hic contingere videtur, quod fieri obſerva-

„piſtilli mechanici, movet, conterit, permiſcet „adeo, omnia. Sicque ſingulares valde, neque „alio modo facile præſtandos, effectus producit. --- Nusquam, *paullo poſt pergit*, id apparet manifeſtius, quam in machina Papiniana. „Intra cylindrum æneum oſſa annoſi bovis, Aqua „et Aer, ita concluduntur ſimul, ut nihil penitus aeris aut aquæ, exſpirare de hoc vaſe, ullo „modo poſſit. Tum applicatur ignis, ut aqua „ebulliat. Aer ergo acquirit poteſtatem ſe expandendi proportionalem calori dato. Sic et „Aqua. Unde intelligitur aeris hic et aquæ ad „oſſa quam fortiſſima appreſſio. Interim ſimul „Aer et Aqua intra vas, inter ſe, et ſuper oſſa, „incredibili jam velocitate moventur, et hinc „intra pauca minuta horæ oſſa illa convertunt, „emolliendo in liquorem viſcoſum, aut in maſſam teneram, mollem, ſciſſilem quam facillime &c.

ſervamus in lapidibus duriſſimis, qui per guttas pluviales, ſæpius in idem punctum cadentes, excavantur. Majorem memoratis probabilitatem ipſa conciliat experientia: Quem enim latet, canes oſſa, dentibus ſaltem groſſiuſcule confracta, in ventriculo maxima gelatinæ parte ſpoliare, et reſiduum aridum atque mucoſo-terreum, ſub forma excrementi albi, denuo per alvum reddere? Me quidem non fugit, B. BOERHAAVIUM referre *(a)*, excrementa illa canina, ſub *Albi græci* nomine nota, integra adhuc oſſicula, ſeu oſſium fruſtula eſſe, per interjectas quasdam particulas mucidas in unam duntaxat molem compacta: Attamen, haudquaquam exinde ſequitur, nihil plane extractum eſſe, ſed id tantem licebit colligere, nondum omnem a parte terrea ſeparatam eſſe gelatinam, et nonnulla ſaltem fruſtula, quæ ſine noxa ventriculi rugis interponi nequeunt, vel plane non, vel tamen minus profunde fuiſſe reſoluta. Aliter omnino comparatum eſt cum minoribus moleculis, quæ ejusmodi tamen pulveris ſubtilitatem nondum attingunt; quippe quæ in albo græco gelatina ſua omnino orbatæ deprehenduntur. Novimus porro, gentes nonnullas ſeptentrionales, præſertim lappones, piſces devorare aridos, exſiccatione in aere ad oſſeam fere

 duri-

(*a*) Vid. Ejusd. Prælect. acad. ab *Excell.* HALLERO edit, Vol. I. p. 269.

tiem redactos, et illos nihilominus concoquere. Quid denique dicam de experimento RIVINI? Hic nempe voraci gallo Indico aliquot obulos orichalceos (Zahl-Pfennige) cum alimento conſueto præbuit devorandos, et, quum illi denuo ejecti eſſent cum ſtercore, obſervavit, monetæ partes eminentiores, quæ formabant effigiem, ad plenariam pene abolitionem, attritas fuiſſe, depreſſiores vero ſaltem denigratas. *(a)*

§. IV.

Sed ſufficiant memorata: ſatis quippe probare videntur, ex tenerrimis oſſium pulveribus aliquam gelatinæ partem in ventriculo, etiam ſine coctionis adjumento, extrahi poſſe. Facile cæteroquin ac lubentiſſime cuilibet concedam, quin ipſe defendam, parum vel nihil hos pulveres præſtare poſſe emolumenti. Exigua quippe gelatinæ quantitas, qua ſcrupulus unus et alter inſtructus reperitur, nullius fere momenti eſt, et illi proinde agunt prudentius, et certius exſpectare poſſunt auxilium, qui, rejectis inertibus hujusmodi pulveribus, gelatinas coctione extrahunt, easdemque poſtea, largiori quantitate, vel in decocto, vel, præmiſſa decocti inſpiſſatione, cochleatim ægrotantibus exhibent. Quando memorato enim modo

(a) Vid. Ejusd. Diſſ. de acido ventriculi fermento.

modo in uſum vocantur, 1.) acrimoniam ſalinam quamcunque obtundunt, involvunt atque temperant, 2) mucum, qui ventriculi, inteſtinorum, aliorumque meatuum tunicas naturaliter obducit, et contra corporum rodentium ac vellicantium ſtimulos et injurias defendit, reſtituunt, 3) partes ſolidas eroſas demulcent, et 4) humores nimis tenues et acres nonnihil incraſſant, iisdemque naturalem ſyſtaſin reddunt, ita ut, ob varios hoſce uſus generales, haud dubitandum ſit, quin opem laturæ ſint egregiam in eroſione faucium, ventriculi, inteſtinorum, aliarumque partium, per venena, aliaque acria et corroſiva ſubinde producta, nec minus in cholera, nimia aciditate liquoris gaſtrici, acrimonia bilis, vomitu et diarrhoea bilioſa, dyſenteria, ardore urinæ, ſtranguria, teneſmo ani, adfectibus pectoris variis, a ſeri ac lymphæ acrioris decubitu, et præternaturali adfluxu oriundis, adfectibus ſpasmodicis, rheumaticis, arthriticis, ſcorbuticis, dolore nephritico, epilepſia, hæmorrhagiis excedentibus, febribus continuis, præſertim ardentibus, inflammatoriis, et hecticis, aliisque morbis, qui præcipuam originem ex humorum acredine ducunt. Externe clyſteribus demulcentibus quandoque adduntur.

CAPVT V.

DE LAPIDIBVS CANCRORVM, CONCHIS FLVVIATILIBVS ET LACVSTRIBVS, TESTIS OSTREARVM, ET PVTAMINIBVS OVORVM.

§. I.

LAPIDES CANCRORVM (Krebsſteine), minus recte a quibusdam *Oculi cancrorum* dicti, jure primum locum inter terrea medicamenta obtinent, quoniam in acidis, etiam debilibus ac valde dilutis, prompte ſolvuntur, et facilius, quam reliquorum pleraque, in ſubtilem pulverem redigi poſſunt. Menſibus æſtivis cancrorum fluviatilium ventriculis extrinſecus adnati reperiuntur, et lamellatim ex confluente ſucco terreo-gelatinoſo lacteſcente, vel rectius, ex ſenſim reſoluta externa ventriculi tunica, concreſcunt, imminente ſcilicet exuviarum depoſitione, qua peracta denuo reſolvuntur, ut prima quaſi rudimenta ac ſtamina generandæ novæ corporis cruſtæ ſuppeditent.

§. II.

Copioſe colliguntur in *Hungaria*, *Lithuania*, *Marchia* et *Tartaria*, quarum regionum flu-

flumina ac rivuli gammaris valde abundant. Venduntur *albicantes*, *rubentes* et ſubinde etiam *cœruleſcentes:* Hi poſtremi utplurimum, quanquam ſine ullo fundamento, judicantur præſtantiores, et e cancris vivis exemti dicuntur. Nonnunquam lapides hujusmodi a fraudulentis arte parantur ex argilla, pulvere concharum et ſimilibus, poſteaque genuinis miſcentur, immo factitiis hiſce, ad colorem ſubcoeruleum inducendum, non absque ſummo ægrotantium periculo, ſmaltam admixtam fuiſſe, obſervationes medicæ teſtantur.

§. III.

Conſtant genuini lapides cancrorum ex *copioſa terra alcalina tenerrima*, et *pauca ſubſtantia gelatinoſa conglutinante*. Facile hæc principia eruere poſſumus ſolutione, et calcinatione. Quando integri v. g. lapides aquæ forti, adfuſa aqua ſimplici nonnihil debilitatæ injiciuntur, particulæ menſtrui acidæ confeſtim adoriuntur partes terreas, easque cum multo ſtrepitu ſolvunt, gelatinam vero, terreis moleculis interpoſitam, plane intactam relinquunt; hinc, ſolutione terræ abſoluta, lapides ad ſuperficiem liquoris adſurgunt, ſervata tamen priſtina magnitudine ac forma, præterquam, quod poroſi facti ſint, ſplendentes, pellucidi atque molles. Exemti corpora glabra, ac

gela-

gelatinoſa, digitis facile comprimenda, et ab ordinaria gelatina animali vix diſcernenda, ſiſtunt. Notabile quoque eſt, menſtruum, ut ut ſatis corroſivum, colorem hujus gelatinæ proprium neque extinguere, neque mutare, adeoque ex lapide rubeſcente etiam rubeſcentem, ex albo albidam, et ex coeruleſcente pallide coeruleam relinqui gelatinam. Liquor pellucidus, inſtillato ſale alcalico liquido, terram ſolutam, ſub albiſſimi atque tenerrimi magiſterii forma, ad fundum dimittit, hinc pariter filtrationis ope ſeparari ac colligi poteſt.

§. IV.

Citius atque perfectius principiorum divulſio ac ſeparatio ſuccedit, quando lapides cancrorum pulveriſati calcinationi in crucibulo aperto ſubjiciuntur, gelatina tamen, adhibito hoc reſolutionis modo, deſtruitur, deſtructa auffugit in auras, nec in ſubſtantia proinde monſtrari poteſt. Pulvis quippe ſub calcinationis initio odorem ſpargit, inſtar glutinis vulgaris, recentiſſime cum aqua cocti, terramque relinquit, inſipidam prorſus et inodoram. Solutionis beneficio ex drachmis duabus lapidum cancrorum duodecim grana gelatinæ exſiccatæ obtinui; ſuſcepta autem pulveris calcinatione, ex quantitate æquali drachma una et grana quadraginta quatuor terræ relicta fuerunt, ut inde igitur

tur ſatis conſtet, unciam unam lapidum cancrorum circiter ex drachma una et granis quatuor gelatinæ, et drachmis ſex et granis quinquaginta ſex terræ alcalinæ compoſitam eſſe.

§. V.

Lapides cancrorum genuini promptiſſime, quod in principio dudum retuli, ab acido quocunque ſolvuntur, ac valide ea propter acidum, primæ culinæ inimicum, extinguunt; quod liquor lacteus autem ac mucilagineus magnæ virtutis, citra partis terreæ ſolutionem, in ventriculo, ſecundum HELMONTII ſententiam (α), extrahi poſſit, pro-

(α) „Gemmæ, *in Tract. de Febribus ſcribit*, ſilices, „marmora, et quæcunque cryſtallinam habent „duritiem, nequicquam agunt, aut patiuntur in „nos, aut a nobis, niſi per modum appenſi. Vis „horum ideo languida, quia corpore nimis denſo „clauſa latet. Perlæ vero et corallia, ac quæcunque conchyliorum ſaxatilem duritiem habent, „gemmis quidem in duritie cedunt, attamen proinde nondum conficiuntur in ſtomacho humano, „ut bene in quibusdam avibus. *Lapides* autem „*bezoar*, *cancrorum* &c. adhuc perlis minus duri „non ſunt de natura ſaxatili, ſed potius fiunt ex „ſucco lacteo ſemicaſeato, et ſemiputrefacto, habentque tophi naturam, inter cartilaginem et „lapidem neutram. His ita pro veritate rei ſuppoſitis dico, quod lapides bezoar, cancrorum &c. „quoad ſolidam pulveris ſui materiam nullatenus „digerantur a ſtomacho humano, attamen illis „ineſt ſuccus lacteus et mucilagineus, magnæ „virtutis, exiguæ tamen quantitatis &c.

probabilitate caret; quemadmodum rationi pariter et experientiæ repugnat, quod concreta hæc, adfirmante KRÜGERO (α), plures atque majores virtutes medicas, quam conchæ et margaritæ, exſerere valeant. Quando ante exhibitionem aceto deſtillato irrorantur, vel, quod præſtat, penitus in eodem diſſolvuntur, terreo-ſalſam conſequuntur indolem, poſteaque in adfectibus aſthmaticis, obſtructione renum, calculo, ſanguine extravaſato, congrumato ac coagulato non contemnendum medicamentum reſolvens præbent. Exhibentur per ſe ſub forma pulveris, a granis aliquot ad drachmam dimidiam, et frequentiſſime pariter potiunculis et emulſionibus adduntur.

§. VI.

Lapidibus cancrorum indole atque virtute non inferiores ſunt CONCHAE FLVVIATILES et

(α) „Multum, *in Miſcell. Acad. N. C. Dec. III. Ann.* „*3. obſ. 147. inquit*, intereſt, ut verorum oculo„rum cancrorum nobis ſit copia. Equidem non „diſſimulo, eos easdem acidum annihilandi cum „conchis et margaritis habere vires, interim ta„men plus adhuc iis ineſſe dudum obſervavi. „Nam lapidem bezoardicum imitantur quoad vim „bezoardicam, ſudoriferam, et expulſivam, uri„nam movent, calculum frangunt, ſanguinem „coagulatum diſſolvunt, pleuritidem diſcutiunt, „colicæ medentur, vulnerarii ſunt &c.

et LACVSTRES Fluß- und See-Muſcheln. Ab adhærentibus enim quisquiliis debite repurgatæ, atque tritura in pulverem redactæ, æque, ac lapides cancrorum, a mitiſſimis acidis ſolvuntur, et iis proinde in quovis caſu commode ſubſtitui poſſunt. Nonnulli conchis calcinatis, aut aliquamdiu cum aqua ſimplici coctis, ſpecificas quoque vires antifebriles tribuunt, quas ego tamen concipere nequeo. Defenſores quidem, aliquam redituri rationem, ad virtutem antacidam provocabunt: Sed, poſito atque conceſſo, in febribus intermittentibus, præſertim quotidiana et quartana, copioſam ſaburram acidoviſcidam in primis viis hoſpitari, eamque inter præcipuas quoque militare cauſſas: poſito pariter, conchas acidum hoc præternaturale deſtruere, et hac igitur ratione aliquid ad febris curationem conferre; nondum tamen exinde ſequitur, virtutem concharum antacidam vocandam eſſe antifebrilem ſpecificam, et hanc ipſam ſolis ideo conchis tribuendam.

§. VII.

Cum conchis conveniunt PVTAMINA OVORVM Eyer-Schaalen, a cuticula interiori liberata, et TESTAE OSTREARVM Auſter-Schaalen, præterquam, quod priora longe majori gelatinæ quantitate, ex forti odore fœtido ſub calcinatione cognoſcenda, inſtructa ſint, poſteriores autem textura gau-

deant

deant craſſiori, et exuſtæ igitur calcem ſuppeditent, viva vulgari adhuc acriorem atque crudiorem. Parti quoque earum ſcabroſæ multum ſalis ſalſi marini reperitur immerſum, hinc ſalſum obtinet ſaporem, et gravem odorem ſpirat. HOMBERGIVS, ob indicatam cauſſam poſtremam, parti albicanti internæ, tum ſplendenti, tum rariori cretaceæ partem ſcabroſam externam præfert, eamque ſolam, penitus rejecta interiori, contundere, pulverem ad ſolem exſiccare, et præmiſſa tritura repetita, per linteum trajicere jubet.

CAPVT VI.

DE PERLIS, MATRE PERLARVM, ET OSSE SEPIAE.

§. I.

PERLAE, Perlen, alias etiam *Margaritæ*, itemque, ſi majores exiſtunt, *Vniones* dictæ, ſunt corpora dura, candida, ſplendentia, rotunda, aut ſubrotunda, quæ non tantum in ſic dictis conchis margaritiferis pelagianis, ſed hinc inde pariter in vulgaribus conchis fluviatilibus et lacuſtribus naſcuntur. Optimæ cenſentur orientales, præſertim e conchis exemtæ margaritiferis, quas *Sinus Per-*

ſicus,

ſicus, Arabiam Perſidemque dividens, alit, quæque olim circa *Ormuſium* e fundo maris extractæ fuerunt, nunc vero, poſtquam in loco memorato deficere coeperunt, circa *Baharein* inſulam ab urinatoribus colliguntur.

§. II.

Maximus ſcriptorum, tum veterum, tum recentiorum, diſſenſus circa geneſin et ſpecialem perlarum locum natalem obſervatur. Multi quippe cum PLINIO (*a*) credunt, conchylia margaritifera ſubinde, præſertim menſe Majo, valvis ſuis magis magisque diductis, e fundo maris petroſo, ubi ordinario hoſpitantur; et firmiter plerumque adcreta inveniuntur, ad ſuperficiem enatare, ibidemque unam alteramve roris delabentis guttulam excipere, poſteaque in corpore ſuo tamdiu fovere, donec inde margarita una vel plures, ad majorem ſucceſſive duritiem atque maturitatem deducendæ, naſcantur. Addunt quoque, rorem majalem generandis perlis candidiſſimis ac pretioſiſſimis materiam primam largiri, et easdem præterea fieri majores atque perfecte rotundas, ſi animalculum unicam duntaxat roris guttulam receperit. Fabuloſam hanc PLINII ſententiam neotericorum plerique rejiciunt, et alii cum PHIL.

(*a*) Vid. ejusd. Hiſt. nat. Lib. IX. cap. 35.

PHIL. BONANNO *(a)* margaritas ægritudinis cujusdam conſectaria judicant, adeoque illas in animalculi ægrotantis corpore, æque, ac lapides cancrorum, concreſcere opinantur: Alii eo ſentiendo progreſſi ſunt, ut margaritas concharum ovula, ſeu potius minimas conchulas, ſuo tempore excludendas, eſſe exiſtimaverint. Opinionem hanc MYLIVS *(b)* inprimis, et VALENTINI *(c)* amplexi ſunt, et probandi fine ſingularem obſervationem, quam DN. KREY, piſcaturæ margaritarum in Livonia quondam Inſpector, *Dno* CRASSELIO *Paſtori Niddenſi* communicavit, adducunt, quæ ſpecioſa quidem eſt, fallaciæ tamen ſine dubio originem debet. Facillime enim fieri potuit, ut Nobilis Livonicus, cujus mentio facta fuit in prædicta relatione, exiguam conchulam, ob formæ et nitoris ſimilitudinem, pro vera perla, eamque poſtea, cum valvas blande diducere, ac denuo claudere obſervaret, cum aliis, quanquam falſo, pro ovulo concharum, jam jam dehiſcente, habuerit.

§. III.

Similem quoque diſſenſum circa matricem, ſeu ſpecialem concretionis locum depre-

(*a*) Vid. ejusd. Recreat. mentis et oculi Part. III. pag. 176.
(*b*) In Saxon. ſubt. P. II. relat. 1.
(*c*) In Muſ. muſeor. pag. 495. ſequ.

prehendimus: Quandoquidem alii eundem in interiori conchylii corpore, alii in uno vel pluribus ſuperficiei locis tuberoſis, inſtante perlarum excluſione ſatis conſpicuis, alii in nexu valvarum tendineo, et alii denique in interna valvarum parte quærendam eſſe contendunt. Hinc poſtremæ ſententiæ patroni longius quoque reſpectu ipſius generationis á præcedentibus recedunt, et margaritas non incluſi animalculi, ſed valvarum ſeu matris perlarum fructus partusque eſſe ſtatuunt *(a)*. Nolo ſingulas, quas recenſui, hypotheſes fuſius hoc loco refutare, ſed, prætermiſſis, quæ diſplicent, protinus fateri nullus dubito, vix allegatam mihi præ reliquis arridere, quoniam rationi non minus, quam experientiæ magis conſentanea videtur. Perlæ enim quoad materiam et texturam cum matre perlarum conveniunt, et, æque, ac illa, ex lamellis concretæ obſervantur: Hiſce, ceu argumentum præcipuum, accedit, quod ſolliciti naturæ ſcrutatores in conchis vulgaribus et ordinariis margaritiferis pelagianis non ſolitarias duntaxat margaritas, ſed integros quoque earum nidos, valvarum alterutri firmiter inhærentes, perſæpe invenerint, ita tamen, ut maturitati propiores, quæ ordinario etiam grandiores ſunt,

 et

(a) Vid. D. D. Kundmanni Seltenheiten der Natur und Kunſt p. 433. ſeq.

et magis e valva prominent, laxius in apice nidi hæreant, adeoque facilius avelli, immo ſponte, maturatione prorſus peracta, ſecedere poſſint: Vnde etiam ratio patet, cur perlæ maturæ, et jam a matrice ſua avulſæ, ordinario inter animalculum et valvam reperiantur. Facile cæteroquin concedere poſſum, margaritas nonnunquam in ipſius animalculi corpore concreſcere. Natura enim tam arctis cancellis neutiquam incluſa eſt, ut unam ſemper, eandemque viam in hujus vel illius corporis, præſertim mixti, ac minus proinde artificioſi, generatione ſequi teneatur.

§. IV.

Ex binis ſolummodo elementis perlæ concretæ inveniuntur, ex *ſubſtantia* nempe *glutinoſa*, gelatinæ ordinariæ æmula, et *ſubtili terrea alcalina*, quæ poſterior tamen priorem quantitate longe ſuperat. Monſtrante quippe calcinatione chymica, integra matris perlarum uncia, cui perlæ in hoc paſſu, intuitu ſcilicet principiorum conſtituentium, adeo ſimiles ſunt, ut ſola forma externa, et paullo majori forſan materiæ teneritudine ab ea differant, vix grana viginti quatuor ſubſtantiæ glutinoſæ continet, reliqua pars mera terra eſt, quæ nihil amplius in igne amittit, ſed fixa exiſtit, ac prompte cum acidis, prævia efferveſcentia, in mutuos ruit amplexus; Hinc cauſſa inde evadit manifeſta, cur

perlæ

perlæ facillime in liquoribus acidis, etiam debilioribus, ſolvantur, ac multum acidi extinguant. Superant reſpectu ultimæ hujus virtutis ipſos cancrorum lapides; referente enim LANGIO (*a*), dimidius ſcrupulus perlarum guttas ſexaginta, æqualis autem lapidum cancrorum quantitas quinquaginta duntaxat guttas ſpiritus ſalis acore ſuo ſpoliat.

§. V.

Cognitu ex prædictis facillimum redditur, quousque perlarum virtus medica ſeſe extendat, et unusquisque, rerum medicarum nonnihil ſaltem gnarus, protinus judicare poterit, an iis, præter virtutem antacidam, cardiaca pariter, analeptica, ſedativa, cephalica, antepileptica, quin bezoardica, promiſcue atque ſimpliciter, nulla ſcilicet ſuppoſita conditione, tribui queat. Ego ſane, ratione non minus, quam experientia convictus, credo, perlas proprie nulla virtute alia, niſi ſola antacida, inſtructas eſſe, adeoque effectus reliquos, quos nonnunquam in epilepſia infantili, anxietatibus præcordialibus, et torminibus ventris exſeruiſſe practici teſtantur, ab illa ipſa ſolummodo deducendos eſſe. Noto quippe notius eſt, colluviem pituitoſo-acidam, in ventriculo et inteſtinis hoſpitantem, torminibus ventris, et epilepſiæ

 apud

(*a*) In Diſſ. de Antacidis cap. 5.

apud infantes, ut et anxietatibus præcordialibus apud adultos occaſionem præbere creberrimam; qua igitur extincta, ægritudines quoque inde oriundæ, vel ceſſare prorſus, vel plus minusve mitigari debent; Quod promiſcue autem in morbis allegatis auxilium præſtare valeant, rationalium nullus unquam defendere ſuſtinebit, multo minus adeo ſeſe patietur ſeduci, ut cum empiricorum turba credat, potiunculas et emulſiones, perlarum pulvere onuſtas, profligandis anxietatibus præcordialibus, quæ in febribus malignis, aliisque continuis plerumque reliquis ſymptomatibus ominoſis jungi conſueverunt, apta fore et adæquata remedia, niſi alia ſimul ingredientia activa acceſſerint.

§. VI.

Margaritas et MATREM PERLARUM Perlen-Mutter, tanta, reſpectu indolis atque virtutis, intercedit ſimilitudo, ut hæc in locum illarum, quoties in praxi placuerit, tuto ſurrogari queat. Quod poroſum vero atque ſpongioſum OS SEPIAE MARINAE dorſale Fiſchbein, attinet, de eo paullo aliter ſentiendum erit, quum iſtud, præter conſtitutivas ac proprias *partes terreas*, *ſalſas* quoque *marinas* adventitias contineat, et antacida non minus, quam leniter abſtergente virtute inſtructum ſit. Extincta enim ſepia marina, et partibus mollioribus putredine conſumtis, os dor-

dorſale, naturali ſucco atramentoſo ſucceſſive orbatum, et, plus minusve a fervidis radiis ſolaribus, dum aquæ ob levitatem innatat, calcinatum, multas partes ſalſas in poros recipit, quibus abſtergendi virtus unice in acceptis ferenda eſt. Ob laudatam virtutem abſtergentem medicorum plerique oſſi ſepiæ, in pulvere ad ſcrupulum circiter exhibito, ſpecificas quoque vires in ſiſtendo fluxu ſeminali impuro tribuunt; at ſine ſolido, quod ego quidem credo, fundamento: Non video enim, quid tam exigua ſalis ſalſi marini quantitas ad ulcera genitalium venerea purificanda ac conſolidanda conferre poſſit. Si leniſſima quippe abſterſio ſufficeret, ſal culinare, quod magna quotidie quantitate cum alimentis adſumitur, plus omnino, quam os ſepiæ, in gonorrhœæ virulentæ curatione præſtiturum eſſet. Externe pulveres dentifricios ingreditur.

CAPVT VII.

DE CORALLIIS RVBRIS ET ALBIS.

§. I.

CORALLA ſive CORALLIA Corallen, intuitu mixtionis atque texturæ minerali-

bus, intuitu formæ autem ac modi generationis plantis imperfectis accenſeri merentur. Creſcunt hæc lithophyta in fundo maris ſub forma arbuſcularum, ita ut pedis altitudinem perſæpe conſequantur, indeque, præſertim circa *Indiæ*, *Corſicæ*, *Siciliæ*, atque *Maſſiliæ* littora, menſibus Aprili, Majo, Junio et Julio, ſingulari modo extrahuntur. Arbuſcularum plurimæ albo, aut rubro, pauciſſimæ coeruleo aut nigro colore gaudent, et poſtrema præterea ſpecies non veris coralliis, ſed pſeudo-coralliis a plerisque adnumeratur, quoniam forma et mixtione a vero corallio differt, et rectius inter ligna incruſtata refertur. Ordinario enim, licet nigerrimam atque politam habeat ſuperficiem, per medium trunci atque ramorum lignei ramuli recta excurrunt, ac totum corallium, flammæ admotum, in rarum degenerat carbonem, fortemque, ſpongiæ accenſæ inſtar, odorem ſpargit.

§. II.

Singularia hæc concreta ſub aqua adhuc mollia eſſe, veteres non minus, quam recentiorum nonnulli tradunt. Adſtipulatur quoque huic opinioni indefeſſus quondam naturæ ſcrutator *Comes* MARSILIUS, eamque variis obſervationibus notatu dignis confirmare allaboravit. Aliquando nimirum, ut pauca duntaxat ſpecialius adducam, quosdam coralliorum ramulos, recentiſſime de-

cer-

cerptos, aquæ marinæ impoſuit, et poſt modicum temporis intervallum non ſine oble-ctatione obſervavit, tubercula illa, quæ in corticis ſuperficie erant conſpicua, ſponte aperiri et explicari in flores albicantes, forma ſtellarum cum octo radiis, calyci inſiſtentes, itidem in octo foliola diviſo. Ramulis ex aqua denuo extractis, flores confeſtim claudebantur, et rubra formabant tubercula, quæ, digito aut alio inſtrumento compreſſa, ſuccum lacteum fundebant. De novo aquæ impoſiti refloreſcebant, et in eodem ſtatu, cum in aqua marina relinquerentur, per decem dies perſeverabant. Cortex quoque in ramulis nonnullis, aliquamdiu in aqua maceratis, quod idem refert, a ſubſtantia interiori lapidea ſecedit, et, ad fundum deſcendens, ſucceſſive in materiam mucilagineam, inſtar boli rubicundam, reſolvitur, et interior ſubſtantia tandem putreſcit. Succus lacteus, qui, ſecedente cortice, in aquam defluit, in principio illam fœtido imbuit odore, poſteaque, exacto circiter menſe, rurſus ab aqua ſeparatur, et adſurgens mucidam in ſuperficie cuticulam format, craſſitie dorſum cultri fere æquantem, aqua vero priſtinum ſaporem et odorem marinum recuperat. &c. (*a*).

(*a*) Vid. Hiſt. de l'Acad. Royal. des ſciences ann. 1710.

§. III.

Quanquam ex allegatis obſervationibus et experimentis ſatis pateſcere videatur, coralliorum ramulos ſub aqua marina aliqua adhuc mollitie gaudere, contrariam nihilominus multi fovent ſententiam, eidemque experientia pariter valorem conciliare ſtudent. Silentio prætermittam FERRANDI IMPERATI, OLAI WORMII, BAGLIVI, aliorumque teſtimonia, et ea duntaxat, quæ IOHANNES GEORGIVS PELSHOFERVS in *Tyrocinio ſuo chymico* (a) communicavit, adducam: „Generoſus, inquit, Dominus „IOH. BAPTISTA DE NICOLO, *Eques* „*Maſſilienſis*, et Regius piſcationis corallo„rum in regno Thunetano præfectus, certo „mihi confirmavit, quod, cum anno 1585, „menſe Julio in mari Bizertino regni illius „Thunetani piſcationem inſtituiſſet, cupidi„tate naturæ corallorum inveſtigandæ addu„ctus, juvenem funibus ſufficienter longis „alligatum, et pondere viginti quinque li„brarum in utraque manu, ad deſcenſum li„beriorem, in mare iſtud, centum perticas „profundum, demiſerit, ipſique in mandatis „dederit, Corallium ut evelleret, et inter „evellendum curioſe attenteque obſervaret, „an molle durumve eſſet. Qui ubi rurſus „adſcendiſſet, utraque manu corallium attu„lerit,

(a) Lib. II. cap. 10.

„lerit, conſtanterque aſſeruerit, illud non „minus in ſuo mari, quam ſupra illud durum „eſſe, et ſe, cum ad octo perticas aut circi- „ter prope fundum maris appuliſſet, magnam „ibi frigoris vim ſenſiſſe. Imo, quod ipſe- „met etiam cum relationi ejus fidem adeo „non haberet, in mare, cum retia, quibus „corallia piſcari ſolent, contrahenda eſſent, „antequam in ipſum aerem efferrerentur, ad „profunditatem unius perticæ ſe immerſerit, „et corallium reti adhærens manu-prehen- „derit, idque tum æque durum, ac cum ae- „ri externo eſſet expoſitum, obſervaſſe. „Idem etiam confirmavit ONG *de la* POI- „TIER, *Nobilis Lugdunenſis*, qui anno 1613. „ab ejusmodi piſcatione reverſus eſt. Quod „ſi ita ſit, magno certe in errore hactenus „verſati ſunt Præceptores noſtri, contrarium „docentes. &c.

§. IV.

Difficillimum ſane futurum credo, indubitatam aſſequi veritatem, ubi experientiæ prorſus contrariæ ab auctoribus fide dignis adducuntur; media nihilominus via incedere, et ad diverſum maturitatis gradum in coralliorum ramulis reſpicere, tutiſſimum erit. Quum corallia enim inter plantas imperfectas locum tueantur, multumque ætate et maturitate differant, ſententiæ, primo intuitu contrariæ, fortaſſis conciliari poterunt.

Pro-

Probabile nimirum eſt, ramulos juniores aliqua adhuc mollitie gaudere, ætate vero provectiores ac maturiores illa paullatim privari, tandemque penitus indureſcere, et, cum grandiores coralliorum frutices piſcatorum ſtudium atque attentionem magis, quam minores ac minus ſpecioſi, excitent, facile fieri poteſt, ut, obiter conſideratis minoribus ac junioribus, majores, qui ſub aqua pridem perfectam adepti fuerunt duritiem, exactiori contemplationi ſubmiſerint, indeque univerſalem poſtea concluſionem formaverint. Opinionem hanc, quam nemini tamen obtrudam, ipſum coralliorum incrementum quodammodo confirmare videtur: Admiſſa enim perfecta duritie primordiali, tantum fruticum hujusmodi incrementum vix concipi poſſet, et ipſe BOCCONI, qui contrariæ tamen ſententiæ addictus eſt, fateri cogitur, ſeſe coralliorum frutices aliquoties inveniſſe, quorum ramuli quidem duri erant, rotundæ vero extremitates ſuperiores notabilem adhuc mollitiem oſtendebant, albumque, inſtar eſulæ, humorem includebant. *(a)*

§. V.

Haud minoribus difficultatibus ſpecifica propagationis ratio premitur, ac nondum debite exploratum eſt, an coralliorum frutices,

(*a*) Vid. Recherches et Obſ. naturelles Epiſt. 1. & 12.

ces, ſecundum vix allegati BOCCONIS ſententiam, ex variis moleculis terreſtribus, ſalſo-glutinoſis, ac bituminoſis, aquæ marinæ innatantibus, et ſenſim præcipitatis, concreſcant, an potius, aliarum plantarum inſtar, per ſemina quædam, an effluente denique ſucco glutinoſo, ac prolifica virtute prædito, quæ hypotheſis multis arridet, vel alia prorſus ratione, nobis ignota, propagentur. Quod me attinet, controverſiæ huic, quam, nova atque ſufficienti experientia deſtitutus, perfecte dirimere nequeo, uberius examinandæ immorari quidem nolo; ne eandem tamen absque ſententiæ confeſſione dimiſiſſe videar, fateri nullus dubito, me illis calculum adjicere, qui propagationem per ſemina fieri exiſtimant; quoniam laudatus *Comes* MARSILIVS in ordinariis coralliorum ramulis floſculos albicantes, qui ſeminum geneſin valde quoque probabilem reddunt, et TANCREDVS ROBINSON, *Anglus*, in variis plantis ſubmarinis, coralliorum fruticibus analogis, ipſa ſemina detexit. (*a*)

§. VI.

Corallia alba ex ſola *ſubſtantia terrea alcalina* et *ſalſo-glutinoſa* componuntur, in rubris vero memoratis *tenerrimum quoddam martiale*, in cœruleſcentibus *venereum*, et in cœruleo-rubicundis *venereo-martiale principium*

(*a*) Vid. Derhami Phyſico-Theologie p. 998.

pium accedit. Terrea ſubſtantia, quæ cæteris baſin præbet, ac largiori quantitate mixtionem ingreditur, manifeſta eſt, nec ulla proinde probatione indiget; reliqua autem principia ita terreo interpoſita et implicita inveniuntur; ut chymicis demum examinibus, aliisque obſervationibus et experimentis demonſtranda ſint. Quare, ut hæc quoque pateant, potiora argumenta, rationi et experientiæ ſuperſtructa, adducam, et cum glutinoſa ac ſalſa ſubſtantia exordiar, quibus probandis obſervationes et experimenta MARSILII, LANGELOTTI, BORRICHII, et GODOFREDI egregie inſerviunt. Secundam iteratam nempe MARSILII obſervationem e coralliis recentibus, et nonnihil adhuc mollibus, ſuccus glutinoſus exprimi poteſt, colore, pro coralliorum differentia, vel albido, vel flaveſcente, vel ſubrubente tinctus, et ſapore pariter, nunc acidiuſculo, atque ſubadſtringente, nunc vero nidoroſo, nunc acri, ac plus minusve pungente, præditus, qui in aqua marina fundum petit, et vini ſpiritum flava, ac livida tinctura imbuit (*a*). Cortex quoque, quod in præcedentibus (§. 2.) pridem retuli, in ramulis quibusdam recentibus, quando in aqua marina aliquamdiu macerantur, ſponte ſecedit, et in craſſam ſubſtantiam mucilagineam reſolvitur, cujus partes conſtitutivas, interveniente tamen ali-

qua

(*a*) L. c.

qua metamorphoſi, ſicca ac violenta deſtillatio monſtrat: Obſervante nimirum vix allegato MARSILIO recentia corallia transmittunt phlegma lacteſcens, itemque ſpiritum urinoſum, in quo aquæ marinæ odor dominatur, et quidem longe majorem quantitatem, quam cornu cervi, nec non oleum fœtidum, quaſi bituminoſum, ex rubro-nigricans, ac reliquis ſupernatans. Valent memorata ſolummodo de coralliis recentiſſimis; cum vetuſtis enim, atque perfecte exſiccatis et induratis aliter in hoc paſſu comparatum eſt, et nihil hæc ipſa, vel exiguam duntaxat, liquidi portionem, accedente ſeverioris Vulcani tortura, ſibi extorqueri patiuntur; quemadmodum hoc GODOFREDI examina ſatis confirmant: Quippe qui ex integra coralliorum rubrorum libra vix drachmas duas et grana duo ſpiritus volatilis urinoſi, grana duo vel tria olei fœtidi, et ex reſiduo, ulterius calcinato atque elixiviato, drachmam unam et grana quinquaginta ſalis fixi obtinuit. *(a)*

§. VII.

Multum pariter lucis utriusque principii allegati cognitioni LANGELOTTI et BORRICHII experimenta fœnerantur. Prior nimirum aliquando integris coralliorum rubro-

(a) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des ſciences. ann, 1708.

brorum fragmentis oleum quoddam blandum deſtillatum, cujus nullam tamen ſpecificam fecit mentionem, ſuperfundebat, viſurus, an tincturam extraheret; attamen, cum tale quid haudquaquam contingeret, nec ullam corallia et oleum mutationem ſubirent, cucurbitam repoſuit, tandemque diu repoſitam digeſtioni commiſit, et poſt menſem, quum forſan eandem agitaret, obſervavit, fragmenta corallina paullo intenſius rubere, et molleſcere, absque ulla tamen olei mutatione. Reliquit proinde cucurbitam in eodem caloris gradu, et, elapſis aliquot diebus, vidit, corallia penitus reſoluta eſſe in mucilaginem rubicundiſſimam, et menſtruum oleoſum, ſalva priſtina forma, adhuc nihiloſecius ſupernatare, nec tantillum tincturæ ſuſcepiſſe. Cucurbitulam ſæpiuscule ac ſatis valide agitavit, at, nulla olei et mucilaginis rubicundæ unio inſecuta eſt, ſed oleum ſemper ſuperiorem, mucilago inferiorem regionem petebat. Quare, cum unionem digeſtionis beneficio procurare, aliquamdiu ſine ſucceſſu tentaſſet, oleum a mucilagine decantando ſeparavit, priſtinum ſuum ſaporem atque odorem perfecte adhuc retinens, mucilaginem rubicundam vero, adfuſo ſpiritu vini tartariſato, brevi adjuvante digeſtione, in rubicundiſſimam tincturam reſolvit. (*a*)

§. VIII.

(*a*) Vid. Miſcell. Acad. N. C. G. ann. 3. Obſ. 59.

§. VIII.

Majoris ferme momenti eſſe, ac plus, quam præcedentia, ſi eventus ſcilicet promiſſis perfecte reſpondet; demonſtrando principio coralliorum ſalino inſervire videtur proceſſus chemicus. a BORRICHIO (*a*) communicatus: ſubtiliſſimo nimirum coralliorum crudorum pulveri tantum aquæ ſimplicis deſtillatæ adfunditur, ut emineat ad aliquot digitorum latitudinem, poſteaque coctio, per biduum, ſæpius interea pulvere aut vaſe agitato, continuanda, inſtituitur, et, ea peracta, atque liquore penitus refrigerato, aqua, levi jam flavedine tincta, a pulvere ſubſidente decantatur, tandemque, prævia tamen percolatione, in vitro ferme ad ſiccitatem evaporando redigitur. Magma rubicundum et ſalinum, inde reſultans, et impuris quibusdam partibus adhuc inquinatum, in pauxillo aquæ deſtillatæ denuo ſolvitur, percolatur, et blando calore eo usque evaporatur, donec tinctura debitæ conſiſtentiæ atque coloris remaneat, quæ, ſi ſenſim in vaſe ampliori, charta leviter tecto, et in loco temperato, a ſolis irradiatione libero, reponendo, evaporatur, in fundo cryſtallos format ſalinas, cubicas, pulcherrimas, ſapore acri quidem, minime tamen alcali-

(*a*) In Tract. de Hermetis Aegyptiorum et Chymicorum ſapientia p. 320.

alcalico, prædita. Cryſtallos haſce, uti Auctor porro teſtatur, ſubſtantia interjacet rubicundiſſima, inſtar ſucci ribium craſſiuſculi, quæ in aqua deſtillata facile diſſolvitur, eandemque rubro colore imbuit.

§. IX.

Per ſubſtantiam terreo-ſalino-glutinoſam hactenus luſtratam ac demonſtratam, tenerrimum principium tingens martiale in coralliis rubris diſperſum eſt, cujus præſentia e rubedine ſolummodo obſcure, ex chymico autem GODOFREDI examine luculentiſſime cognoſcitur. Laudatus ſcilicet auctor corallia rubra in acido vitrioli ſolvit, ſolutionem filtratam in duas partes diviſit, et alteri oleum tartari per deliquium inſtillavit, alteram vero leni evaporatione concentratiorem reddidit: Quo facto, ex portione priori pulverem albicantem alcalino-terreæ indolis, martialibus tamen moleculis, quæ admoto magneti adhærebant, remixtum, ad fundum præcipitari, in poſteriori autem, brevi elapſo tempore, vitriolum martiale tenerrimum concreviſſe, obſervavit *(a)*. Quod venereas autem particulas, reliquis principiis ſubinde interjectas, attinet, de iis color quidem coralliorum nonnullorum ſubcœruleus præcipue teſtari videtur, aliquando tamen in ſcripto quodam, quod rurſum excidit

(a) L. c.

cidit memoria, memet quoque legiſſe recordor, chemicum quendam coralliis pulveriſatis, colore rubro, valde tamen ad cœruleum vergente, præditis, flores ſalis ammoniaci ſub prima præparatione adjeciſſe; et inde, adfuſo tandem ſpiritu vini, tincturam elegantiſſime cœruleam, forma externa tincturæ veneris HELVETII non diſſimilem, obtinuiſſe.

§. X.

Nonnulli in coralliis rubris etiam ſingulare quoddam *ſulphur ſolare* quærunt, et inde non ſolum rubedinem, ſed confortantem pariter, atque cardiacam virtutem, quam plerique coralliis rubris tribuunt, derivare audent. Verum enim vero, aureum hoc principium in coralliis ad entia imaginaria pertinet, ac nullo unquam experimento ſolide demonſtrari poterit. Color rubicundus, quod facile ex præcedentibus, aliisque obſervationibus analogis cognoſcere licet, unice tenerrimis particulis martialibus, per totam coralliorum molem diſperſis, originem debet, et, cum ſolaris itaque ſubſtantia ſulphurea deficiat, non video, quibus argumentis virtutis cardiacæ ac confortantis patroni putatitias haſce vires amplius probare ac demonſtrare velint. Provocabunt quidem ad experientiam, et, nonnihil mutata hypotheſi ſua, laudatos effectus medicos,

quos deficiens principium ſolare præſtare nequit, a martialibus moleculis, quæ, ab acido primæ culinæ in vitriolum tenerrimum mutatæ, leniter conſtringendo fibras et membranas aliquantulum roborare valent, fortaſſis derivabunt. Lubentius ſane poſteriorem hanc opinionem, quæ primo intuitu non plane deſtituta videtur veriſimilitudine, memet admiſſurum eſſe, non diffiteor, ſi martiale principium majori quantitate coralliis rubris inhæreret, et juſta igitur inter cauſſam et effectum proportio adeſſet; at, cum parciſſime ſaltem illud ipſum reliquis principiis interjectum ſit, calculum meum nondum adjicere audeo. Non movet me ſola experientia; quam, ratione ſolida deſtituti, defenſores allegare ſolent: Satis enim compertum habeo, experientiam ejusmodi perſæpe tumultuariam, mancam, adeoque etiam fallaciſſimam eſſe; et effectus, quos medici rudes, aut præjudiciis occæcati, huic vel illi pharmaco tribuunt; quique nulla nituntur ratione ſolida, plerumque cauſſarum fallaciis ſua primordia debere.

§. XI.

Sed, principiis coralliorum, et putatitiis quibusdam virtutibus relictis, videbimus, quousque ſeſe veræ eorundem vires medicæ extendant. Profecto, ſi dicere licet, quod res eſt, corallia alba nihil amplius, in pulvere

vere ſcilicet exhibita, in corpore efficiunt, quam ut primæ culinæ acidum præternaturale abſorbendo extinguant, et rubra, ob mixtas tenerrimas particulas martiales, per idem acidum in ſubtile vitriolum transformatas, paullulum ſimul ſolidorum fibras adſtringere valent. Conveniunt proinde cum reliquis terreis antacidis, et albis nulla prorſus, rubris vero non adeo ſingularis concedenda eſt prærogativa, niſi denuo cum quibusdam ad imaginarium ſulphur ſolare recurrere, idemque effectuum peculiarium auctorem conſtituere velimus.

§. XII.

Corallia plerumque ſub pulveris forma exhibentur, proſtant tamen variæ quoque tincturæ, diverſis menſtruis, diverſaque methodo ex rubris coralliis paratæ. Præter acida enim, quæ coralliis penitus diſſolvendis apta reperiuntur, concentrata pariter alcalia, oleoſa et inflammabilia ſpirituoſa, accedente inprimis digeſtione diuturna, aut alia operatione miniſtra, tingens coralliorum principium nonnihil adgrediuntur, etiamſi haud negandum ſit, quod pleræque coralliorum tincturæ magis menſtruis, præſertim oleoſis aut ſpirituoſo-inflammabilibus, ſub digeſtione aut deſtillatione plus minusve calore expanſis et exaltatis, quam avulſis et ſolutis particulis tingentibus, ſuam debeant

originem; quemadmodum hoc clare e rubro liquore cognoſcimus, qui, prægreſſo phlegmate, tranſtillat, quando ſic dictum *ſal coralliorum*, ex albis duntaxat coralliis cum aceto paratum, deſtillationi in retorta ſubjicitur.

CAPVT VIII.

DE CRYSTALLO MONTANA, LACTE LVNÆ, OSTEOCOLLA, ET TERRIS SIGILLATIS, AC SIGILLANDIS ALBIS.

§. I.

Quanquam regnum minerale numeroſa nobis terrea abſorbentia offerat, noſtra nihilominus ætate pauca ſaltem in uſum medicum vocantur, et CRYSTALLVS MONTANA, LAC LVNÆ, OSTEOCOLLA, et TERRÆ SIGILLATÆ unice propemodum civitatis pharmacevticæ jura retinuerunt. CRYSTALLVS MONTANA, (Berg-Cryſtall), cujus locus natalis in terræ viſceribus ac montibus *Islandiæ*, *Sueciæ*, *Norwagiæ*, *Germaniæ*, *Bohemiæ*, *Helvetiæ*, *Hungariæ*, aliarumque regionum quærendus eſt, non glacies indurata eſt, quod veterum nonnulli cum PLINIO crediderunt, ſed lapis durus, transparens, adamantem forma atque ſplendore æmu-

æmulans. Conſtat ex *terra minerali puriori*, et *pauca ſubſtantia ſalino-glutinoſa*, quæ poſterior adeo tamen inter partes terreas recondita hæret, ut nulla ejusdem ratio ſub lapidis uſu habenda ſit. Partes terreæ manifeſtæ ſunt, ſalino-glutinoſæ autem calcinationis reſtinctoriæ beneficio nonnihil demum evolvuntur. Nam lapis hic, ſæpius iteratæ ignitioni et extinctioni in aqua frigida ſubjectus, tandem, adfirmante BECHERO, in mucoſam materiam reſolvitur, quæ deſtillata ſubtilem ſpiritum et oleum ſuppeditat: Immo, accidiſſe idem Auctor teſtatur, ut cryſtallus ſolveretur, et menſtruo aqueo abſtracto, tota cryſtalli ſolutio ſicca, pellucida, inſtar gelatinæ conſiſtens, in fundo vaſis reperta fuerit, tractabilis ut cera, et æque ac borax ad ignem leviter fuſilis. Ab acidis debilioribus nunquam ſolvitur, et ipſa quoque acida graviora mineralia parum eidem eripere valent. Unde manifeſtum eſt, durum hunc lapidem militare ſolum inter medicamenta penitus inertia, nec quicquam virtutis ab eo in morbis, ex acido primæ culinæ oriundis, multo minus in cholera et venenis cauſticis mineralibus, morbisque ſimilibus, in quibus ſpecifice a multis commendatur, exſpectandum eſſe.

§. II.

Textura longe rariori gaudet friabile illud

 concre-

concretum terreum, quod hinc inde in *Helvetiæ* atque *Tranſylvaniæ* &c. cryptis atque ſpeluncis ſubterraneis inter rimas ſaxorum ex confluente liquore albido aqueo-terreſtri concreſcit, et vulgo LAC LVNÆ, itemque *Marga ſaxatilis*, *Agaricus mineralis*, Monden-Milch, Steinmarck &c. dicitur. Obiter nempe diſſolutum, et nonnihil ſaltem agitatum, aquæ lacteum conciliat colorem, et prompte pariter, prævia forti efferveſcentia, ab acidis potentioribus ſolvitur. Priſtinum igitur locum inter antacida remedia tuetur; quod ſpecificis autem galactophoris, ſeu pharmacis proventum lactis uberiorem procurantibus, ſecundum ſuperſtitioſorum traditionem, accenſeri poſſit, negare nullus dubito. Scio quidem, acidum præternaturale, in prima culina abundans, chylum præcipitando corrumpere, adeoque novi lactis geneſin remote impedire poſſe: Scio quoque, lac lunæ, ob vires antacidas, removendo obſtaculo indicato aptum eſſe; ex ſola tamen virtute antacida, qua cuncta hujus farinæ corpora inſtructa ſunt, allegatam ſpecificam nondum eruere poſſum.

§. III.

TERRAE SIGILLATE ET SIGILLANDAE ALBAE, weiße geſiegelte Erden, quibus *Hyeroſolimitana*, *Turcica*, *Laubacenſis*, *Lemnia*, *Lignicenſis*, *Strigonienſis*, *Melitenſis*

tenſis præcipue accenſeri merentur, pro meo judicio inter ſelecta ægritudinum remedia amplius collocari nequeunt, etiamſi quondam a plerisque magni æſtimatæ, et, ob vires incraſſantes et bezoardicas imaginarias, in morbis variis, maxime autem in febribus malignis, hecticis, hæmorrhagiis &c. valde commendatæ fuerint. Meræ omnino terræ pingues margaceæ ſunt, ac debili proinde ventriculo, licet vulgaribus paullo teneriores reperiantur, multum plerumque moleſtiæ creant, et facillime, niſi copioſum in prima culina acidum inveniant, cum cruditatibus mucidis in tenacem maſſam gypſeam concreſcunt. (*a*).

(*a*) Quando ſpiritus vitrioli, aqua ſimplici nonnihil debilitatus, terris ſigillatis albis ſuperfunditur, nulla quidem efferveſcentia oritur, confeſtim nihilominus bullulæ quædam adſurgunt, ac ſenſim quoque parum materiæ ſpumidæ in ſuperficie liquoris colligitur. Ex terræ cujusdam ſigillatæ albæ Sileſiacæ granis XV., cum duabus ſpiritus memorati drachmis in arena calida per ſedecim horas probe digeſtis, poſt præcipitationem cum liquido alcalico fixo, filtrationem, edulcorationem et exſiccationem magiſterium plane inſipidum, coloris ſublutei, obtinui. Quamdiu illud poſt præcipitationem in liquore relinquebatur, ob inſignem teneritudinem ac levitatem, ſatis pingue ac valde copioſum videbatur, et fæces cereviſiæ colore et habitu externo referebat; filtratione vero ſeparatum et exſiccatum, tantummodo ſex grana

§. IV.

Terris recenſitis adhuc ignobilior eſt OSTEOCOLLA, alias etiam *Oſteocollum, Lapis oſſifragus, Marochius, Aſius Dioſcoridis, Oſteites* &c. Bruchſtein, Bein-Bruchſtein dicta. Colore gaudet vel gryſeo, vel albido, vel flaveſcente, ac paſſim in tractibus arenoſis *Franconiæ, Haſſiæ, Marchiæ Brandenburgicæ, Pomeraniæ, Sileſiæ, Poloniæ*, aliarumque regionum ſub terra ad variam craſſitiem ac longitudinem creſcit. Tam altas radices, referente BECKMANNO (*a*), in terra quandoque egiſſe compertum eſt, ut ramos ad aliquot ulnarum profunditatem porrexerit. Radices plerumque ad perpendiculum directæ ſunt, rariusque ramuli per latera diffunduntur, nec ubique æquali pollent craſſitie, ſed alii aliis tenuiores, vel craſſiores, inſtar plantarum ſuper terræ ſuperficiem creſcentium, inveniuntur; truncus tamen omnium craſſisſimus eſt, et perſæpe mediocris brachii, vel tibiæ craſſitiem attingit, ramis interim

grana pendebat, et nullum amplius pinguedinis veſtigium monſtrabat. Notari quoque meretur, ſub præcipitantis alcalici infuſione fortiſſimam effervefcentiam fuiſſe obortam: Inde enim clare cognoſcere licet, terras hujusmodi ſigillatas parum acidi in liquore acido ſolvente extinguere, nec adeo magnam proinde vim antacidam in ventriculo exſerere poſſe.

(*a*) In Hiſt. urb. Francof. p. 33. Conf. Acta Societ. Angl. ann. 1668 p. 646.

terim auricularis digiti craſſitiem non ſuperantibus. Certum atque definitum tempus oſteocolla ad maturitatem poſtulat: In illo enim loco, ubi anno præterito effoſſa fuit, altero anno nova plerumque genita viſitur, quæ tamen, ſi præmature effoditur, juſtam duritiem non adquirit, ſed extracta aliquam mollitiem ac friabilitatem retinet.

§. V.

Cauſſam diviſionis oſteocollæ in ramos idem BECKMANNVS prodire arbitratur ex plantarum (α) radicibus, ſemet ſubter terram paſſim diffundentibus, adeo, ut materia terrea arenoſo-margacea circa eas colligatur, et, firmius adhæreſcens, ſecundum radicum diviſionem, figuram poſtea ac ſpeciem plantæ conſequatur. Et inde etiam ratio ducenda videtur, cur linea obſcura trunci et ramulorum

(α) B. NEVMANNVS, qui veram oſteocollæ originem ac geneſin ſedulo inveſtigavit, in hoc paſſu a BECKMANNO diſſentit, nec promiſcue quarumvis plantarum radices, ſed unice, vel tamen plerumque, populorum radices prima ſtamina terreo-lapideo huic concreto præbere exiſtimat: Quæ, ſi citra exceptionem vera ſunt, ſequitur, in illo loco, ubi hoc anno oſteocollum extractum fuit, altero anno, quod BECKMANNVS tamen adfirmat, nullam novi oſteocolli concretionem exſpectandam eſſe, quoniam neceſſaria fundamenta lignoſa poſt primam effosſionem deficiunt.

lorum centrum ſecundum longitudinem ſemper percurrat. Hæc ſtria ſenſim evaneſcit, et oſteocolla in medio clareſcit, quamprimum radix paullatina corruptione in pulverem redacta fuit. Subinde quidem oſteocollum in medio perfecte ſolidum, et prædicta cavitate penitus deſtitutum, occurrit; at, iſtud neutiquam circa craſſiorem quandam radicem, ſed tantummodo circa complures fibras tenues concrevit; Hinc poros quidem per totam longitudinem, nullam tamen, ut prius, cavitatem oſtendit. In illis locis, ubi oſteocolla deliteſcit ſub terra, inter arenam, quæ hic locorum ubique coloris ſubflavi eſt, albicans atque pinguior arena in conſpectum venit, eademque remota, obſcura, pingviuſcula, et, non obſtante calore, et ſiccitate alterius arenæ, quodammodo humida ac putrida materia, inſtar ligni putridi; quæ paſſim ſub arenis diffunditur in modum ipſius oſteocollæ, et ab iis, qui effodiendæ oſteocollæ operam navant, *Flos oſteocollæ* vocatur. Oſteocolla, hac ratione inventa, tota mollis eſt, magis tamen friabilis, quam ductilis: Quare, ſi foſſoribus integrum truncum cum ramis extrahere placet, circumquaque arenam provide amovere debent, et ita aliquamdiu relinquere, donec indureſcat, quod plerumque, ſi aeri et radiis ſolaribus liberior acceſſus pateat, poſt horæ dimidiæ decurſum fieri ſolet.

§. VI.

§. VI.

Reſpectu mixtionis internæ oſteocollum ex *arena* conſtat, et *rudiori terra margacea*, quibus pauciſſimæ tamen particulæ *bituminoſæ*, et *ſalinæ* tam *acidæ*, quam *urinoſæ* altius immixtæ hærent. Partes bituminoſæ et ſalino-urinoſæ deſtillationis ſiccæ ac violentæ beneficio eliciuntur, et ita colligi poſſunt, ut priores oleum empyrevmaticum, petroleo analogum, poſteriores, una cum inhærentibus aqueis, liquorem alcalicum forment: Quod acidas vero, quæ cum acido ſalis culinaris conveniunt, attinet, illæ, addito oleo vitrioli, expelluntur, et in ordinarium quoque liquorem ſpirituoſum; ſi memoratum ſcilicet acidum in retorta tubulata adfunditur, ſenſim congregantur. Plerorumque ingredientium origo ſub terra facile patet, et urinoſæ particulæ procul dubio e putrefactis primis ſtaminibus lignoſis generantur.

§. VII.

In menſtruis acidis oſteocolla quoad partem ſolvitur, ita tamen, ut ſolutæ materiæ quantitas pro ſpecifica acidorum differentia magnopere variet. Referente nimirum ſæpius allegato NEVMANNO, qui ad ſolutionem quamcunque drachmam ſemiſſem oſteocollæ, et unciam dimidiam menſtrui adhibuit, *acetum deſtillatum*, ſcrupulum dimidium, *aqua regis* et *ſpiritus nitri* ſcrupulum unum et gra-

na ſex, et *oleum vitrioli* quatuor ſaltem grana ſolvit. Singulæ hæ ſolutiones colore flavo, in aliis ſaturatiori aureo, in aliis dilutiori tinctæ erant, immo, ſimilis flavedo, quanquam debilior et nonnihil ad albedinem inclinans, ſi ſolutionis acetoſæ reſiduum, quod naturalem ſervaverat colorem, exceperis; in relicta parte minus ſolubili conſpiciebatur.

§. VIII.

Rudi, craſſo, et ignobili huic concreto nonnonnulli vires ſpecificas in fluore albo, gonorrhœa, et oſſium fracturis tribuunt, et callum in caſu poſtremo potentiſſime generare perhibent: Sed, cuinam principio ſingulares hæ virtutes adſcribendæ ſint, hactenus nondum eruere potui. Pro mea igitur ſententia iners in morbis medicamentum eſt, nec ullam, præter debilem antacidam, virtutem medicam exſerere, multo minus callum, ſive interne ſub pulveris forma exhibeatur, ſive externe emplaſtris addatur, generare valet.

CAPVT

CAPVT IX.

DE CALCE VIVA ET INDE PARANDO INFVSO AQVOSO.

§. I.

Calx viva, nondum per vapores aeris, aut craſſiorem humiditatem aqueam diſſoluta, ungelöſchter Kalck, quoad habitum externum corpus ſiccum lapideo-terreum, obſcuræ albedinis, ad flavedinem paullulum inclinantis, refert, et ordinario e lapidibus calcariis, qui hinc inde e montibus ac collibus copioſe eruuntur, fortiſſimæ calcinationis ſeu exuſtionis beneficio, paratur. Lapides memorati ex *multa terra*, *pauca ſubſtantia unguinoſa*, et *paucisſimo acido minerali vitriolicæ proſapiæ* conſtant. Terra ſenſus manifeſte incurrit, ſubſtantia unguinoſa ex tenacitate ac glutinoſitate, poſt violentiſſimam etiam exuſtionem in calce remanente, pateſcit, et deſtillationis denique ope acidum vitriolicum in apricum poteſt deduci. E calcariis enim lapidibus, recenter effoſſis, capaci retortæ loricatæ, igni aperto imponendæ, immiſſis, ſubſtrato igne fortiſſimo, liquor aqueo-acidulus, qui proprietatibus ſuis phlegma vitrioli, ſeu ſpiritum vitrioli, mul-

tâ

ta aqua debilitatum, æmulatur, in receptaculum expellitur. Tranſit pariter pauxillum liquidi urinoſi, quod tamen ante deſtillationem ſiccam in lapidis calcarei mixtione nondum latuit, ſed demum ſub calcinatione, ſeverioris Vulcani tortura, genitum fuit.

§. II.

Laudatæ partes, e quibus lapides calcarii crudi componuntur, ſub violenta exuſtione plus minusve mutantur ac transformantur: Terra redditur poroſior atque ſolubilior, ſubſtantia unguinoſa ex parte evadit tenerior, et ſal acidum, interveniente arctiſſimo ejusdem cum terra ſubtiliori ſolubili et pauca ſubſtantia unguinoſa connubio, partim in ſal fixum alcalicum, valde tamen terreum, partim in volatile ſulphureo-urinoſum degenerat, ut ideo calx viva ex *terra craſſiori antacida*, *craſſiori* pariter *materia pingui glutinoſa* remixta, nec minus ex *ſubſtantia terreo-ſalino-alcalica*, et *ſulphureo-ſalino-urinoſa* conſtare recte dicatur.

§. III.

Principium terreo-ſalino-alcalicum ſatis clare e calcis vivæ virtute, ſulphura mineralia ſolvendi, cognoſcitur. Quando ſulphur commune enim, itemque ſulphura antimonii cum aqua calcis vivæ ſaturata debite coquuntur, inde decoctum reſultat rubicundum, et

ſul-

ſulphura æque, ac ſi cum alio lixivio alcalico concentrato coċta fuiſſent, ſolvuntur. Promtius ſuccedit, et citius pariter pars ſulphurea ex pulveriſato antimonio crudo extrahitur, quando lixivium, e cineribus clavellatis et calce viva paratum, ſuperfunditur, vel ipſa calx viva decenti quantitate cum ſulphure pulveriſato miſcetur, et coctio deinde inſtituitur. Decoctione nimirum ultimo hoc modo inſtituta, liquor inde emergit intenſe rubens, qui filtratus pellucidus eſt, et tempore hyberno ſolo aeris hypocauſti calefacti tepore evaporatus, obſervante STAHLIO (*a*), craſſum, ſalinum, ſiccum, maxima ex parte cryſtallinum, ſedimentum relinquit, quod ipſum, licet denuo totum in aqua diſſolvi nequeat, ſalinam tamen ſui conſiſtentiam a priori, uti laudatus Auctor loquitur, probavit, dum in aqua diſſolutum, filtrum cum illa penetravit. Sedimentum hoc terreo-ſalinum amaricans (quale etiam reſultat, quoties aqua calcis vivæ cum acido quodam confunditur) proxime ad naturam tartari vitriolati accedit, et dubio procul ex partibus terreo-ſalino-alcalicis calcis vivæ, et acidis vitriolicis, e ſulphure ſub diuturna coctione ſeparatis, et a phlogiſtæ ſubſtantiæ, quæ rubro aquam colore tingit, compedibus plus minusve liberatis, naſcitur.

§. IV.

(*a*) Vid. Fundamenta Chemiæ p. 92.

§. IV.

Majus pondus hactenus adductis, et ab obſervatione deſumtis argumentis addit experientia *Domini* DU FAY, qui novam methodum, ſal, quanquam valde terreum, ac debilis ſaporis, e calce viva educendi, in *Actis Societatis Regiæ Pariſinæ* (*a*) communicavit: Sumuntur ſcilicet aliquot libræ, v. g. decem vel plures, calcis vivæ, in fruſtula diffractæ, ſeu groſſiuſcule contuſæ, et pars altera poſt alteram, cum carbonibus, alternatim crucibulo ingeſtis, ſtratificata, in furno calcinatur, usque dum aliquam rubedinem contraxerit: Quo facto, in aqua extinguitur. Aqua, materiæ rubeſcentis ac calcinatæ iterata immerſione, ſale impraegnata, cum calce per horæ dimidium coquitur, et calx deinde repetita aquæ decantatione atque filtratione ſeparatur, lixivium pellucidum vero evaporatur, ſic ſal deſideratum remanet. Magma hoc ſalinum ſaporem ſalinum omnino quidem poſſidet, non deguſtanda tamen ſunt pauca duntaxat grana, ſed integrum cohlear una vice ori ingerendum eſt, ut acredo ſalina eminentius ſentiatur. Nunquam perfecte album reddi poteſt, et in principio, ante novam ſolutionem ac depurationem, cum acidis adfuſis fortem efferveſcentiæ motum ſubit; partibus terreis autem reiterata ſolutione ac filtratione ſegregatis, cum acidis amplius effer-

(*a*) Ann. 1724. p. 126.

fervefcere renuit, etiamſi, prompte in cella ſubterranea deliqueſcens, in flaveſcentem liquorem reſolvatur. Magna aquæ quantitas, et coctio protractior, quod, intuitu vix memorati promti ejusdem in aere et cella ſubterranea deliquii, utique paradoxon videtur, ad hujus ſalis ſolutionem requiruntur. Convenit cæteroquin quoad ſaporem acrem, et quodammodo etiam colorem cum liquore illo acri et flavo-rubente, qui forti igne ex calce, jam in aere extincta, et retortæ indita, expellitur. (α)

 §. V.

(α) Ad argumenta, quibus chymici præſentiam ſalis alcalici in calce viva probare allaborant, vulgo etiam referuntur *Incaleſcentia* ejusdem ac *Diſſolutio* in aere humidiuſculo, nec minus *Ebullitio* cum aqua ſimplici ſuperfuſa, quæ ad tantum ſubinde gradum evehitur, ut multæ ad ſuperficiem liquoris bullulæ, nec minus viſibiles ſuper illam, craſſi, acres, mordaces, vapores in aerem adſurgant, et aqua æque, ac igne actuali ſubdito, ebullire videatur. Verum, quum ſcriptores circa deſignandam veram hujus phœnomeni cauſſam, quid? quod, circa ipſam denominationem valde diſſentiant, iſtud argumentis adnumerare nondum audeo. Alii enim motum hunc, qui in aqua adfuſa oboritur, *Ebullitionem*; alii *calidam Efferveſcentiam*, nominandum eſſe opinantur. Illi eundem, nec minus fortem, quæ jungitur, incaleſcentiam a particulis igneis, et ſubtiliſſimis æthereis, ſub fortiſſima calcinatione ingreſſis, et ex poris, aqua ſuperfuſa laxatis, demum prodeuntibus, dedu-

cunt.

§. V.

Præter principium terreo-alcalicum fixum, uti antea pridem monui, in calce viva volatile quoque ſulphureo-urinoſum hæret: Neutrum tamen, quod circa poſterius utique admirationem meretur, ſolo igne ſicco a terra et

cunt. Sed, quomodo ſubtiliſſima materia æthereo-ignea, fortiter commota, terreo ejusmodi corpori tamdiu includi, et adeo occultari poteſt, ut nullum plane caloris veſtigium poſt refrigerationem relinquatur? Aut, quomodo inhærens et incarcerata ſubtilis materia ignea, ad perfectam quietem redacta, tam cito ac fortiter ab aqua intrante impelli iterum, expelli, et ad celerrimum motum igneum denuo ſubeundum deduci poteſt? Majori paullulum veriſimilitudine gaudere videtur ſententia poſteriorum, qui ebullitionem hanc calidæ effervescentiæ ſpeciebus adnumerandam, et ex concurſu, conflictu ac forti attritu inteſtino, vel partium acidarum et alcalicarum, ſimul in calce hærentium, vel etiam principii terreo-alcalici, præprimis volatilis ſulphureo-urinoſi, uſtione violentiſſima in calce geniti, et acidi ſubtilioris, in aquæ poris hoſpitantis, derivandam eſſe contendunt. Certiſſime enim in calce viva principium terreo-ſalino-alcalicum præſens eſt, et de acidi ſubtilioris præſentia in aquis vulgaribus, tum ex aere, ſub roris aut pluviæ forma, decidentibus, tum e telluris gremio, ubi acidum ſpirituoſum copioſius, quam in aere, circumvagatur, prorumpentibus, nullo pariter modo dubitandum eſt. Chymica quippe experientia conſtat, aquas fontanas, etiam puriſſimas, citra pelluciditatis jacturam, tenerrimas moleculas terreſtres in ſinu

ſuo

et craſſiori ſubſtantia unguinoſa ſeparari et expelli poteſt, ſed aer humidiuſculus, et ipſa aqua deſideratur. Nam ſub extinctione, ſive ea in aere, ſive aqua contingat, vapores acres, mordentes adſurgunt, et tales quoque, quanquam minori comparative quantitate, e parie-

ſuo fovere reconditas, quæ, inſtillato liquore alcalico concentrato, in conſpectum veniunt, et, in raram congregatæ nubeculam, partim fundo, partim lateribus vitri adponuntur. Merito igitur hoc loco quærendum erit: Quid antea particulas haſce terreas, quævis filtra cum aqua liberrime tranſeuntes, ſolubiles reddiderit, et in aqua tenuerit ſuſpenſas? Profecto, ni admodum fallor, ſubtile fuit acidum, quod violenter per alcali liquidum, ſucceſſive inſtillatum, avellitur, adeoque illis ulterius ſolvendis, et in alto ſuſtentandis ineptum redditur; unde fit, ut illæ, ceu corpuſcula per ſe aqua ſpecifice graviora, aquæ diutius innatare nequeant, nec amplius etiam, indole ſalina penitus amiſſa, chartæ bibulæ poros cum aqua tranſire poſſint.

Fateor, hanc hypotheſin, ceu prioribus probabiliorem, illico memet admiſſurum eſſe, niſi aſſenſum plenarium diſſvaderet experientia contraria, qua edoctus ſcio, calcem vivam non tantum in aqua ſimplici ac pura, ſed alcalicis quoque liquoribus, tam fixis, quam volatilibus urinoſis, leviter remixta, motum, efferveſcentiæ æmulum, ſuſcitare, licet ille paullo remiſſior ſit, quam in aqua pura, et incaleſcentia quoque cum inſequente diſſolutione tardius aliquantulum contingat. Quare cum ſatis inde conſtet, laudata phaeno-

tibus, recenter dealbatis, ac nondum ſufficienter exſiccatis, exhalando in aerem prodeunt, immo particulæ volatiles ſulphureo-urinoſæ, ſi calx viva ſali ammoniaco ſub ſpiritus deſtillatione, loco cinerum clavellatorum aut ſalis tartari, additur, cum reliquis partibus ſpi-

mena unice a ſimplici acidi ſubtilis, in aquæ poris hoſpitantis, et alcalici in calce principii concurſu haudquaquam poſſe derivari, merito adhuc quæritur: Quænam igitur alia ſingularis hujus effectus cauſſa præcipua allegabda ſit? Pro mea ſententia propius illi ad veritatem accedere videntur, qui ſimul ad teneram quandam ac mobilem ſubſtantiam ſulphuream, ſub calcinatione ex acido ſubtili vitriolico et materia pingui unguinoſa enatam, reſpiciunt, et a reſolutione ejus ac motu calorifico, poros ſcilicet aere humidiuſculo aut aqua intrante, ebullitionem et incaleſcentiam deducunt. Calx viva enim, ut nonnulla illuſtrandi fine adducam, quodammodo convenire videtur cum *Lapide Bononienſi*, et *Phoſphoro* BALDVINI. Prior hinc inde in Jtalia, maxime autem in territorio *Bononienſi*, circa montem *Apenninum*, et in monte *Paterno* reperitur, et lapidem ſiſtit gryſei coloris, ponderoſum, partibus ſulphureis inſtructum, qui debite, præmiſſa ſingulari præparatione alia, ab HOMBERGIO deſcripta, calcinatus, in loco tenebricoſo, ſi antea aeri libero, præſertim cœlo ſereno, aliquantulum fuerit expoſitus, lucem, prunæ inſtar, ſpargit. Similis lucula ſeu fulgor igneus, in tenebris conſpicuus, ab aere libero et radiis ſolaribus in *Phoſphoro* BALDVINI excitatur, qui itidem calcinatione ex creta, et ſpiritu nitri paratur, et quoad nonnulla calci vivæ valde ana-

ſpirituoſis tranſcendunt, et ſpiritum evocatum vulgari acriorem atque fervidiorem reddunt. Scio quidem, alios aliam eminentioris acredinis cauſſam, quæ terræ tenerrimæ, urinoſo ſali inhærentis, deſtructione nititur,

analogus eſt. Sed, quanta, quanta, aliquos dicturos credo, debilem et evanidam hanc lucem absque calore, et fortem, quæ a calce viva in aqua ſuſcitatur, incaleſcentiam differentia intercedit! Non audeo ire inficias, lucem hanc, et aquæ cum calce incaleſcentiam multum intercedere diſcriminis, tantum tamen illud eſſe, ut corpora memorata hoc loco illuſtrandi gratia allegari, et quoad indolem cum calce viva aliquantiſper comparari nequeant, non video. Valde enim quoad elementa ac præparationem cum calce viva conveniunt, ut nullum dubium ſupereſſe videatur, quin ignis actualis ſub calcis in aere humidiuſculo incaleſcentia proditurus eſſet, ſi calci partes ſulphureæ mobiles paullo copioſius inhærerent; uti id fieri obſervamus in *Pyrophoro* HOMBERGII, qui, ex alumine uſto et vitellis ovorum, vel alia materia, phlogiſto principio prægnante, forti calcinatione paratus, ceu pulvis, maximam partem ſulphureus, illico accenditur, quamprimum aer liberior admittitur, licet antea in vitro probe obturato diu absque incenſione cuſtodiri potuerit. Inde cæteroquin cognoſcimus, ſubtiles ac mobiles ſubſtantias ſulphureas, ſi ad motum igneum deduci debent, diverſas cauſſas impellentes poſtulare, et alias ignem craſſiorem, et ſenſibilem calorem, alias tantummodo ignem debiliſſimum, non ex ardore; ſed ex luce duntaxat cognoſcendum, concipere.

allegare; (*a*) at ſolam hanc locum hic invenire, neutiquam credo, ſed, præter eam, laudatas quoque partes urinoſo-ſulphureas, quas addita calx viva ſuppeditat, admittendas eſſe exiſtimo.

§. VI.

Calx viva, tanquam corpus terreum, valde craſſum atque cauſticum, per ſe in medicina adhiberi nequit, ſed aquoſum duntaxat infuſum ejus hactenus inter medicamenta interna et externa locum invenit. Paratur illud ſecundum BVRLETI (*b*) deſcriptionem non ex calce Hollandica, quæ ex teſtis oſtrearum &c. calcinatione producitur, ſed ex calce viva vulgari, hactenus deſcripta, et quidem modo ſequenti: Recipitur libra una calcis vivæ, eidemque ſex libræ aquæ pluvialis, aut fontanæ puriſſimæ adfunduntur. Ceſſante ebullitione, infuſum, in digeſtione frigida per XXIV. horas relictum, per colatorium trajicitur, et ad uſum reponitur. Reſiduo prædicta aquæ quantitas ſecunda quidem vice adfundi poteſt, aſt infuſum inde obtinetur, paucis principiis, ac longe minoribus viribus inſtructum, et ſi tertia vice id fiat, infuſum viribus plane deſtituitur. Calx interim,

(*a*) Vid. Neumanni Lect. de Sale ammoniaco pag. 260.

(*b*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences loc. cit.

rim, poſt trinam infuſionem ſuperſtes, ſi de novo ſubjiciatur calcinationi, denuo activa redditur, et aquam deſideratis viribus iterum imbuere valet.

§. VII.

Abundat infuſum hoc, ſi recens, particulis *ſulphureo-urinoſis*, *terreo-ſalinis alcalicis fixis*, et maxime *terreis tenerioribus*. Terra quodammodo convenit, præſertim in conſortium receptis particulis ſalino-alcalicis, cum decantatiſſima *Magneſia alba*, præterquam, quod paullo rudior ſit, et ſalſa ſubſtantia, quæ magneſiæ exigua quantitate admixta reperitur, deſtituta. Recenter parata hæc aqua longe potentior eſt diutius jam adſervata: Partes enim ſulphureo-ſalinæ, quibus præcipua virtus in acceptis ferenda, ſucceſſive abeunt in auras; quemadmodum hoc ex imminuta acrimonia, et imminuta pariter virtute ſulphura ſolvendi, ſatis clare cognoſcimus: Unde conſtat, aquam hanc coctione, præprimis diuturniori, parari non poſſe, multo minus evaporationis beneficio majorem ipſi activitatem conciliari, ſed utroque potius modo, ob principii primarii jacturam, inertem plane ac fatuam evadere, adeo, ut, præter terram alcalinam, nihil amplius in poris foveat reconditum.

§. VIII.

Aqua deſcripta acidum, tum in primis viis, tum ipſo ſanguine et humoribus reliquis præternaturaliter adcumulatum, extinguit, ſolida membranacea ſiccando leniter adſtringit, et adſtringendo æque, ac blande ſtimulando, nec minus fluida aliquantulum commovendo, lenem diureſin ac diaphoreſin movere, adeoque humores purificare, et majorem ipſis fluiditatem conciliare valet. Ejusdem quippe virtutem non ſubſiſtere in prima culina, ſed ad ſanguinem et reliquos humores circulantes extendi, ex principiorum ſolubilitate in aqua, et facillimo per filtra tranſitu ſatis pateſcit.

§. IX.

Ex memoratis vires ſpecialiores facile quidem deduci poſſunt, priusquam tamen mentem meam de illis aperiam, virtutes, ab aliis medicis huic aquæ adſcriptas, recenſebo. In Batavia, referente BVRLETO *(a)*, illa ſpecifica creditur in cachexia, chloroſi, obſtructione viſcerum, ſcorbuto et hydrope, præſertim, ſi cum tinctura antimonii, aut metallorum combinetur, et ea quidem proportione, ut menſura una aquæ laudatæ duas, vel tres tincturæ uncias recipiat. Hujus mixturæ unciæ ſex quotidie in hydrope, et ſcorbuto hauriendæ ſunt. Excellentius, ſecun-

(a) L. c.

cundum BVRLETI relationem, hoc medicamentum evadit in pallore cachectico, quando mixtura ex unciis quatuor aquæ calcis vivæ, totidemque unciis tincturæ metallorum, aloes pulveriſatæ uncia una, et croci martis drachmis duabus componitur, et infuſum, peracta quadraginta horarum digeſtione, a fecibus decantatum, ægris ſucceſſive propinatur. Quod ſi quoque huic jalappæ drachmæ tres addantur, melius hydropicis mederi dicitur. Doſis quotidiana mixturæ ad bina cochlearia adſcendit, et cum juſculo quodam adſumitur. Febres contumaces quartanas pariter fugare traditur aqua calcis vivæ, quando eidem et tincturæ metallorum modica quantitas tincturæ corticis Peruviani miſcetur.

§. X.

Ulterius progreditur BVRLETVS, et aquam hanc in omnibus quoque vulneribus atque ulceribus, tam internis, quam externis, cum lacte mixtam, aut decoctis travmaticis additam, nec minus in hæmorrhagiis exorbitantibus, dyſenteria, fluore albo, ſtranguria, aſthmate, itemque in tumoribus internis, qui nondum in ſcirrhum aut cancrum abierunt, ut et in ſcrophulis, ac ſtrumis, nondum inveteratis, valdopere commendat, ac multum ab ea auxilii, ſi uſus aliquamdiu continuetur, exſpectandum eſſe adfirmat. In

Gal-

Gallia illam plerumque cum lacte vaccino aut aſinino miſcent, et in aſthmate eidem pectoralia addere, atque ſequenti modo infuſum inde parare conſueverunt: Rec. aquæ calcis vivæ menſ. IV., ligni ſaſſafras, rad. glycyrrhizæ, ſem. aniſi aa. uncias IV., paſſular. minor. libr. dimid. Infundantur more conſueto, et deinde quinque, vel ſex unciæ hujus infuſi bis quotidie ægro exhibeantur.

§. XI.

Magis hæc aqua, præſertim tincturis calidioribus, v. g. tinctura antimonii, metallorum &c. remixta, teſte ſæpius allegato BVRLETO, conducit Batavis, ceterisque gentibus ſeptentrionalibus, aere humido, craſſo, et ſimili victu utentibus, adeoque fibris laxioribus, et humoribus ſpiſſiuſculis præditis, quam Galliæ incolis, ac gentibus vicinis, quæ aerem ſicciorem atque calidiorem hauriunt, et alimentis tenerioribus nutriuntur. Memoratus proinde auctor additionem tincturæ metallorum in regionibus calidioribus plane omittere, et aquam calcis dilutiorem reddere, ac doſi minori propinare ſuadet. Quum aqua hæc, præſertim ſub uſu diuturniori, adpetitum etiam dejiciat, alvum adſtringat, et ægros paullulum macilentos reddat, vini generoſi hauſtum frequentius interponere, et macilentos, aut alvi obſtructione ac ſiccitate laborantes ab uſu ejus penitus abſtinere

re jubet; Et hoc monitum quoque obſervandum erit, quoties morbi ex nimia ſolidorũm ſiccitate atque ſtrictura ſuam originem ducunt.

§. XII.

Praecipuis, quae BVRLETVS, aliique de hujus aquae uſu interno communicarunt, recenſitis, meam pariter epicriſin ſubjuncturus, videbo, an ratio, vere medica, uſum illius internum in ſingulis morbis, antea nominatis, ſuadeat ac probet, nec ne. Quo id autem ordine meliori fieri queat, aegritudines illas, quibus aqua haec, interne uſurpata, mederi creditur, in duas claſſes redigam; quarum prior cachexiam, aſthma pituitoſum, phthiſin, obſtructiones viſcerum chronicas, hydropem humidum, leucophlegmatiam, febrem quartanam, ſcorbutum, tumores ſtrumoſos, aliosque frigidos; poſterior autem haemorrhagias, vulnera, ulcera, dyſenteriam, fluorem album, et ſtranguriam comprehendet. Morbi primae claſſis laxitatem et atoniam partium nervoſo-membranacearum, et praeter hanc, vel acido-tartaream, ac mucidam, vel ſalſam atque acrem humorum dyſcraſiam cauſſas agnoſcunt praecipuas. Quare, cum infuſum calcis vivae, uti ex praecedentibus conſtat, non tantum, mediante terra tenerrima, acidum praeternaturale deſtruere, ac ſolida laxa ſiccando leniter adſtringere, verum etiam

prin-

principio alcalico, præſertim volatili ſulphureo-urinoſo, blande ſtimulare, fluida ſpiſſa reſolvere, et leni diureſi atque diaphoreſi impuritates educere valeat, in propatulo eſſe opinor; uſum eius internum, eumque cautum ac moderatum, in morbis prædictis utique admittendum eſſe.

§. XIII.

Notatu quidem dignum eſt, aquam hanc etiam ſtrumis recentioribus abigendis aptam cenſeri, quum tamen in illis regionibus, ubi ſtrumæ inter morbos endemios militant, potus aquarum, partibus tophaceis, et calcariis valde refertarum, cauſſa earum præcipua judicetur. Attamen, hoc loco pro mea ſententia magis ad principii ſulphureo-urinoſi, quam terrei, operationem reſpiciendum erit, quippe quod, humores ſpiſſos et coagulatos diſſolvendo, tubulorum lymphaticorum, et glandularum obſtructiones auffert. Non obſtat quoque lenis, a terreo principio exſpectanda, vaſculorum nimium dilatatorum ad-et conſtrictio, ſed multum ea ad ejusmodi tumorum ablationem confert.

§. XIV.

In morbis alterius claſſis cum uſu hujus aquæ interno cautius paullo mercandum, et plures ideo cautelæ circa eum a practico ratio-

tionali obſervandæ erunt. Nam hæmorrhagiæ exorbitantes tubulorum ad-et conſtrictione non ſemper tuto ſiſtuntur, et in dyſenteria atque fluore albo adſtringentia nullum locum inveniunt, niſi in hoc ſaburra viſcida, in illa vero, ſimul procurata febris, et ſtatus inteſtinorum inflammatorii mitigatione, quinimo plenaria ablatione, impuritates cauſticæ prius fuerint eductæ. In ſtranguria autem temperandi, ut et in ulceribus ſiccandi fine facilius admittere poſſum. Semper tamen uſus evadet ſecurior, et virtus medica exaltabitur, quando aquæ huic, in morbis primæ et ſecundæ claſſis exhibendæ, præter varias tincturas, etiam liquida diffuſiora, ſive ſint infuſa, ſive decocta, ex plantis, aliisque ſpeciebus, cuivis morbo adpropriatis, parata, adduntur. Externe hæc aqua epithemata, partibus, gangræna adfectis, adplicanda, ingreditur, et adhuc frequentius eluendi, abſtergendi et ſiccandi fine, ad ulcera impura, exedentia, et ichoroſa venerea, aliaque adhibetur.

CAPVT

CAPVT IX.

DE VNGVLA ALCIS, CRANIO HVMANO, CORNV CERVI, ET OSSIBVS DE CORDE CERVI.

§. I.

VNGVLA ALCIS (Elends-Klaue) eſt durum, compactum et inodorum concretum oſſeum, quod ex *multa terra alcalina*, et *copioſa* pariter, eaque *ſubdulci* ac *temperata*, *gelatina* conſtat, quæ poſterior tamen coctione a parte terrea nunquam penitus ſeparatur. Ex una enim raſuræ uncia, licet coctio protractior adhibita, eademque, adfuſa aqua recenti, ſemel repetita fuerit, ſolummodo drachmam unam cum dimidia extrahere potui; inſtituta vero calcinatione, binæ ferme drachmæ, ſub fumi fœtentis forma, ſeparatæ fuerunt, ut inde igitur ſatis adpareat, alcis ungulam ex æqualibus propemodum gelatinæ conglutinantis, ac terræ alcalinæ partibus compoſitam eſſe. Terreæ moleculæ valde gelatinoſæ ſubſtantiæ hærent involutæ; hinc ungula, licet in raſuram redacta fuerit teneriorem, tarde admodum et difficile in liquoribus acidis, potentibus etiam ac concentratis, ſolvitur. Acidum enim gelati-

tinam aggredi nequit, adeoque ad partes terreas implicitas, quibus corrodendis ac ſolvendis unice par eſt, ægerrime penetrat. Unde cognoſcimus, in ventriculo, ubi debile duntaxat acidum quandoque hoſpitatur, nec ulla coctio, ſed blanda ſaltem digeſtio admittenda eſt, nunquam perfectam ejus ſolutionem exſpectandam eſſe.

§. II.

A priſci non minus, quam recentioris ævi medicis durum hoc concretum tantis encomiis, ob imaginariam quandam virtutem antiſpasmodicam et antepilepticam, ornatum fuit, ut plerique ad illud ipſum, tanquam ad ſacram anchoram, in convulſionum truculentiſſimarum curatione confugere haud dubitaverint. Verum enim vero, quis tam eximias vires antepilepticas a debiliſſima virtute antacida, qua alcis ungula lapidibus cancrorum nullo modo comparanda eſt, exſpectabit? Quis paucis gelatinæ granis, quæ in exigua, qua vulgo exhiberi conſuevit, mole hærent, ſingularem virtutem antiſpasmodicam tribuere audebit? præſertim, cum animantia carnivora gelatinis temperatis, quas alimenti loco magna quotidie quantitate adſumunt, adeo adſuefacta ſint, ut nullam inde mutationem, qualem medicamenta ſtricte ſic dicta producunt, experiantur. Scio quidem, nonnullos ad activum quendam hali-

tum reſpicere, et ab eo vires ungulæ antiſpasmodicas deducere: At, ſcio etiam, uti hoc in tractatione generali pridem retuli, halitum illum ad imaginaria ungulæ alcis, et corporum ſimilium principia conſtitutiva referendum eſſe.

§. III.

Præjudicatæ opinioni, circa vires ſpecificas enatæ, procul dubio morbus caducus, quo alces, æſtivis inprimis menſibus, frequentiſſime affligtari dicuntur, occaſionem ſubminiſtravit: Superſtitioſi quippe, ac nimis creduli rerum naturalium ſcriptores tradiderunt, animantia hæc, epileptico paroxyſmo correpta, caput ſuum pone aures ungula ſiniſtra, (quæ ideo etiam præſtantior judicatur), ſcalpendo, venulam unam alteramve aperire, et, modico ſuperveniente ſanguinis ſtillicidio, confeſtim ab inſultu memorato liberari. Sed, quis nugis ejusmodi, quibus certiores neotericorum relationes plane contrariæ inveniuntur, ullam fidem adhibebit? Non nego quidem, laudata animalia, (quæ in ſylvis *Norwegiæ*, *Lapponiæ*, *Finnoniæ*, *Lithuaniæ*, et *Pruſſiæ* præcipue degunt), ſontico huic morbo valde obnoxia eſſe, nego tamen, illum tali cauſſæ ſuam debere originem, quæ illico parco cruoris effluxu aufferri, aut ſaltem mitigari poſſit. Vermes ſunt, et ſingularia inſecta ex genere crabro-

crabronum, quæ intra nares, et inter pilos dorſi, immo, in ipſa cranii cavitate nidulantur, et punctura ac roſione moleſtiſſima adeo duram meningem, aliasque membranas ſenſibiles torquent; ut in vehementiſſimas contractiones epilepticas ruere cogantur; quemadmodum hæc ex docti HELWINGII, *ſacerdotis Angerburgenſis in Pruſſia*, obſervationibus (a) clarius pateſcunt.

§. IV.

Severiorem, quam ungula alcis, cenſuram meretur CRANIVM HOMINIS, *violenta morte peremti*. Vix ſatis enim dicere licet, quantam fiduciam medici ſuperſtitioſi, ſpasmos, epilepſiam, aliasque convulſiones profligaturi, in hoc pariter medicamento quondam collocaverint, etiamſi in eo, præter *vulgarem terram alcalinam* et *gelatinam*, quæ poſterior quartam circiter ponderis partem conſtituit, nulla ſubſtantia activa alia demonſtrari, nec ulla ideo eminentis virtutis antepilepticæ ratio reddi potuerit: Quicquid nonnulli enim de inhærentibus ſingularibus ſpiritibus garriunt, nugis fabuliſque adnumerandum eſt. Pertinet præterea ad pharmaca horrida, ideo inprimis e ſelectorum cenſu releganda, quod ægris ſcientibus nauſeam pa-

 riunt;

(a) Vid. Breßlauer Natur-Geſchichte Part. VI. ann. 1718. p. 1746.

riunt, immo, haud levem nonnunquam horrorem incutiunt. (*a*)

§. V.

a) Dolendum ſane, quod omni pene ævo ipſorum medicorum nonnulli obſcœna quædam, ſordida, horrida, et ab ipſo homine deſumta, pharmaca introducere allaboraverint. GALENUS de ſimili pridem XENOCRATIS APHRODISIENSIS conamine vituperando *Libro X. de ſimpl. medicament. facultatibus* conqueritur: „Quædam, inquit, eorum abominanda ſunt, deteſtandaque, quædam „etiam legibus vetita, de quibus haud ſcio quo „pacto ſcribere licuit Xenocrati, homini non olim „nato, ſed proavorum noſtrorum ſeculo, cum „imperium romanum hominibus veſci vetuiſſet. „Atque ille ſane tanquam ipſemet fuerit expertus, magna profecto fiducia ſcribit, quosnam affectus curare valeat comeſum cerebrum, aut „carnes, aut jecur humanum, quos autem capitis, ſuræ aut digitorum oſſa, partim uſta, partim uſtionem non experta, quæ denique et ſanguis. Sed hæc ſane, tametſi contra leges ſunt, „non tamen ſunt fœda, et obominanda. At potio ſudoris, aut urinæ, aut menſium mulieris „abominanda deteſtandaque eſt: atque horum „imprimis ſtercus; quod tamen ſcribit Xenocrates, ſi oris aut gutturis partibus inungatur, et „in ventrem devoretur, quid præſtare valeat. „Scripſit etiam de aurium ſordibus devorandis. „At ego ne has quidem unquam devorare ſuſtineam, ne ſi in toto quidem morbo deinceps liber degerem. Atque his etiam magis abominandum puto ſtercus, eſtque gravius probrum „homini modeſto audire κοπροφάγον, hoc eſt „ſtercorivorum, quam fellatorem aut cinædum &c.

§. V.

Medicamento utrique, alces nimirum ungulæ, et cranio humano, CORNV CERVI albicans et compactum, quale in cornuum peripheria et extremitatibus reperitur, præferre nullus dubito, quoniam longe promptius, quam ungula, in acidis liquoribus ſolvitur, et abſque nauſea quoque adſumi poteſt. Quando gelatina coctionis beneficio extrahitur aqua, raſuræ uncia, quod ſupra pridem retuli, vix drachmas duas et pauca grana reddit; ſin calcinationi autem ſubjiciatur, gelatinoſum principium totum reſolvitur in fumum fœtentem, ita, ut ex integra raſuræ uncia, ſaltem uncia dimidia et grana viginti quatuor terræ alcalinæ relinquantur. Exhibetur quidem, ad acidum primæ culinæ extinguendum, acrimoniam humorum obtundendam, et partes eroſas demulcendas, ſola tritura in ſubtilem pulverem redactum: Attamen, in caſu priori mera terrea eligere, et in caſu poſteriori gelatinam, coctione pridem extractam, propinare, vel ipſam raſuram ptiſanis, aliisque decoctis larga manu addere, præſtat.

§. VI.

Cum cornu cervino, quoad naturam, principia ac vires, conveniunt cruciformia illa oſſicula, quæ in cervis annoſioribus e fibris quibusdam aortæ induratis et oſſificatis generan-

nerantur, ac vulgo OSSA DE CORDE CERVI Hirſch-Creutzlein, vocantur. Plerumque ex *Sabaudia* adferuntur; monendum tamen, oſſicula ſimilia, e corde boum exemta, cervinis tamen paullo majora, frequentiſſime ſubſtitui, et ignaris emtoribus vendi pro genuinis. Parum cæteroquin refert, an cervina ſint, an bovina, quum una eademque indole atque virtute donata reperiantur.

CAPVT X.

DE

EBORE, VNICORNV VERO, DENTIBVS HIPPOPOTAMI, CASTORIS, ATQVE APRI, MANDIBVLIS LVCII PISCIS, LAPIDE CARPIONVM ET PERCARVM.

§. I.

Merito ſimplicia indicata ad duas claſſes, quarum altera EBVR, Elffenbein, VNICORNV VERVM, wahrhaftes Einhorn, DENTES HIPPOPOTAMI, CASTORIS, APRI, See-Pferd-Bieber- und wilde Schweins-Zähne, altera autem MANDIBVLAS LVCII PISCIS, Hecht-Zähne, LAPIDES PERCARVM atque CARPIONVM Bärſe- und Karpffen-Steine, complecti debet, redigenda ſunt, quo-

quoniam priora compactiori, ac duriori, poſteriora rariori, ac molliori textura gaudent. DENTES ELEPHANTORVM maſculorum, (fœminæ enim nullis dentibus prominentibus armatæ ſunt), ex *Guinea*, *Æthiopia*, *inſula Ceylon*, *regno Siam*, aliisque *Africæ* et *Indiæ orientalis* regionibus, quæ elephantos alunt, ad nos transferuntur, et tantæ interdum magnitudinis ſunt, ut unicus 100., 120., 150., immo, 200. libras pondere æquet. VNICORNV VERVM, cujus origo apud veteres variis relationibus fabuloſis anſam præbuit, nihil certe aliud eſt, niſi cornu, ſeu rectius, dens ſtriatus ac quaſi tornatus *Monocerotis marini*, qui in mari ſeptentrionali, maxime circa *Groenlandiam*, vivit, ac vulgo *Narwal*, it. *Narhval* dicitur. Certo quidem nondum conſtat, an animal hoc binis hujusmodi dentibus, an ſaltem unico, inſtructum ſit; plerique nihilominus ſcriptores pro ſententia poſteriori militant. Naſcitur in mandibula ſiniſtra, indeque, ultra duarum in adultis ulnarum longitudinem, recta excurrit. Externa ſuperficies nonnihil flaveſcit, ſubſtantia vero interna albiſſima eſt, et ebur textura compacta, duritie ac pondere ſuperat.

§. II.

DENTES HIPPOPOTAMI ſeu *Equi fluviatilis*, quos olim mittebat ſola *Ægyptus*,

 noſtro

noſtro ævo plerumque ex *Guinea*, aliisque *Africæ* regionibus maritimis, ubi amphibium memoratum in Nigro flumine, et circa maris quoque littora vivere traditur, ad gentes Europæas evehuntur. Non facile in Officinis noſtris genuini dentes Hippopotami reperiuntur, ſed plerique, qui pro iis venduntur, *Roſmari* dentes ſunt. Illi minores exiſtunt, et, ſi etiam fuerint maximi, nunquam tamen ultra ſedecim pollices elongati inveniuntur, hi autem ad ulnæ integræ longitudinem perſæpe excreſcunt. DENTES CASTORIS, qui paullulum incurvi ſunt, et in parte convexa flavo-rubente colore tincti, maxime ad nos mittuntur e *Pruſſia*, *Polonia*, *Ruſſia*, *Gallia*, *Canada* &c., in quibus regionibus hoc amphibium ſatis frequens eſt, et paſſim prope flumina et lacus habitat. DENTES APRI notiſſimi ſunt, adeoque hoc loco deſcriptionem uberiorem minime poſtulant. Idem quoque de MANDIBVLIS LVPI PISCIS, LAPIDIBVS, ſeu oſſibus triangularibus CARPIONVM, et LAPIDIBVS ſeu oſſiculis oblongis ac ſubrotundis PERCARVM dicere licebit.

§. III.

Quemadmodum ſimplicia allegata nonnihil differunt textura, ſic aliquam pariter differentiam, intuitu proportionis principiorum, eadem intercedere, obſervamus. Uncia

v. g.

v. g. eboris raſpati, cum quo dentes hippopotami, caſtoris, apri, et unicornu verum valde conveniunt, drachmas tres et grana ſedecim, uncia mandibularum lucii piſcis drachmas tres et grana duodecim, et una denique uncia lapidum carpionum drachmas ſex, et totidem grana gelatinæ, quæ in ſubjecto poſtremo admodum pinguis eſt, continet.

§. IV.

Quoad naturam et vires medicas ſingula hæc concreta oſſea cum cornu cervi conveniunt, et *ebur* ſimili prorſus modo in uſum vocatur, reliqua autem ſolummodo pulveres, potiunculas, emulſiones, et ſubinde etiam morſulos ingrediuntur. Variæ quidem vires ſpecificæ a medicorum quamplurimis iisdem tribuuntur, et *unicornu marinum* in venenis cujuscunque generis, epilepſia, febribus ardentibus, variolis, morbillis, rubeolis etc, *dentes apri, dentes caſtoris*, et *mandibulæ lucii piſcis* in epilepſia infantili, dentitione difficili, angina, pleuritide, aliisque partium internarum inflammationibus, *dentes hippopotami* in excedentibus hæmorrhagiis, ſpasmis, et convulſionibus, præſertim a terrore ortis, nec minus in calculo, partu difficili, ſecundinis retentis &c., et *lapides* denique *percarum* atque *carpionum* in ſuppreſſione urinæ, nephritide, calculo &c. auxilium plane ſingulare præſtare dicuntur: Verum

 enim

enim vero, falſæ traditiones ſunt, quæ ratione carent, nec vera pariter obſervatione confirmantur. Pro meo igitur judicio e materia medica, ſi ebur exceperis, cujus raſura cornu cervi frequentiſſime ſubſtituitur, facile exulare poſſunt. Certo enim perſuaſus ſum, pauca, et quidem ex claſſe terreorum lapides cancrorum et conchas, ex claſſe terreo-gelatinoſorum autem ebur et cornu cervi, practico rationali abunde ſuffectura, et cuncta, a reliquis vere exſpectanda, certiſſime præſtitura eſſe.

CAPVT XI.

DE

LAPIDE BEZOARDICO.

§. I.

Lapis bezoar, Bezoar-Stein, vulgo in *Orientalem* et *Occidentalem* dividitur. Prior eſt lapis duriuſculus, ex lamellis, ſeſe mutuo cingentibus, compoſitus, vario quidem colore, variaque magnitudine et figura, nullo autem ſingulari ſapore atque odore præditus. Alii enim, qui tamen rariſſimi, et ingentis proinde pretii ſunt, ovi columbini, immo gallinacei magnitudine gaudent; alii contra, quorum uberior obſervatur proventus,

ventus, vix ſcrupulum unum, drachmam ſemiſſem, drachmam integram &c. pondere æquant, ac modo rotundam, modo ovatam, cylindraceam, aut prorſus irregularem figuram obtinent, luteoque, viridante, coeruleo, ruffo, nigricante, aut variegato, ex luteo nimirum vel viridi aut coeruleo-nigricante colore tincti viſuntur. Optimi, teſte KÆMPFFERO (*a*), judicantur, qui figura rotunda, et colore coeruleo, viridante, vel in alterutrum nigricante donati ſunt, ignobilioris vero indolis eſſe creduntur, qui lutei, ruffi, et diſcolores ſunt, aut lanam, tuberculis hinc inde obviis incluſam, gerunt.

§. II.

Genuini lapides bezoardici orientales in pyloro ſeu productiori quarti ventriculi fundo *Gazellæ Indicæ*, quam Perſidis incolæ *Paſen*, Europæi *Capricervam bezoardicam* vocant, generantur. In uno enim memoratæ cavitatis latere ſingularis quidam ſcrobiculus, glutinoſo humore oblitus, reperiri traditur, qui lapidi ſenſim concreto quaſi matricem præbet, et, glutinoſa materia irretitum, tamdiu retinet, donec poſt necem animantis a venatoribus eximatur, vel ſubinde etiam apud vivum animal, præſertim, ſi fame premitur, et diuturniorem pati cogitur inediam, e latebra prædicta excuſſus, integer, aut denuo,

(*a*) Vid. Amoenit. exot. p. 402.

nuo, ob ſuperſtitem aliquam mollitiem, reſolutus, cum excrementis ejiciatur. Concreſcere creditur, nata nimirum alia lamella poſt aliam, ex partibus terreis, et ſubſtantia quadam reſinoſo-mucilaginea conglutinante, ex alimentis concoctis reſidua, ita tamen, ut ſimul cum pabulo arreptus lapillus, vel lanæ, paleæ, corticis portiuncula fundamentum, ac prima ſtamina largiatur, quibus concretionis initio moleculæ terreo-reſinoſo-mucilagineæ ſeſe adponere poſſint. Reperitur ſylveſtre hoc caprarum genus, lapides bezoardicos orientales generans. in *Choraſmia* duntaxat et *Laar*, binis Perſiæ provinciis, ibidemque in montanis ſolummodo tractibus, maxime autem in monte *Baarſi*, reliquis ob plantarum varii generis ubertatem præferendo, herbas reſinoſas alexipharmacas in victum quærit. Non generantur tamen, quod addendum duco, lapides bezoardici in omnibus hujus montis capricervis, ſed tantummodo in annoſioribus; raro quoque bini vel plures, ſed plerumque ſaltem unus, in deſcripto ſcrobiculo occurrunt.

§. III.

A lapide bezoardico orientali, tum craſſitie lamellarum, tum mollitie ac friabilitate majori, ſeſe diſtinguit LAPIS BEZOAR OCCIDENTALIS, qui eadem propemodum ratione, qua prior, in ventriculis caprarum

rum ſylveſtrium regni Peruviani, quas incolæ *Cugvacu* vocant, ex indigeſtis eſculentorum reliquiis terreo-glutinoſis, aliisque, fortuito accedentibus, partibus heterogeneis paullatim concreſcit, et nigro plerumque, cinereo, aut virideſcente colore gaudet. Orientali multo vilior exiſtit, et medicis quoque viribus longe inferior judicatur, quæ opinio tamen, uti ex ſequentibus patebit uberius, ſolido fundamento deſtituta eſt.

§. IV.

Genuinis lapidibus bezoardicis orientalibus perſæpe a fraudulentis et lucri cupidis lapides alii, non adeo diſſimili forma præditi, ſubſtituuntur, et paſſim magno pretio pro veris venduntur, quorum alii ex animantibus plus minusve forma corporis, natura atque patria a Gazella bezoardica, quam Perſia alit, diſtinctis, eximuntur, alii mere factitii ſunt, et ab otioſis ſpadonibus Gynæcei regii in Perſia, itemque a Brachmanis in India, aliisque, e quibusdam ſpeciebus terreis et glutinoſo-reſinoſis artificioſe componuntur. Hæ fraudes tam frequentes ſunt, ut nullos plane genuinos ad nos deferri ſcriptores quidam non ſine ratione crediderint: Immo, memoratum mangonium præcipua quoque cauſſa eſſe videtur, cur mercatores, pharmacopolæ ac medici, tum veteres, tum recentiores, de detegendis ac deſcribendis

genuini

genuini lapidis bezoardici notis characteriſticis tam ſolliciti fuerint, etiamſi, uti ego quidem credo, finem ſuum parum obtinuerint. Tantus enim circa notas laudatas ſcriptorum diſſenſus reperitur, ut, quæ hic primaria dicit, alter plane rejiciat, aut tamen fallaciſſima pronuntiet; ut nihil dicam de hominum artificiis, quæ dudum ad eum perfectionis gradum pervenerunt, ut parum operoſa ejusmodi naturæ producta facile imitari, et ſimilia concreta, quæ lapides veros præcipuis proprietatibus externis perfecte æmulantur, e ſpeciebus analogis componere ſciant.

§. V.

Vulgo, ut bonitatis notas nonnihil ſaltem attingam, lapides bezoardici genuini eſſe creduntur, qui volæ manus, cinere conſperſæ, aut creta aliquantulum oblitæ, vel chartæ etiam, ceruſſa aut creta nonnihil obductæ, luteam ſub affrictu vel ex luteo-viridescentem lineam inducunt, qui polita præterea ſuperficie gaudent, et diffracti lamellatim conſpiciuntur concreti, qui, aquæ tepidæ per noctem immerſi, limpiditatem ejus nullo plane modo turbant, multo minus duritiei nativæ decrementum, ponderisque priſtini incrementum patiuntur, qui acum denique candentem admittunt, et ita, quod criterium ſæpe allegatus KÆMPFFERVS judicat optimum, inter reſinæ ac lapidis ſubſtantiam ambigunt,

bigunt, ut contuſi in acido nitri vel ſalis ſpiritu diſſolvantur, eundemque ſatis rubente colore, et ſua ſimulac virtute imbuant.

§. VI.

Lapides bezoardici, qui in noſtris non minus, quam reliquis Europae officinis pharmacevticis proſtant venales, triplicis generis ſunt, alii nimirum *terreſtres*, alii *reſinoſi*, et alii denique *gummoſi*. Terreſtres, qui reliquis nihilominus praeſtantiores et magis genuini cenſentur, poſt indurationem perfectam lapidea propemodum ſoliditate donati ſunt, nec ullis ideo menſtruis aqueis et ſpirituoſo - inflammabilibus obtemperant, ſed, quod pridem KAEMPFFERVS expertus eſt, liquores acidos concentratos ad ſui ſolutionem poſtulant. Ex *ſola* enim *terra*, et *modica ſubſtantiae glutinoſae portione* compoſiti deprehenduntur, cui nonnunquam tamen *pauxillum principii reſinoſi*, quod rubedo prodit, qua nonnulli ſpiritum nitri et ſalis tingunt, immerſum haeret. Reſinoſi ſolvuntur quidem in ſpiritu vini, et gummoſi in aqua ſimplici calida, aſt nihil ſingulare inde reſultat. B. NEVMANNVS lapidis bezoardici reſinoſi, inter veros orientales relati, ſcrupulum unum cum ſufficienti ſpiritus vini quantitate temporariae commiſit digeſtioni, et, peracta ſolutione, grana ſeptendecim *extracti*, et grana tria *terrae* obtinuit. Extractum

ctum tenaciſſimum erat, et colore ex luteo-viridante tinctum, odore pollebat, inſtar valerianæ et caſei, nauſeoſo, et nullum linguæ ſaporem, vel leniſſimum duntaxat, ac vix ſenſibilem amaricantem, imprimebat. Terra, odore ac ſapore penitus deſtituta, brunni coloris erat, et dentibus interpoſita, arenæ inſtar, ſtridorem excitabat. Lapides gummoſi, in aqua ſoluti, nil niſi *terram inertem* et *ſubſtantiam mucilagineam*, plerumque inſipidam prorſus et inodoram, relinquunt: Plerumque, inquam; ſubinde enim, præſertim inter reſinoſæ familiæ lapides bezoardicos, occurrunt, qui ambram nonnihil redolent: Aſt hi ipſi præ reliquis ſuſpecti, et certiſſime factitii ſunt. Idem Auctor occidentales quoque lapides bezoardicos ſcrutinio chemico ſubjecit, eosdemque ob duritiem tam refráctarios invenit, ut neque vini ſpiritu, neque aqua illos ſolvere, aut quidquam ex iis extrahere potuerit (*a*).

§. VII.

Primum SERAPIONIS, AVICENNAE ac RHASIS temporibus lapidem bezoardicum orientalem, tanquam medicamentum excellentiſſimum alexipharmacum, innotuiſſe, et paſſim in uſum vocatum fuiſſe, hiſtoriæ medicæ ſcriptores (*b*) referunt, et, licet poſt

(*a*) L. c. p.

(*b*) Vid. Stollens Anleitung zur mediciniſchen Gelahrtheit p. 606.

poſt Arabum tempora, diu iterum uſus ejus neglectus, immo, oblivioni traditus fuerit, famam tamen poſtea recuperavit, et tanti a medicorum plerisque, ob putatitiam virtutem alexiteriam, æſtimatus fuit, ut omnium alexipharmacorum præcipuum crederent, et quævis alexipharmaca reliqua in honorem ejus bezoardica vocarent. Promiſcue enim concretum hoc lapideum cujuscunque generis venena arcere, vincere, atque efficaciſſime deſtruere autumabant; quam opinionem præjudicatam ipſa confirmare videbatur denominatio: „Nam lapis bezoar orientalis, „KAEMPFFERVS ſcribit (*a*), *Paſahr* dicitur, „ex quo nobis vox *Bezoar* enata eſt. Sce„ptici noſtri philoſophi petunt ab Hebræo „*Bahal*, quod *dominum*, et Perſico *Sahr*, „quod *venenum* ſignificat, et lapidem veneni „domitorem vocant". Alii cum *Excell. Dn.* STENTZELIO (*b*) hoc nomen a Perſicis vocabulis *Pa* et *Zohar*, quorum prius *contra*, poſterius *venenum* ſignificat, derivant: Aliis adhuc alia vocis origo placet. Sed, quicquid ſit, inde ad minimum cognoſcimus, lapidem hunc ſtatim in principio inter præſtantiſſima alexipharmaca relatum fuiſſe. Lucem memoratis antiqua non minus, quam hodierna

(*a*) L. c. p. 398.
(*b*) Vid. Diſſ. ejus de Bezoard. emolumento et detrimento.

na Perſarum opinio foeneratur: Referente enim vix allegato KAEMPFFERO (*a*), virtutes lapidi eaſdem Perſæ, quas noſtri tribuunt; quin facultatem quoque declinandi morbos, et prolongandi vitam, ſi a bene ſanis ſub auſpicio faventis aſtri aſſumatur. Multis hinc ſolenne eſt, ut ſub ipſo anni ingreſſu (quo cœlum creditur proniſſimo vultu mortales aſpicere) modicam pulveris doſin confidenter aſſumant; perſuaſi, hoc remedio radicale vitæ humidum, quod dicunt, foveri in annum poſſe

§. VIII.

Laudatam virtutem bezoardicam, cui cardiaca, aliæque, huic lapidi adſcriptæ, denuo niti dicuntur, maxime a diaphoreſi, quam, exigua etiam doſi oblatus, excitare creditur, pendere, dicunt patroni: Sed, quam inanis fiducia, quam cœca opinio! Vbi, quæſo, famoſæ hæ virtutes in lapide bezoardico, tam genuino, quam factitio, latent? quis unquàm duo, tria, quatuor, quinque, immo plura grana lapidis, absque aliorum miſcela exhibiti, in febribus malignis ac morbis ſimilibus, nondum ſcilicet imminente excretione critica, et ſpontanea abſente ſudatiuncula, immo apud ſanos, neglecto conſueto regimine, cui, tanquam cauſſæ aptiſſimæ, ſudoris proruptio crebro tribuenda eſt, ſudorem pro-

(*a*) L. c. p. 403.

provocaſſe vidit? Neniæ profecto ſunt, ac ſiculæ Gerræ, quæ ratione deſtituuntur, nec ulla unquam experientia vera probari poterunt. Genuini ſane lapides bezoardici, tam orientales, quam occidentales, qui, uti antea relatum fuit, inſipidi prorſus, inodori, et lapidea plerumque duritie prædíti ſunt, adeoque ſolutionem in aqueis et ſpirituoſo-inflammabilibus menſtruis plane reſpuunt, lapidibus cancrorum haud præferendi ſunt, et ab acido, quod in ventriculo nonnunquam offendunt, et, aliorum terreorum inſtar, extinguunt, ſoluti, nil amplius, niſi leniſſimam duntaxat abſterſionem ac reſolutionem præſtare valent; ex qua nemo tamen decantatiſſimam virtutem alexipharmacam, præſentibus inprimis venenis animalibus ac vegetabilibus, poſtea deducere audebit.

§. IX.

Conſentientem in hoc paſſu habeo, præter neotericorum alios, *Dominum* SLARE, *celebrem Angliæ medicum*, qui optimos lapides bezoardicos iterato ac ſtudioſe adornato examini ſubjecit, poſteaque prædictæ opinioni ſubſcribere haud dubitavit. Provocabunt quidem famæ priſtinæ tutores ad principium quoddam tingens, cujus ſupra pariter (§. V.) mentio facta fuit; at parum eo ipſo præjudicio conciliabunt patrocinii: Poſito enim, ſubſtantiam ejusmodi, procul du-

bio reſinoſam, ſemper inter glutinoſo-terreas partes exigua quantitate deliteſcere, haud quemquam tamen, præſertim, ſi toxicorum et febrium malignarum indolem, cauſſas, et congrua remedia debite exploraverit, tam cœcum fore credo, ut exiguam hanc reſinæ vulgaris ac parum activæ portionem tantis effectibus producendis proportionatam, aptamque futuram eſſe, ſibi aliisque perſuadere conetur.

§. X.

Fortaſſis eximios effectus alexipharmacos, aliosque, quos genuini lapides bezoardici præſtare nequeunt, nonnulli a factitiis reſinoſis ac gummoſis exſpectabunt: Verum enim vero, neque hi, neque illi emorientem fiduciam rurſus vivificare valebunt. Quis inſipidis enim et inodoris concretis terreo-glutinoſis, cujus cenſus gummoſi ſunt, vel inertibus etiam maſſis terreo-reſinoſis induratis, quæ, peracta reſolutione perfecta, nullum, vel debiliſſimum ſaltem ſaporem amaricantem (*conf.* §. VI.) linguæ, et debilem pariter, eumque nauſeoſum, odorem naribus imprimere poterant, ſingularem virtutem ſudoriferam et alexipharmacam tribuet? Ego ſane nihil, notiſſimis encomiis dignum, invenio, et egregias proinde virtutes, quas experientiam monſtraſſe perhibent, cauſſarum fallaciis ſolummodo niti, rationibus, et contraria experientia convictus, credo.

SECTIO

SECTIO III.

DE

ACIDIS ET ACIDVLO-DVLCIBVS.

CAPVT I.

DE

NATVRA ET DIFFERENTIA ACIDORVM.

§. I.

Quanquam triplex naturæ regnum ACIDA quædam et ACIDVLA largiatur medicamina, maxime tamen vegetabile ac minerale corporibus abundat, quæ *acido explicito* vel *implicito* plus minusve inſtructa ſunt: Quod animale enim regnum attinet, in eo parciſſimus obſervatur acidi proventus, et nullibi propemodum, ſi lac et liquorem gaſtricum animantium quadrupedum, itemque inſecta nonnulla aculea-

ta, aliaque, v. g. *apes, formicas* (*a*) &c. exceperis, nullum ejusdem veſtigium, abſente ſcilicet morbo, deprehenditur. HOMBERGIVS quidem ex animalium quadrupedum ſanguine, carnibus, et excrementis exiguam pariter acidi quantitatem eduxit; at valde illud debile erat, et tædioſum atque iteratum artificium chymicum ad ſui evolutionem poſtulabat. Recepit nimirum ſanguinis agnini recentis libras tredecim, quæ, ſeparata parte ſeroſa, ſex libras coagulatæ ſeu inſpiſſatæ maſſæ hepaticæ reliquerunt. Maſſam hanc in retorta vitrea, arenæ impoſita, deſtillationi ſubjecit: Sic igne leni, per 75. horas continuas ſubſtrato, primo liquoris clari aquoſi

libræ

(*a*) Acidum formicarum duplicis generis reperitur, alterum videlicet comparative *gravius*, aceto in hoc paſſu non diſſimile, alterum valde *ſubtile, mobile*, atque *volatile*. Hoc formicæ vivæ irritatæ, ſub halitus tenerrimi ac penetrantiſſimi forma, emittunt, idemque facillime alembicum cum ſpiritu vini tranſcendit; illud autem paullo fortiorem ignis gradum et vehiculum aqueum ſub deſtillatione poſtulat. Notatu quoque digniſſimum eſt, formicas verum atque ſubſtantiale oleum eſſentiale æthereum reddere, quando aqua aut ſpiritus vini rectificatus ſuper recentiſſime captas, ſemel vel aliquoties, minori tamen comparative quantitate, abſtrahitur. Oleum hoc ſatis temperatum eſt, et ab oleo pini, cujus portio nonnullis videri poſſet, magnopere differt; uti plura de hiſce in B. NEVMANNI *Lectione de Formicis* videnda ſunt.

libræ quinque prodierunt, in quo ſeſe nihil acidi manifeſtabat: Mutato autem receptaculo, et igne ad ſummum usque gradum paullatim aucto, dimidia circiter libra liquoris, quoad partem dimidiam rubicundi et aquoſi, quoad alteram vero partem dimidiam oleoſi, foetidi, ac valde empyrevmatici, expulſa fuit. Liquor rubicundus aquoſus acidi non minus, quam alcalici ſalis indicia dedit: Cum ſalis enim ſpiritu effervefcebat, et tincturæ tornæ ſolis eminentiorem colorem rubrum inducebat. Caput mortuum, in retorta relictum, erat carbo levis et ſpongioſus, vncias quinque pondere æquans. Simili modo etiam prædictum liquorem acidiuſculum rubicundum e vervecino, vitulino, bovino et humano ſanguine elicuit, poſteaque, cum ſatis magna eum quantitate collegiſſet, cum ſex aquæ fluvialis partibus miſcuit, et oleo empyrevmatico, repetitæ filtrationis ope, prorſus liberatum, denuo ſubmiſit deſtillationi: Sic primo liquor tranſiit, ſale volatili valde impraegnatus, et huic deinde ſucceſſit alius, cujus binæ ultimæ unciæ aceto deſtillato acore æquiparandæ erant. Idem liquor etiam eductus fuit, cum, ſervata eadem methodo, carnes lupi piſcis, nec non viperas, muſcas, formicas, cantharides, alia tamen atque alia apud inſecta advocata encheireſi, chemico ſcrutinio ſubjiceret. (*a*)

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal des ſciences ann. 1712.

§. II.

Acida et acidula ſub duplici forma externa, alia nimirum ſub *liquida ſalino-aquea*, alia ſub *ſicca ſalino-terrea*, ſenſibus noſtris obvia ſunt, et, habita ſpecificæ indolis ratione, commode ad quinque claſſes genericas redigi poſſunt; quarum prima *acida vegetabilia cruda ac ſibi relicta*, v. g. ſuccum citri, limoniorum, acetoſellæ &c., altera *vegetabilia, fermentationis beneficio attenuata, tenerius reſoluta, ac ſemiſpirituoſa reddita*, v. g. aceta, tertia *acida mineralia, multa aqua nonnihil debilitata*, v. g. clyſſos &c., quarta *acida mineralia, per partem ſpiritus vini inflammabilem dulcificata*, v. g. ſpiritum vitrioli, nitri, ac ſalis dulcem, et quinta denique *acida animalia, vel deſtillatione prolecta, vel fermentationis ope educta*, cujus cenſus ſpiritus formicarum et ſerum lactis ſunt, complectitur.

§. III.

In acidis ſiccis, præter *terram* et *principium acidum*, et in liquidis, præter *aquam*, et *acidum*, *ſubſtantia* quædam *inflammabilis*, reliquis principiis arctiſſime unita, in aliis *ſubtilis* atque *ſpirituoſa*, in aliis *craſſior, oleoſa, pinguis, unguinoſa*, ac *mucida*, adeſt, etiamſi ſenſus non ſemper manifeſte incurrat, ſed chymico demum artificio, vel motu fermentativo, aut putredinoſo, ſeparari, et in apri-

apricum deduci debeat. Quando acidi enim liquores vegetabilis proſapiæ, v. g. ſuccus citri, limoniorum, ribium, berberum et cydoniorum, quin ipſum acetum, corrumpuntur, ac ſuam aciditatem amittunt, ſucceſſive multum terræ, multumque materiæ mucidæ unguinoſæ ſecedit, quæ poſterior, largius collecta, præprimis in ſuperficie, ubi partes ſalino-acidulæ promtius abire poſſunt in auras, in pinguem concreſcit cuticulam, tandemque, ob molem et gravitatem, continua novæ materiæ adhæſione auctam, ad fundum præcipitatur. Notiſſimum pariter eſt, ipſum vinum, antequam in acetum degeneret, primo opacum fieri ac turbidum, deinde materiam terreo-mucidam deponere, et pinguem in ſuperficie formare cuticulam, quæ, niſi ſponte deſcendat, vel agitando dejiciatur ad fundum, in putredinem abit; quemadmodum plura de hiſce in capite ſpeciali de *aceto* &c. videnda ſunt.

§. IV.

Acida et acidula triplicis naturæ regni *gravitate*, *acrimonia*, *volatilitate*, et *ſpecifica indole* valde ab invicem diſtincta inveniuntur; cujus differentiæ cauſſa partim in diverſa ſubtilitate atque teneritudine moleculaṙum minimarum, partim in majori, vel mi-

 nori

nori phlegmatis (α), et terræ unitæ quantitate, partim in largiori, vel parciori principii inflammabilis adhæſione quærenda eſt. Laudatum enim principium, ſive ſit ſubtilius atque ſpirituoſius, ut in acidis mineralibus, vini ſpiritu dulcificatis, ſive craſſius unguinoſum et oleoſum, uti in ſuccis acidis vegetabilibus ſibi relictis &c., particulas ſalino-acidas nonnihil involvit, atque obtundit, adeoque acida graviora ac corroſiva in acidula leviora, volatiliora et mitiora transformat. (β).

§. V.

(α) Obſervante HOMBERGIO, uncia una *olei vitrioli*, penitus ſcilicet ſubtracto phlegmate ſeparabili, continet *acidi veri* drachm. 5. et gr. 5., uncia *ſpiritus nitri* drachm. 2. et grana 28., uncia *aquæ fortis* drachm. 2. et grana 26., uncia *ſpiritus ſalis* drachm. 1. et grana 15., et uncia denique *aceti deſtillati* ſolummodo grana 28. *Conf. Memoir. de l' Acad. Royal. des Sciences ann. 1699.*

(β) Præter ſpiritus acidos minerales, alcohole dulcificatos, egregium argumentum practicum, maxime intuitu volatilitatis, *ſpiritus ſulphuris* et *vitrioli volatilis* ſuppeditat. Prior, cujus præparationem in *Pharmacologia p. 39.* deſcripſi, longe levior atque mobilior eſt, quam vulgaris ſpiritus ſulphuris, et ideo quoque ex tartaro vitriolato, qui primum ex hoc acido et alcali quodam fixo parandus eſt, per oleum vitrioli, in retorta additum, rurſus expellitur; cujus differentiæ ratio unice a differenti materiæ inflammabilis quanti-

tate,

§. V.

Sal acidum eſſentiale, in ſucco plantarum antea ſolutum, diſperſum atque fluidum, ablato phlegmate ſuperfluo, et terreo-mucidis quoque recrementis, vel lente ab ipſa natura, vel citius ab artifice, ſeparatis, ad ſiccam ac

tate, quæ in volatili ſpiritu ſulphuris multo largius acidis particulis adhærere deprehenditur derivanda eſt. Et eadem quoque ratio locum invenit circa volatilem vitrioli ſpiritum (*a*): Phlogiſton enim carbonum, retortæ immediate adplicatorum, ſeſe per fiſſuras inſinuat, et, partibus acidis ſpirituoſis arcte adhæreſcens, illis ſummam conciliat volatilitatem, adeo, ut loco ſpiritus vitrioli vulgaris, comparative graviſſimi, ſpiritus penetrantiſſimus, non quidem ſub forma nebularum albicantium, ſed limpido plane halitu, prodeat, qui, ob ſummam tenuitatem, vaſorum commiſſuras penetrat, nares acutiſſime ferit, et, incaute in pulmones admiſſus, ſuffocationis periculum adfert. Quando ſpiritus hic in phiola hermetice ſigillata calidæ digeſtioni aliquamdiu committitur, ſociata ſubſtantia phlogiſta denuo ab acidis partibus ſecedit, et pinguem in ſuperficie cuticulam format, quæ, accedente phiolæ ſuccuſſione, ad fundum deſcendit. Renaſcitur quidem cuticula ejusdem naturæ, verum, ſi illa ipſa ſemel iterumque ad fundum dejecta fuerit, ſpiritus volatilitatem eminentem penitus amittit, et priſtinam ponderoſitatem, et craſſam aciditatem recuperat, ita ut a vulgari ſpiritu vitrioli amplius diſcerni nequeat.

(*a*) Methodum præparandi pariter vide in Pharmacologia p. 32.

ac ſolidam deducitur conſiſtentiam, et cryſtalli inde enatæ, majorem ac puriorem ſortiuntur acorem. Manifeſta in hoc paſſu exempla præbent tartarus vini, et ſuccus, ex foliis acetoſæ, vel acetoſellæ recentibus expreſſus. Ille nimirum e terreo-oleoſo-mucido-ſalinis partibus, in dolii lateribus ſucceſſive congregatis, concreſcit. Depoſitis quippe fecibus craſſioribus, in vino, ſub paullo diuturniori ſcilicet quiete, hinc inde corpuſcula parva, acuta, ſplendentia colliguntur, et, a centro verſus ſuperficiem quaquaverſum propulſa, motum in dolii lateribus amittunt, ac totam ejus ſuperficiem internam cruſta terreo-ſalina obducunt, quæ paullatina novarum partium appoſitione ita tandem augetur, ut notabilem craſſitiem adquirat, præſertim, ſi educto vino priori defæcato, recens, tartaro rudiori nondum orbatum, dolio iterum infundatur. Tartarus, prædicta ratione e vino ſeparatus, ob partes inflammabiles et oleoſo-mucidas, largius terreo-ſalinis acidis interjectas, nondum purum ſiſtit concretum ſalinum acidum, ſed purior hæc ſubſtantia terreo-ſalina prius aqua fervida extrahenda, et, prævia percolatione, et evaporatione, demum ad formam cryſtallinam redigenda eſt. Eadem obſervamus apud ſuccum acetoſæ, acetoſellæ, et plantarum ſimilium: Vix enim expreſſus impurus eſt, et mucidis particulis valde abundat, ut

ideo

ideo cryſtalli nitidæ nondum concreſcere poſſint; ablatis autem iterata filtratione memoratis quisquiliis, ſal cryſtallinum, purum, ex viridi albicans, tartari cryſtallis, quoad proprietates eſſentiales, ſimillimum, præmiſſa blanda evaporatione, facile naſcitur.

§. VI.

Acida cum terris inſipidis abſorbentibus, et completis ſalibus alcalicis fixis et volatilibus plus minusve efferveſcunt, et cum prioribus, facta ſufficienti corroſione, in concreta terreo-ſalſa, cum poſterioribus autem in perfecta ſalia neutra, vel vulgaria comparative fixiora, vel ammoniacalia coeunt; adeoque utroque modo non ſolum ſalia alcalia deſtruunt, et invertunt, ſed ipſa quoque deſtruuntur, et occultantur. Figunt præterea corpora inflammabilia, ſulphurea, reſinoſa, oleoſa, ſpirituoſa, et motum, expanſionem, volatilitatem, atque calefaciendi vim plus minusve minuunt, ita, ut perſæpe, ſi ſcilicet potentiora ſint, ſpirituoſo-inflammabilia in olea, hæc in reſinas et pinguedines transforment.

CAPVT

CAPVT II.

DE
MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS MEDICIS ACIDVLORVM.

§. I.

Acidula vegetabilis proſapiæ, tum ſibi relicta, adeoque paullo crudiora, tum ſubtiliora, motu fermentativo attenuata magis, et ſpirituoſa reddita, nec minus mineralia, arctiori ſubſtantiæ inflammabilis unione debite contemperata ac dulcificata, juſtoque tempore, et quantitate decenti propinata, inter optima omnino, et ſatis activa remedia ſibi locum vindicant. Gaſtricum enim liquorem, eumque inertem, ac nimis aquoſum, acuunt, ventriculi et inteſtinorum tunicas, impreſſis ſtimulis lenioribus, ad vegetiorem, celerioremque contractionem impellunt, cruditates calidas bilioſas, ac nidoroſo-putridas corrigunt, et ſic adpetitum augent, proſtratum reſuſcitant, atque digeſtionem, et fæcum alvinarum excluſionem tempeſtivam egregie promovent.

§. II.

Ad ſanguinem poſtea, valde tamen in pri-

prima culina confluentibus liquoribus variis diluta prius, diſtracta et contemperata, per canales notiſſimos translata, partes oleoſas, et igneſcentes teneriores, nimium ſubinde reſolutas, expanſas, et commotas figunt, ſalino-urinoſas, per cauſſas varias largius genitas et præternaturaliter adcumulatas, ad naturalem, ſalſo-ammoniacalem videlicet, indolem reducunt, attritum globulorum juſto vehementiorem, ſanguinem rarefactum ac nimis tenuem leniter hinc inde coagulando, minuunt, et ſic refrigerant, putredinem imminentem avertunt, præſentem cohibent, et humorum omnium, ſanguinis videlicet, fluidi nervei, bilis, et ſeminis virilis orgasmum refrenant. Quum ubique pariter vim contractilem in partibus ſolidis nervoſo-muſculoſo-membranaceis blandis ſub contactu puncturis excitent, et contractionis vigorem intendant, diureſin quoque, diaphoreſin, et excretiones ſeroſas reliquas augent, ac valide nonnunquam ſuppreſſis atque imminutis priſtinam libertatem reddunt.

§. III.

Magni inprimis æſtimanda eſt virtus antiputredinoſa: In ſanguine enim ceterisque humoribus hominum, aliorumque animantium, præſertim carnivororum, (in herbivoris nimirum et granivoris in hoc paſſu diſcriminis quidquam animadvertitur), longe facilius,

cilius, maxime ſi calido, ſicco, cholerico, aut ſanguineo-cholerico temperamento gaudent, ſal pingue urinoſum, quam acidum, gignitur, et frequentius proinde morbi, a dyscraſia humorum oleoſo-urinoſo-putrida, et actuali reſolutione putredinoſa præcipue pendentes, naſcuntur. Nam tenerrimum atque naturale ſal ſanguinis, intimius partibus conſtitutivis reliquis involutum, indolis, ita cenſentibus plerisque, ammoniacalis, paullatim, ob largiſſimam phlegmatis et ſubſtantiæ pinguis oleoſo-inflammabilis miſcelam, calore blando, ac nunquam interrupto ſolidorum ac fluidorum attritu, etiam in ſtatu ſano, reſolvitur atque transformatur in pingue ac mobiliſſimum ſal urinoſum, quod tamen, tubulis cutaneis apertis, et memorata reſolutione ac metamorphoſi moderata ac paullatina exiſtente, cum recrementis aliis, naturali humorum ſyſtaſi inimicis, partim per vias urinarias, et cutis cribrum excernitur; partim per acidum ſubtile, cum novo chylo, præſertim e vegetabilis proſapiæ eſculentis confecto, adductum, ad mixtionem ſalis ammoniacalis reducitur. Diſcimus igitur e momento poſtremo, medicamentorum, eſculentorum ac potulentorum, quæ explicito, vel implicito, principio acidulo pollent, adſumtionem ſubinde ſaluberrimam, quin ſumme neceſſariam eſſe, ut nimius ſcilicet materiæ urinoſo-oleoſo-inflammabilis pro-

proventus, cum inde reſultante æſtu præternaturali, et putredinoſa ſanguinis deſtructione, arceatur, et eo melior novi ſalis ammoniacalis generatio atque regeneratio fieri queat. Rationem quoque inde cognoſcimus, cur animantia herbivora ac granivora rarius, quam carnivora, morbis putredinoſis ac febribus corripiantur; nec minus, cur, poris ac tubulis cutaneis repente obſtructis, aut ſanguine, per medicamenta juſto calidiora, potulenta ſpirituoſa, aromata, et exorbitantes animi adfectus vehementius exagitato, prædictum excrementum oleoſo-urinoſum illico augmenta capiat, et varias poſtea febres continuas, ardentes, exanthematicas, immo malignas valde putridas (*a*) provocet.

§. IV.

(*a*) „Notatu digniſſimum eſt, MORTONVS ſcribit *in* „*Oper. T. II. in prolegom. p. 16.*, quod mihi nuperrime videre contigit; ſanguis nimirum fœminæ „cujusdam, febre maligna laborantis, per phlebotomiam extractus, adeo fœtebat, ut ex ejus „tetro odore, tam chirurgus, quam adſtantes in animi plane deliquium inciderent.„ Multum quoque lucis ea hoc loco fœnerantur, quæ BOERHAAVIVS *in Chemiæ T. II. Proc. 113.* de noxiis ovi gallinacei putridi effectibus refert: Ovum ſcilicet ſanum atque integrum, in calore 70. circiter graduum detentum, intra paucos dies, inſignes plane mutationes patitur, et liquidum utrumque, teſtæ incluſum, cum putrido fœtore ita attenuatur, ut portio aliqua per teſtæ poros brevi abeat exha-

§. IV.

Suppoſitis recenſitis acidulorum effectibus generalibus, in propatulo eſt, illa ipſa inter

exhalando; ſapor dulcis, blandus ac mucilagineus in ſumme nauſeoſum degenerat, ac valde ſimul acrem; et tota ſubſtantia, antea nutriens atque demulcens, fit oleoſa, fœtida, alcalica, et tam virulenta, ut exigua ejus quantitas, ſano animanti exhibita, confeſtim prava, et febribus malignis familiaria, ſymptomata, nauſeam videlicet, conatus vomendi, vomitus actuales, diarrhœas, horripilationem, tormina ventris, ebullitionem bilis, æſtum, ſitim, anxietates præcordiales, ac febrem completam producat. Notatu quoque dignum, lac recens, cum alcali fixo coctum, aut aliquamdiu digeſtum, ſenſim flavedinem, tandemque rubedinem contrahere, et, quum tale quid etiam fieri conſueverit in lacte nutricum, quando febre maligna, aut ſaltem continua vulgari corripiuntur, concludere omnino licebit, cauſſam materialem febrium continuarum, non acidæ, ſed alcalicæ, indolis eſſe. Calculum ſuum huic ſententiæ, præter complures alios, addit BAGLIVUS, quando *in Oper. p.* 50. ſcribit: „Cum de febribus ſermo inciderit, ſummopere miror, medicos hodie pene omnes ſingulorum morborum, præſertim vero febrium, originem ab acido duntaxat deducere, et ſingulas per antiacida, non exiguo ægrorum damno, curare. Nam, ſi recte rem perpendamus, alcalia potius varie alterata accuſanda erunt. Quicquid enim in corpore animato, præſertim in ſanguine fit, per fermentationes fit, quæ quidem pluries, atque pluries repetitæ, auctæ, vel plus, quam par eſt, alteratæ, non acidarum partium

inter pharmaca *refrigerantia*, *antiputredinoſa*, ac *leniter ſtimulantia* primum ferme locum obtinere, ac multum utique auxilii ab uſu eorundem exſpectandum eſſe in morbis ſingulis, qui torpidæ ac tardæ ſolidorum contractioni, indeque pendentibus languidis ſe- et excretionibus, maxime autem vehementi humorum orgaſmo, ſaburræ bilioſæ fervidæ, et urinoſo-putridæ ſanguinis dyſcraſiæ, partiumque oleoſo-inflammabilium exaltationi nimiæ atque rarefactioni præcipuam originem debent, cujus cenſus inprimis ſunt febres continuæ ardentes, inflammatoriæ, bilioſæ, malignæ (*a*), et peſtilentia-

 les

„tium proventum, ſed potius ſalis alcali, lixivi, „acris, calcinati, et ſimilium, copiam exhibent, „ut in febribus præcipue obſervamus; in quibus „ſalium hujusmodi acrium, alcalium, lixivorum, „calcinatorum, &c. manifeſta adſunt indicia. &c.

(*a*) „In morbis malignis, B. HOFFMANNVS *in Obſ.* „*phyſico-chymicis p. 185.* ſcribit, qui ex interna hu- „morum putredine naſcuntur, ab acidis ſane plus „auxilii, quam ab ullo remedio exſpectare poſſu- „mus, et quidem ob hanc cauſſam, quia per pu- „tredinem gignitur alcali, et a copioſo etiam al- „cali putredo provenit, quod cum protinus ab „acido cicuretur, putredinis incrementa cohiben- „tur. In ſcorbuto et arthritico inveterato malo „ingens copia ſalium in maſſa ſanguinis genera- „tur, quæ certe magis ad alcalinam lixivioſam, „quam mediam naturam pertinent. Hinc etiam „eorum, qui ſic ægrotant, ſanguis e vena ductus „tenuis et floridus ſubinde apparet, et urina ple- „rumque

les (*a*), itemque eryſipelas, ſitis nimia, adpetitus imminutus et proſtratus, vomitus bi-

„rumque valde rubicunda, et ſalſo-lixivioſa „emingitur. Plus ſæpe tunc præſtare acida tem„perata, quam alcalina urinoſa, et volatilia, aut „calida ſpirituoſa, minus peritos fideliſſima re„rum magiſtra, experientia, certiſſime doce„bit. &c.

(*a*) Recenſione hoc loco utique digniſſima ſunt, quæ GVALTHERVS HARRIS *in Tr. de morbis infantum* p. 80. de methodo, quam Turcæ in peſtis curatione obſervant, retulit: „Illis, *inquit*, qui „malignitatis notione decepti, utpote nomine „funeſtos medicaminum inflammabilium effectus „tutiſſime celante, calefacientia diaphoretica in „curationem omnium febrium ſolent adhibere, „propono conſiderandam communem Turcarum „praxin, a mercatoribus fide dignis mihi concre„ditam, indoctam quidem, ſed vere rationalem, „in curanda ipſa peſte, malignarum febrium fa„cile principe, per *ſuccum limonum* in omne juſcu„lum liberalius inſtillatum, per fruſta limonum „ſacharata ore frequenter maſticata, et per po„tum apud eos vulgatiſſimum, dictum *Scherbet*, „(qui eſt aqua melle, vel ſacharo dulcata) hoc eſt, „per ipſum regimen frigidiſſimum, utpote qui„bus Mithridatium, theriaca Andromachi, radix „ſerpentariæ Virginianæ et cætera noſtrorum „remedia calidiſſima, alexipharmaca nuncupata, „bonis auſpiciis ſunt plane incognita, aut in nul„lo numero ſaltem habentur. Neque igitur mi„rum eſt, peſtem, (cujus terror noſtratium ani„mos fulguris ad inſtar longe lateque percu„tit) apud illos nonnunquam minorem hominum „ſtragem facere ſolere, quam mitem alias febrim „iis in regionibus, in quibus graſſatur doctrina. &c.

lioſus, cholera, diarrhœa bilioſa, dyſenteria epidemica, ſpasmi varii et convulſiones, hæmorrhagiæ exorbitantes, iſchuria, dyſuria, calculus, palpitatio cordis, lipothymiæ, cephalalgia, mania, ſcorbutus, nimium œſtrum venereum, venena animalia ac vaporoſa vegetabilia, et hujus commatis adfectus alii, ſi a cauſſis ſcilicet ſupra allegatis, quibus corrigendis acidula abunde ſufficiunt, producantur.

§. V.

Quemadmodum medicamenta acidula, uti luculentiſſime patet ex antecedentibus, in multis morbis opem ferunt egregiam, ſic acida potentiora, graviora, mineralia, ſibi relicta, adeoque adhuc valde cauſtica, corpus humanum magnopere lædunt, dum faucium, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, aliorumque meatuum, tunicis nervoſo-muſculoſo-membranaceis, ob gravitatem et inſignem partium rigiditatem, altius infiguntur, et vehementes, ac valde dolorificas contractiones ſpasmodicas, eroſiones, inflammationes, gangrænam, et ſphacelum, quin plenariam tandem partium, quibus tenacius adhærent, corroſionem producunt. Mitiora quoque, quod ſilentio prorſus prætermittere nequeo, ſi immediate ſanguinis circulantis maſſæ miſcentur, tragicos effectus, tum fluida repente coagulando, tum motus convulſivos in ſo-

 lidis

lidis provocando, edunt. Referente enim BAGLIVO (a), canis juvenis, cujus venæ jugulari ſiniſtræ certa ſpiritus vitrioli quantitas infundebatur, ſtatim moveri fortiter atque conqueri cœpit, cum ululatu ingenti, et poſt vehementes concuſſiones, ſemiquadrante horæ vix elapſo, periit. Cadavere reſecto, univerſa pulmonum moles nigerrima erat, et omnino exſiccata, idque in interna et externa parte. Sanguis in pulmonum vaſis penitus erat concretus, et inſtar carbonis nigrefactus. Pars colli, qua factum erat experimentum, denigrata ac ſphacelo fere correpta adparuit. Similes effectus ac ſimilem eventum annotavit IOSEPHVS LANZONVS (b), cum idem experimentum in cane, et cum eodem ſpiritu inſtitueret. Tentavit etiam cum aliis acidis gravibus in cuniculo, fele, et aliis animantibus. Feli quinque guttas ſpiritus ſulphuris, in drachmis duabus aquæ vitæ communis, in venam cruralem prope inguina infudit; Ligato vulnere, felis, novem horarum intervallo, exſpiravit. Aperto cadavere, nigræ maculæ in hepate, liene, pulmonibus, aliisque viſceribus adparuerunt, et cruor in vaſis omnibus coagulatus, immo, veſica urinaria, non ſero, ſed fœtido ſanguine, plena erat. Cuniculo ſpiri-

(a) In Operib. p. 465.

(b) Vid. Miſcell. N. C. G. Dec. III. ann. 9. et 10. obſ. 21.

ſpiritus ſalis dulcificati drachmam unam in venam jugularem dextram injecit; aſt animal, vix peracta ſyringatione, exſpiravit. Aperto corpore, coagulatio ſolummodo in pulmonibus obſervata fuit; in aliis vero locis ſanguis ſanus, et ceteræ quoque partes a ſenſibili labe immunes erant. BAGLIVVS etiam tentamina quædam cum ſanguine recenti, vix vena emiſſo, ſuſcepit, et obſervavit, quod lapides cancrorum, aceto deſtillato irrorati, eidem ſtatim induxerint coagulum, cum aliqua ebullitione, et colorem in elegantiſſime purpureum ac rutilantem mutaverint. Facta autem ſpiritus nitri atque vitrioli miſcela, ſanguis protinus evaſit nigerrimus, cum forti coagulatione, et die ſequente colorem obſcurum, inſtar tabaci, adſumſit, cum fracido odore, veluti piſcium rancidorum &c.

§. VI.

Quum ſatis ſuperque ex memoratis conſtet, quod multum omnino interſit, ut acidula duntaxat tuta et ſelecta, eaque juſto tempore, juſto modo, ac ordine exhibeantur, ſequentes cautelas generali uſui adhuc ſubjungere conſultum duco:

I. Eligenda ac gravioribus, crudioribus et minus ſpirituoſis præferenda ſunt acidula leviora, ſubtiliora ac ſpirituoſa vegetabilis, et animalis proſapiæ, nec minus rite dulcifica-

cificata mineralia: Rite, inquam, dulcificata; ſub vera nempe dulcificatione non mera, uti nonnulli erronee credunt, miſcela contingit, ſed nova quædam ac plane ſingularis partis acidæ ſalinæ cum inflammabili ſyncriſis. Quamprimum enim acidum potens vitrioli, nitri, atque ſalis alcoholi inſtillatur, protinus principii inflammabilis tenerrimi portionem, violenta et celerrima actione, phlegmati antea unito eripit, et in mutuos ac firmos cum eodem amplexus ruit; hinc novum inde mixtum ſalino-oleoſo-inflammabile, grati ſaporis, et temperatæ indolis, enaſcitur. (*a*).

II. Abſtinendum ab acidorum uſu, præſertim ſi valde gravia ſint, atque cruda, poſt lactis et lacticiniorum adſumtionem, ut et tempore chylificationis, ne noxium coagulum, et intempeſtivam præcipitationem efficiant.

III. Frequentius acidula conducunt ſubjectis cholericis, et cholerico-ſanguineis, bilioſis, nec non iis, quæ plerumque carnibus, aliisque, e regno animali deſumtis, eſculentis, largius præterea aromatibus calidis conditis, veſcuntur, et potulentis utuntur ſpirituoſis; rarius contra exhibenda ſunt melancholicis, pituitoſis, aut victu, maximam partem vegetabili, utentibus. Majo-

(*a*) Plura de hiſce vid. in Pharmacologia p. 145.

Majorem pariter utilitatem præſtant tempore anni fervido, quam frigido, necnon ſub climatibus calidis, quam gelidis.

CAPVT III.

DE NATVRA, PRINCIPIIS ATQVE VIRTVTIBVS ACIDVLO-DVLCIVM.

§. I.

Parum ab acidulis, pure talibus, quoad indolem et uſum, diſtincta reperiuntur ACIDVLO-DVLCIA: Idem quippe *ſal acidum eſſentiale* continent, quod *largiori* tamen *ſubſtantiæ unguinoſo-oleoſæ* et *mucilagineæ quantitati* involutum hæret; hinc linguæ, præter ſaporem acidulum, etiam dulcem, unice a ſingulari principii unguinoſi, et acidi miſcela derivandum, imprimunt. Separata enim ſuperflua materia unguinoſo-oleoſa, aut mucilaginea, ſal eductum, et ad ſiccitatem redactum, mere acidulum eſt, atque cremori et cryſtallis tartari ſimillimum; uti veritas hæc ex ſpeciali quorundam tractatione abunde patebit.

§. II.

Ob largiorem ſubſtantiæ unguinoſo-oleoſæ, aut mucilagineæ ad-et cohæſionem,

acidulo-dulcia tam notabile refrigerium, quam acidula puriora, corpori minime adferunt, nec tantopere quoque, quam ea, impuritates bilioſas et oleoſo-urinoſas temperant, ſed magis partes eroſas demulcent, corpora ſolida atque fluida nimium exſiccata humectant, et lubricant, viſcoſa abſtergunt, alvum blande laxant, et paullulum inſuper nutriunt. Non contemnendam proinde opem ferunt in ſiti nimia, raucedine, tuſſi, angina ſpuria, aſthmate, præſertim ſanguineo-ſpasmodico, eroſione faucium, ventriculi, inteſtinorum, aliarumque partium, cum ſuperficiaria, ac leviori inflammatione conjuncta, nec minus in ſegnitie ac ſiccitate alvi, acrimonia humorum ſcorbutica, calida arthritica et rheumatica, febribus lentis atque hecticis, et adfectibus ſimilibus, qui antiputredinoſa, temperantia, ac ſimul demulcentia, et obtundentia poſtulant.

§. III.

Quum facile cæteroquin acidulo-dulcia in ventriculo et inteſtinis, pituitoſa ſaburra refertis, in motum ruant, fermentativo analogum, poſteaque flatus gignant, et ventris tormina excitent, non promiſcue, præſertim apud ſubjecta hyſterica et hypochondriaca exhibenda ſunt, ſed ipſis, reſpectu uſus, arctiores omnino limites ponendi erunt.

CAPVT

CAPVT IV.

DE ACETOSELLA ET ACETOSA.

§. I.

ACETOSELLA, alias etiam *Oxalis*, *Oxys*, *Trifolium acetoſum*, *Herba Alleluja*, *Panis cuculi*, Germ. Sauer-Klee, Hertz-Klee, Haaſen-Klee, Kuckucks-Brodt ꝛc. dicta, pertinet ad ſpecies *trifolii*, et in hortis, ſylvis, aliisque locis incultis creſcit. Folia recentia, quæ ſola in uſum vocantur, grato pollent ſapore acidulo, et conquaſſata ſuccum reddunt aqueo-ſalino-acidulum, e quo notiſſimum *ſal eſſentiale acetoſellæ* educitur. Libræ decem foliorum recentium circiter tres libras ſucci ſuppeditant, et inde plerumque uncia una et drachmæ duæ *ſalis ſicci* ſeparari, et ad formam quodammodo cryſtallinam redigi poſſunt; quod enim relinquitur *magma mucido-ſalinum*, ad debitam conſiſtentiam ſalis deduci nequit, licet pondere ſal purum nonnihil ſuperet. Inde cæteroquin non ſine ratione conjicere licet, in libra una foliorum acetoſellæ recentium circiter drachmam unam cum ſemiſſe *ſalis aciduli eſſentialis* deliteſcere.

§. II.

In laudato ſale acidulo eſſentiali tota ace-

toſellæ virtus latet, quæ ſane egregia eſt, et in genere, æque, ac apud acida reliqua, ad antiputredinoſam, temperantem, refrigerantem et leniter ſtimulantem ac diureticam redit. Plerumque ſal eſſentiale jam ſeparatum adhibetur; cum inſigni nihilominus fructu etiam ſuccus expreſſus, et ipſa herba in febribus bilioſis, ardentibus, hecticis, malignis, ſcorbuto, ebullitione ſanguinis et bilis, hæmorrhagiis, phrenitide, mania, nimio œſtro venereo, ſuppreſſione urinæ, ſiti præternaturali, ictero acuto, tremore cordis et lipothymiis, a nimia, eaque repentina, ſanguinis rarefactione oriundis, et morbis ſimilibus in uſum vocari poſſunt. Succus expreſſus, et filtratione depuratus, potulentis et mixturis aquoſis additur, ipſa vero herba recens inter acetaria recipitur, vel aqua ſimplici aut ſero lactis infunditur.

§. III.

Cum acetoſella, quoad ſaporem, principia activa, et virtutem, convenit ACETOSA, Saurampffer, licet, reſpectu characteris externi, valde ab illa diſtincta inveniatur. Variæ ejus ſpecies in hortis non minus, quam pratis occurrunt, et generalius proinde in *hortenſem* et *ſylveſtrem* diſcernenda erit. Ob principia paullo crudiora, et ſaporem minus gratum, rarius, quam acetoſella, in uſum medicum trahitur, commode nihilominus eidem ſubſti-

ſubſtitui poterit. Recipitur inter acetaria, et infuſa quoque ingreditur.

* *

CAPVT V.

DE SVCCO CITRI ET LIMONIORVM.

§. I.

Svccvs citri, Citronen-Saft, ſpontanea impuritatum ſubſidentia, et filtratione depuratus, perfecte pellucidus eſt, et, odore non minus, quam guſtu exploratus, liquorem mere ſalino-aqueum refert, licet *particulis acidis* ſat copioſa *materia oleoſo-mucilaginea*, quae aciem earundem nonnihil hebetat, et majorem illis volatilitatem conciliat, unita ſit. Quando hic ſuccus enim lente evaporatur, magma relinquit brunnum ex acido-amaricans, quod deſtillatum, praeter *paucum oleum*, *ſpiritum* largitur, a tartari ſpiritu vix aut ne vix diſcernendum. Si in eodem quoque ſucco tanta lapidum cancrorum quantitas, cui corrodendae ſufficit, ſolvitur, liquor plane quidem inſipidus evadit, et quoad ſaporem aquoſus; attamen, ſi a ſedimento terreo decantetur, ut ſolutio perfectam adipiſcatur pelluciditatem, eidemque poſtea modica ſpiritus vini quantitas in vitro,

charta

charta ſaltem obturato, addatur, liquor acidulo-vinoſus, brevi interjecto tempore, regeneratur, qui in verum acetum mutari poteſt. (*a*).

§. II.

Succus citri ſingulas vires, quibus acida mitiora inſtructa ſunt, poſſidet, et, refrigerandi inprimis fine, frequentiſſime in febribus ardentibus, inflammatoriis, et putridis malignis, ceteriſque morbis, qui antiputredinoſis et temperantibus acidulis certius atque ſecurius curantur, potulentis additur, vel inter mixturas aquoſas recipitur. Per ſe quoque, ſacharo prius edulcoratus, exhibetur, et quidem cum fructu majori, quam vulgaris ſyrupus acetoſitatis citri; quippe qui, diutius ſcilicet in officinis pharmacevticis adſervatus, ob paullatinam volatilium partium acidarum jacturam, viribus ſuis maximam partem orbatus deprehenditur.

§. III.

Ad ſuccum citri adeo natura atque virtute accedit SVCCVS LIMONIORVM, Limonien-Saft, ut in locum ejus, quoties placuerit, commode ſurrogari queat. Frequens ejus uſus eſt in Italia, Hiſpania, Luſitania, aliiſque regionibus calidioribus, ubi uberior limoniorum proventus obſervatur. Addunt potu-

(*a*) Conf. Stahlii Tract. von Saltzen p. 157.

potulentis aqueis, vel cum ſacharo, et aqua ex eo julepum, quem *Limonadam* vocant, conficiunt, eundemque non potulenti tantum, ſed etiam medicamenti loco, æſtivo inprimis tempore, creberrime adſumunt. De ſingulari ejus virtute in peſte ea, quæ in antecedentibus p. 212. dicta fuerunt, conferri poſſunt.

* *

CAPVT VI.

DE ACETO ET TARTARO VINI.

§. I.

ACETVM purum atque pellucidum eſt liquor aqueo-acidulus, ſubtilis, mobilis ac ſemi-ſpirituoſus, e vino, cereviſia, aliisque liquidis vinoſis, blandæ fermentationis ope, productus.

§. II.

Mixtionem aceti variæ partes, *aqueæ* nimirum, *ſalinæ acidæ, tartareæ, oleoſo-unguinoſæ, et ſpirituoſo-inflammabiles*, ingrediuntur, ita tamen, ut aliæ unionem invicem ſubeant arctiorem, aliæ obiter duntaxat reliquis miſceantur. Copioſi phlegmatis præſentia tam manifeſta eſt, ut nulla prorſus probatione indigeat;

digeat: Partes ſalinæ acidæ ex odore, ſapore, effervescentia cum additis alcalicis, aliisque obſervationibus et experimentis vulgaribus patent luculentiſſime, et duplicis generis ſunt, aliæ videlicet *craſſæ*, *graves*, *tartareæ*, aliæ *ſubtiles*, *mobiles* atque *volatiles ſpirituoſæ*. Quando acetum, præſertim vini, quod præſtantius eſt, e cucurbita, arenæ impoſita, deſtillatur, primo, leniori ignis gradu adhibito, liquor tranſcendit tenerrimus, ac mobiliſſimus, qui linguæ et naribus penetrantem quidem, aſt ſimul ſpirituoſam, ſubtilem, ac gratam aciditatem imprimit. Hunc poſtea ſequitur phlegma, et in cucurbita grave et ingratum acidum tartareum remanet, quod, admoto etiam forti ignis gradu, ægerrime in cucurbita adſcendit, et in retorta igitur, ſi vulgare acetum deſtillatum, quod præcedente tamen liquore acidulo ſpirituoſo medica virtute longe inferius reperitur, elicere velimus, novæ deſtillationi ſubjiciendum eſt. Evocato prorſus ex retorta aceto graviori pellucido, magma relinquitur craſſum, nigrum, empyrevmaticum, e quo, ſubſtrato igne fortiſſimo, ſucceſſive liquor acidus, empyrevmaticus, fœtidus, tandemque oleum expelli, et ex nigris fecibus, in crucibulo poſtea ſeorſim combuſtis, ſal alcali fixum, quod ſeverioris demum Vulcani tortura e terra, oleo, et acido, comparative graviſſimo, genitum fuit, aqua extrahi poteſt.

§. III.

§. III.

Partes oleoſo-unguinoſæ craſſiores non tantum ex deſcripta magmatis deſtillatione, ſed clare pariter ex ſupra allegata (cap. I. § 3.) aceti corruptione cognoſcuntur: Nec deſunt quoque varia argumenta practica, quæ ſubtilis atque ſpirituoſi principii inflammabilis miſcelam abunde confirmant. Viride æris v. g., ſacharum ſaturni, et vitriolum martis, cum aceto parata, et deſtillationi, vel per ſe, vel addito pauxillo olei vitrioli, in retorta ſubjecta, ſubtiliſſimum ſpiritum acidum transmittunt, qui ita tamen tenerrimis particulis inflammabilibus remixtus eſt, ut, ſpiritus vini inſtar, accendi poſſit *(a)*. Et terra foliata tartari, quæ ex ſale tartari fixo, et aceto paratur, denuo deſtruitur, quando igni intenſiori in retorta committitur: Adſcendunt vapores nebuloſi, qui, in recipiente collecti, ſubtilem tartari ſpiritum æmulantur, et ſimul oleum verum, flavum, grati odoris, quanquam exigua admodum quantitate, expellitur. Notum præterea eſt, ex vino generoſo et valde ſpirituoſo acetum generari præſtantius, idemque evadere optimum, ſi vino aceſcenti pauxillum ſpiritus vini ſenſim addatur: Immo notum eſt, acetum, corruptioni proximum, ſpiritus vini, aut contuſi ſinapi ſeminis additione conſervari, et jam corruptum

(*a*) Conf. Boerhaave in Chymiæ T. II. Proceſſ. 176.

ruptum quodammodo laudato adminiculo ad priſtinam integritatem reduci.

§. IV.

Quanquam acetum vile omnino atque vulgare liquidum ſit, locum nihilominus, præſertim, ſi purum, ſubtile, et ex vino generoſo enatum fuerit, inter medicamenta præſtantiſſima tuetur, et reliquis acidis vegetabilibus crudis longe præferendum eſt, quoniam, ob ſubtilem, mobilem atque ſpirituoſam ſuam indolem, non tantum temperantibus, refrigerantibus, antorgaſticis, antiputredinoſis, diureticis, ſed diaphoreticis quoque, quin ſudoriferis, viribus donatum invenitur. Longius proinde medicus ejusdem uſus patet, et tuto ad ægritudinum plerarumque curationem extendi poteſt; uti hoc ex elogio BOERHAAVII, quod totum eapropter huc transferre conſultum duco, clarius conſtabit: „Acetum, ſcribit *(a)*, ſal „volatilis, oleoſus, acidus eſt; oleum enim „ejus ſub macilento acido tenui reconditum „latet ---- Hæc vero compoſitio admo„dum utilis eſt, quoniam putredini, humo„ribus animalium adeo communi, adeo pe„riculoſæ, adverſa, interim oleoſi aduna„ti mitificatione minus acris habetur. Si„mul adeo penetrabilis liquor hic eſt, ut „ſine partium ſeceſſu diverſarum, per den„ſiſſima

(a) L. c. p. m. 184.

„ſiſſima ſola tranſeat quam expeditiſſime, vi-
„ribus intactis, imo et totum fere per cor-
„pus humanum, pauciſſima forte vaſcula ex-
„ceperis, libere meabilis eſt, indeque in plu-
„rima vaſa poterit diſtribui, ibidemque ex-
„ercere vires, quas poſſidet proprias, inpri-
„mis excitatas vitali motu, et calore natu-
„rali. Quin et permiſceri ſe patitur facile
„cum omni genere humorum corporis noſtri
„noto, ne olea quidem exceperis; hac igi-
„tur tenuitate, et permiſcibilitate ſua in cor-
„pore noſtro plurima perficit. Refrigeran-
„di vim habet eximiam, quoties febris ori-
„tur ſtimulo acrioris bilis, alcaleſcentia ſalis,
„aut putridi nati in corpore humano, et a
„morſu venenato ferarum, ſitim et hinc ori-
„undam ſedans. Unde et Dioſcorides et
„Hippocrates, Poſca, vel Oxycrato, inpri-
„mis mellis admiſtu mitificato, ad hæc mala
„nihil reliquerunt commendatius. Chirurgi
„autem ad externa mala, Eryſipelatum,
„Phlegmones, putridorum ulcerum, nihil
„quidquam cognoverunt pulchrius. Mor-
„ſuique curando virulentorum aliud non eſt
„Poſca efficacius, eximio in rabie canina ex-
„emplo. Ebrietati adeo quidem adverſa, ut,
„quum ſpiritus vini fermentatitius unicum
„fere ſit, temulentiam quod concitat, aceti
„ſpiritus eandem jam citam domet. Imo
„vero ſomnoque vinoque ſepultus ex abuſu
„ſpirituum, ingeſto excitatur aceto. Hinc

„nervis ipſis erigendis, movendisque ſpiritibus vix aliud aptius. Debilibus, languentibus, lethargicis, ſoporoſis, ſyncopticis, „vomiturientibus, incaſſum ſæpe ſucurrere „conatus per artificioſiſſimà Chemiæ producta, ſummum tandem ab aceto, naribus, orique, adhibito, vel in ventriculum ingeſto, „auxilium impetravi. Quin etiam, quod „ſoli credent experti, convulſis, hypochondriacis, hyſtericis, prodeſſe ſæpius memini. Jure ideo Hippocrates et Galenus et „ſplenicis laudabant. Ad putredinem veram humorum, corruptionem mortiferam, „gangrænoſos reptatus adeo prodeſt, ut nihil habeat ſimile; quod expertus palam „eloquor. Quid autem verbis opus? Nonne, æſtuantiſſimo fervore autumni incandeſcente, et putredinis intentante Saniem, „caro, cruorve, copioſo perfuſà aceto, ſincera ſervantur? ſed et attenuandi virtutem „quoque, pace aliter ſentientium, aceti virtutibus accenſeo: ſi enim tepefactum cruori immiſcetur, ejusdemve ſero, diluit ea, „non cogit, nec generat hac admiſtione polypos, ſed ſuaviter reſolvit coagulata. In „acutis ideo febribus, in ardentium febrium „immanitate, in peſte, variolis, morbillis, „ſimilibusque malis, ubi fida Anatome toties coagulata repperit, acetum remedium „ſummum, ubi alcalini, volatiles, ſales, „tam infauſto eventu, adhibentur; quia acri

„ſtimu-

„ſtimulo velocitatem, et natam inde denſita-
„tem adaugent. Videte ſalis volatilis oleo-
„ſi, ſi non autorem, laudatorem utique ſu-
„premum, clariſſimum *Franciſcum de le Boe*
„*Sylvium.* Quonam prophylactico fretus,
„peſte ægros ſecurus inviſit? Aceto ad un-
„ciam unam, alteramve, prius epoto tutus.
„Teſtatus etiam omiſſi ſemel culpam dolore
„ſtatim nato capitis luiſſe. Sudoriferum cer-
„tius, efficaciusque ignoramus; quum ace-
„tum dilutum, aut merum, ſi potatur, quam
„maxime ſudores propellat, etiam in peſte
„maximeque malignis in morbis, ubi alia vix
„reſpondent. &c.

§. V.

Acetum vel per ſe, vel, quod præſtat, aqua dilutum, aut melle nonnihil temperatum, ad unum alterumve cochlear, interne exhibetur, et commode pariter mixturis aquoſis, etſi hic propinandi modus nondum ubique inter medicos invaluerit, miſcetur. Externe in ſyncope, adfectibus ſoporoſis, et apoplexia ſanguinea naribus admovetur, et epithemata humida, fronti, temporibus, partibus gangrænoſis, ſphaceloſis, vel morſu læſis aut punctura ab animalibus rabidis ac venenatis, prævia plerumque in caſibus poſterioribus ſcarificatione, adplicanda, nec minus gargariſmata refrigerantia, et emplaſtra veſicatoria ac rubefacientia, quæ poſteriora

membris paralyticis ſæpe cum inſigni emolumento imponuntur, ingreditur.

§. VI.

TARTARVS VINI CRVDVS, tam purior, *albicans*, ſplendens, quam impurior *rubellus*, rother und weiſſer Weinſtein, non externa quidem forma ac conſiſtentia, natura tamen et principiis, ſi inflammabile ſpirituoſum exceperis, adeo acetum æmulatur, ut acetum *tartarus fluidus*, et tartarus *acetum ſiccum* vocari mereatur. Naſcitur in vinis, præſertim Rhenanis, aliisque, acore eminentiori præditis, et ſucceſſive e partibus *terreis*, *oleoſo-mucilagineis*, *reſinoſis*, et *ſalinis acidulis*, doliorum lateribus adhærentibus, concreſcit. Partes ſalinæ acidulæ, terreis tenerioribus ſociatæ, aqua ebulliente facile ſolvuntur, extrahuntur, et, præmiſſa lixivii filtratione et evaporatione, ad formam ſolidam, ſiccam, et nonnihil cryſtallinam rediguntur; inflammabiles gummoſæ, reſinoſæ, et oleoſæ autem, detonatione cum nitro, et deſtillatione ſicca optime demonſtrantur. In tartaro ſplendente albo major ſalis eſſentialis aciduli, minor ſubſtantiæ gummeo-reſinoſo-oleoſæ, in rubello vero major ſubſtantiæ gummeo-reſinoſo-oleoſæ, minor ſalis aciduli quantitas hæret.

§. VII.

Tartarus crudus per ſe rariſſime in uſum medi-

medicum trahitur, ſed ejus loco ſeparatum *ſal eſſentiale*, cujus tenerior portio ſic dictum *Cremorem*, craſſior *Cryſtallos tartari* conſtituit, inter pulveres, potiunculas, et infuſa aquoſa atque vinoſa recipitur. In aqua fervida prompte, in tepida lente hoc concretum terreo-ſalinum ſolvitur, et in frigida ſolutionem plane reſpuit, niſi, tenerrime pulveriſatum, diutius in ea relinquatur. Egregium medicamentum eſt, quod alvum, leniter ſtimulando, blande ſubducit, et ſingulas vires reliquas, acidulis ſelectioribus adſcriptas, in morbis antea allegatis exſerit. Sal acetoſellæ virtute propemodum ſuperat, difficilius tamen, quam illud, in vehiculis ſolvitur, et majorem ſub adſumtione nauſeam creat. Datur a granis aliquot ad ſcrupulum unum, immo drachmam ſemiſſem.

CAPVT VII.

DE

SERO LACTIS.

§. I.

SERVM LACTIS (Molcken, Wadecke,) in genere in *dulce* et *acidulum* diſtinguitur: Acidulum, de quo unice hoc loco ſermo erit, vel blanda, et ſpontanea fermentatione, vel

momentanea præcipitatione artificiali a reliquis partibus lactis ſeparatur. Illud paullo crudius eſt, et ideo rarius, et ſolummodo apud homines plebejos atque robuſtos, in uſum medicum vocatur; hoc autem longe gratius reperitur, et frequentius proinde adhibetur. Paratur autem ſequenti modo: Lacti recenti tepefacto, vel leniter etiam ebullienti, ſuccus citri, limoniorum, acetum vini purum, aut ſolutio pulpæ tamarindorum, cum vino Rhenano facta, inſtillatur, vel pulveriſatæ cryſtalli aut cremor tartari tanta quantitate injiciuntur, ut lac promptum ſubeat coagulum, et pars butyraceo-caſeoſa craſſior a ſero ſegregetur. Deinde, elapſis tamen aliquot minutis, et vaſe nonnihil refrigerato, ſerum per linteum trajicitur, et ſic a materia terreo-mucida craſſiori ſeparatur. Quando dimidiæ lactis menſuræ (1. Nöſel) dimidia duntaxat drachma cremoris injicitur, ſerum lacteam albedinem atque dulcedinem nonnihil retinet; ſin drachma vero integra in prædictam lactis quantitatem immittitur, ſerum, poſt coaguli caſeoſi ſeparationem, ad colorem ſubviridem vergit, et manifeſto pollet ſapore acidulo. Quare, ut ſerum optimam ſortiatur indolem, dimidiæ lactis menſuræ binos ſolummodo cremoris tartari ſcrupulos injicere, præſtat: Obſervata enim hac proportione, ſerum percolatum acidulo quidem ſapore gaudet, multum nihilominus de priſtina

ac

ac grata dulcedine retinet: A medici cæteroquin rationalis ſcopo, et differenti morborum natura pendebit, an hæc, an vero alia proportio eligenda ſit.

§. II.

Continet hoc liquidum acidulum aut acidulo-dulce in copioſo ſuo *phlegmate* multas partes *ſalinas acidulas*, *mucilagineo-oleoſis temperatiſſimis* plus minusve remixtas, et contemperatas: Hinc non ſolum blande ſtimulat, abſtergit, ac temperat, ſed ſanguinem quoque ac lympham diluit, impuritates acres, præſertim bilioſas et alcalico-urinoſas, involvit, transformat, et per vias urinarias educit, ac paullulum præterea nutrit. Egregium igitur medicamentum eſt, quod, potulenti ordinarii loco, in ebullitione ſanguinis et bilis, in febribus ardentibus, bilioſis, inflammatoriis, quin ipſis malignis, nec minus in eryſipelate, phlogoſibus, phrenitide, mania, gutta roſacea, ſcorbuto, rheumatiſmis, arthritide calida, ictero acuto, hæmorrhagiis exorbitantibus, orgaſmo venereo, calculo, iſchuria, et morbis ſingulis, qui humorum viſcoſitati, et calidæ, acri, bilioſæ ac ſemiputridæ ſanguinis indoli præcipuam debent originem, cum inſigni emolumento adhiberi poteſt. Non contemnendum pariter auxilium hecticis ſpondet, quando ita ſcilicet præparatur, ut dulcedo præ ſapore acido prædominium obtineat, ne, fa-

ſta nimia præcipitatione, eminens aciditas faucium aſperitatem ac tuſſim augeat, vel pertinaci etiam raucedini occaſionem præbeat.

* *

CAPVT VIII.

DE TAMARINDIS ET PASSVLIS MINORIBVS.

§. I.

TAMARINDI, Tamarinden, ſunt Palmæ cujusdam, quæ vulgo *Tamarindus*, itemque *Oxyphœnix* dicitur, fructus ſiliquoſi, et fibroſo-pulpoſi, in membranacea loculamenta diſtincti, in quibus oſſicula dura, quadrata, ſplendentia, ex fuſco-rubicunda, latent. Fructus maturi ab arboribus, quæ hinc inde in *Arabia*, *India orientali*, et *Nova Hiſpania* creſcunt, decerpti, ad ſolem ſiccantur, ut paullo diutius durent: Facile enim, præſertim coacervati, fermentationem ſubeunt, eademque valde molles redduntur. Colore vel *fuſco* vel *nigro* gaudent, et hi poſteriores, quoniam eminentiori aciditate præditi ſunt, præſtantiores cenſentur.

§. II.

PASSVLAE MINORES, *Paſſulæ ſine granis*, kleine Roſienen, nihil aliud ſunt, niſi uvæ

uvæ paſſæ minores, ad ſolem nonnihil exſiccatæ, quæ olim circa *Corinthum*, ubi proventus earum uberrimus erat, in vineis colligebantur, noſtra vero ætate circa *Naupactum*, *Patras*, et in notiſſimis Græciæ inſulis *Zazyntho*, *Cephalonia*, et *Thiaca*, tanta copia creſcunt, ut inde ad ſingulas ferme gentes evehi poſſint. Zazynthus inprimis adeo uvis hiſce abundat, ut ibi 5000000 libræ paſſularum quotannis colligi dicantur.

§. III.

Subſtantia *pulpoſa* tam paſſularum, quam tamarindorum, tota ſolvitur in aqua, et ſolummodo ex partibus *dulcibus oleoſo-mucilagineis*, et *acidis ſalinis*, cremori tartari analogis, compoſita deprehenditur. Principia hæc facile fiunt manifeſta: In paſſularum enim ſucco, recenter expreſſo, ſenſim ſal eſſentiale acidiuſculum concreſcit, quando leniſſimo prius calore, ad tertiæ partis remanentiam, inſpiſſatur, poſteaque in loco frigido aliquamdiu collocatur: Separatur quoque dulce atque gratiſſimum oleum, quod liquori innatat. Si idem quoque ſuccus, prævia leni fermentatione, deſtillatur, copioſum ſpiritum ardentem, cui multum ſuccedit phlegmatis, largitur, et remanentia melleæ conſiſtentiæ ſuperfuſum vini ſpiritum odore aromatico, rubroque colore imbuit, in fundo autem ſal eſſentiale acidulum præ-

cipi-

cipitatur. Similia propemodum obſervamus apud tamarindos, quando poſt aliquam fermentationem, vel temporariam duntaxat, ac ſimplicem in aqua macerationem, deſtillationi ſubjiciuntur: In caſu priori ſpiritum inflammabilem, in caſu poſteriori liquorem acidum, aceto vini haud diſſimilem, transmittunt; immo, pulpa eorum, ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate diluta, et duos menſes in loco frigidiuſculo relicta, ſal eſſentiale cryſtallinum, tartari cryſtallis natura ac forma externa comparandum, e mixtione ſua extrudit. (*a*). E pulpæ libris ſex plerumque quinque vel ſex ſalis eſſentialis drachmæ ſeparantur. Notatu pariter hoc loco dignum eſt, in ramis arboris tamarindi ſubinde maſſulas ſalinas, quæ, a ſole exſiccatæ, cremorem tartari æmulantur, e ſucco nutritio extravaſato ſponte concreſcere. (*b*).

§. IV.

Ob dulces partes oleoſo-mucilagineas paſſulæ et tamarindi demulcent, lubricant, et expectorationem promovent, ob acidulas ſalinas autem abſtergunt, alvum blande laxant, et æſtum ſanguinis ac bilis temperant: Superant tamen tamarindi et eorum pulpa paſſulas virtute laxante et temperante, paſſulæ

(*a*) Conf. Memoir. de l'Acad. Royal. des ſciences ann. 1701. pag. 149.

(*b*) Conf. eadem Acta ann. 1699. p. 134.

læ ex adverſo tamarindis demulcente et pectorali virtute ſuperiores ſunt. Paſſulæ coctæ, ut et pulpa, expreſſione inde ſeparata, vel per ſe adſumuntur, vel decocta, infuſa, et poſterior quoque bolos et electuaria, in aſperitate faucium, tuſſi acri, ardore urinæ, ſtranguria &c. præſcribenda, ingrediuntur. Idem quoque, reſpectu modi ac formæ exhibendi, de tamarindis, eorundemque pulpa, quæ ſæpius, quam ipſi tamarindi, in uſum vocatur, dicendum erit, præterquam, quod vix memorata pulpa ſæpiſſime pariter lactis præcipitationi inſerviat, et ſerum inde natum in morbis omnibus, quibus ſerum lactis ſimplex mederi dictum fuit, ſummo cum fructu, et quidem loco potus, fere ordinarii, adhibeatur. Doſis pulpæ tamarindorum, per ſe exhibendæ, a drachma una ad unciam ſemiſſem et ultra adſcendit.

§. V.

Ad acidulo-dulcia ſelectiora etiam FRVCTVS GROSSVLARIÆ NON SPINOSÆ, FRVCTVS MORI et CHAMÆMORI, tam *noſtratis*, quam *Norwegicæ*, ut et *variæ* CERASORVM *ſpecies* referri merentur, quoniam natura, principiis, viribus, atque uſu cum tamarindis et paſſulis minoribus valde conveniunt.

SECTIO

SECTIO IV.

DE SALINIS ALCALINIS, TAM FIXIS, QVAM VOLATILIBVS VRINOSIS.

CAPVT I.

DE DIFFERENTIA, NATVRA ET ORIGINE SALIVM ALCALIVM FIXORVM.

§. I.

SALIA ALCALIA, ſeu rectius, ALKALIA (α), in genere in *fixa* ſive *lixivioſa* (β) et *volatilia* ſive *urinoſa* dividuntur. Alcalia fixa, de quibus primo loco diſſerendum erit, linguæ ſa-

(α) Vocabulum *alkali* nonnulli ab articulo Arabico *Al*, et *Kali*, ſal, vel etiam a notiſſima herba *Kali*, e cujus cineribus in variis regionibus communiſſimum ſal lixivioſum, vulgo *Soda Hiſpanica* dictum, copioſiſſime præparatur, derivant. Alii arbitrantur, hunc ſalem olim dictum fuiſſe *Sal Kali*, et inde poſtea, littera S. abjecta, et duplici voce in unam contracta, alkali vocabulum natum eſſe.

(β) *Lix*, annotante BOERHAAVIO *in Chem. T. I. p. 764.*, latina lingua, *Cinerem foci* notat; hinc ſales, e cineribus parati, *lixivi, lixivii, lixivioſi* dicti fuerunt.

ſaporem acrem, urentem, citius ac melius guſtu, quam uberrima deſcriptione cognoſcendum, imprimunt, in aqua facillime ſolvuntur, immo, eandem, ſub vaporum forma in aere vagantem, præſertim, prævia calcinatione violentiſſima humido prorſus orbata, adeoque ſicciſſima reddita, ac ſitientiſſima, prompte imbibunt, et tandem in liquorem aqueo-ſalinum, contactu pinguem, deliqueſcunt. Vnica v. g. ſalis tartari ſicciſſimi uncia, obſervante BOERHAAVIO *(a)*, tres propemodum aquæ uncias ſucceſſive ex aere attrahere valet. Aliquando orbi vitreo, in loco ſatis elevato, et ſicco collocato, et quidem decimo ſeptimo die Januarii ad vigeſimum ejusdem menſis, impoſuit uncias duas et drachmam unam ſalis tartari, tanto igne exſiccati, ut funderetur, ac poſtea obſervavit, ſalis tartari pondus, intra illud tempus, drachmis tribus et ſemiſſe auctum fuiſſe. Cum deinde relinqueret diutius, pondus quotidie increvit, donec in perfectum liquorem reſolveretur. Memorata vaporum inſinuatio in principio tam ſubitanea eſt, ut ſal tartari, ab igne vix remotum, ac vitro, ſubere protinus obturato, injectum, humiditatis quidquam illico attrahat.

§. II.

Quanquam ſalia alkalia fixa, accedente hu-

(a) L. c. p. 464.

humiditate aquea, facile deliqueſcant, in igne nihilominus admodum fixa exiſtunt; et vehementiori demum Vulcani tortura ad fluorem rediguntur. Cum quovis cæteroquin acido effervefcunt, et, finito tumultu, cum eodem in ſal medium coeunt, cui facili negotio forma cryſtallina inducitur. Quando ſali ammoniaco, in aqua ſoluto, adduntur, ſtatim priſtina acidi et urinoſi unio diſſolvitur, et pars urinoſa volatilis, partim ſub ſalis ſicci, partim ſpiritus forma, adſurgit, acidum vero cum alcali fixo iterum ſubit connubium, ac novum ſal medium, in igne longe fixius, quam ammonicale, producit. Syrupo violarum colorem viridem, et rubicundiſſimæ tincturæ ligni Braſilienſis aquoſæ purpureum conciliant: Mercurium ſublimatum, aqua ſimplici ſolutum, ſub calcis aurantiæ forma, præcipitant, corpora ſulphurea, reſinoſa, bituminoſa reſolvunt et expandunt, vel eorundem tamen ſolutionem, ſi menſtruis adpropriatis jungantur, valide adjuvant, cum oleis æthereis autem in maſſam grumoſam, ſaponiformem, et cum unguinoſis ac pinguedinibus animantium in perfectos ſapones coeunt; quæ concretio tamen ſolutionem oleorum æthereorum in ſpiritu inflammabili rectificatiſſimo minime impedit, ſed potius promovet. Sæpius quoque annotatum fuit, alkalia puriſſima, ſiccisſima, acerrima, ſitientisſima, et ab igne fervidisſima, alcoholi optimo mixta,

ta, iſtud pariter in arctius rapere conſortium, ac ſibi adunare; nihil tamen phlegmatis amplius inhærere debet, alias ab alcali confeſtim attrahitur, et alcohol quaſi repellitur.

§. III.

Salia alcalia fixa, ſive lixivioſa, uti alibi pridem obiter retuli, ex *terra ſolubili*, *ſale acido*, et *pauca materia inflammabili*, nunc teneriori, nunc *craſſiori oleoſo-unguinoſa*, reliquis principiis, ignis violenti ope, intimius intermixta, conſtant. Terra mixtionem maxima ingreditur quantitate; quemadmodum hoc ex ſequenti experimento patet: Solvitur ſal quoddam alkali fixum in aqua ſimplici, ſolutio, iterata filtratione perfecte depurata, atque pellucida reddita, denuo exſiccatur, et in tigillo, impoſito alio firmiter claudendo, funditur, poſteaque aeri exponitur, ut deliqueſcat; ſic in fundo, ſub liquore pellucido ſupernatante, ſenſim pulvis albicans colligitur, qui ablatus et exſiccatus, meram terram, illi, qui ex plantarum cineribus educitur, ſimillimam, ſiſtit. Quando hic labor ſæpius reiteratur, et liquor pellucidus decantatus rurſus ad ſiccitatem evaporando redigitur, maſſa ſicca ſalina ſolvitur, funditur, et ſpontaneo deliquio fluida redditur, ſemper terræ portio in fundo ſuperſtes erit, ita ut tota ſalis moles tandem in ſimplicem ejusmodi terram degeneret; excepta parte vere ſalina, et unguinoſo-

inflammabili, quæ ſub exſiccatione, fuſione, ſolutione, multoties repetita, terream ſuam matricem ſenſim relinquit, et in auras abit; quæ jactura ex pondere, notabiliter imminuto, luculentiſſime pateſcit. (*a*).

§. IV.

Reliqua ſalis fixi alcalici elementa pluribus quidem experimentis reddi poſſent manifeſta; verum, ne juſto ſim prolixior, pauca duntaxat, quæ ſufficere videntur, hoc loco recenſebo: Si nitro v. g., in crucibulo fluenti, pulvis carbonum ſucceſſive injicitur, detonatio ſub quavis injectione oritur, tandemque ſufficienti quantitate immiſſa, et detonatione ceſſante, corpus relinquitur perfecte alcalicum, quod *nitrum fixum* vocatur, et, in loco humidiuſculo deliqueſcens, notiſſimum *alcaheſt Glauberi* ſuppeditat. Nitrum ſub hac ſalis alcalici productione terram et acidum, carbones vero partim terram, partim tenerrimum principium inflammabile ſuppeditant. Idem ſcopus obtinetur, quando loco pulveris carbonum tartarus vini pulveriſatus æquali quantitate injicitur, vel utraque materia, in mortario contuſa, et antea probe mixta, cochleatim in crucibulum candens immittitur; immo, ſolus tartarus, ſuccus citri inſpiſſatus, ſal pingue plantarum eſſentiale, et corpora ſimilia, terra, ſale acido, et inflam-

(*a*) Conf. Boerhaave L. c. p. 640.

flammabili ſubſtantia inſtructa, combuſtione ac vehementi calcinatione, in perfecta ſalia alcalia fixa, vel tota, vel quoad aliquam partem, transformantur, quum quævis elementa, ad alcali fixi mixtionem neceſſaria, contineant, æque, ac plantæ pleræque, præſertim amaræ, quæ combuſtæ cineres relinquunt, e quibus poſtea alcali fixum aqua adfuſa elixiviari poteſt.

§. V.

Contrarium itaque accidit, et ſpes eluditur, quando pars unguinoſo-inflammabilis, aut acidum in corporibus comburendis plane deficit, aut horum principiorum alterutrum corpori alcaliſando, repetita extractione cum ſpiritu vini, vel aqua ſimplici, ante calcinationem ereptum fuit. Recipiantur v. g. herbæ abſinthii libræ quatuor: Conciſæ iterata vice adfundatur ſpiritus vini rectificatiſſimus, usque dum ſubſtantia oleoſo-reſinoſa tingens prorſus extracta ſit. Quo facto, herba denuo ſiccata comburatur, et ſal alcali e cineribus aqua extrahatur; ſic unam circiter unciam ſalis ſicci obtinebis, quum tamen alias æqualis quantitas herbæ abſinthii, portione inflammabili nondum orbatæ, uncias duas cum dimidia poſt combuſtionem largiatur. Sin, peracta olei et reſinæ extractione, herbæ laudatæ aqua pariter adfunditur aliquoties, ut ſalino-gummoſa quoque ſubſtantia

extrahatur, reſiduum ſiccatum et combuſtum vix 19. vel 20. grana ſalis fixi alcalici ſuppeditabit *(a)*. Vnde manifeſte conſtat, nec ſolam terram, nec ſolum acidum generando ſali alcalico ſufficere, ſed ſimul etiam materiam quandam unguinoſo-inflammabilem ad ejus compoſitionem, violentioris ignis beneficio perficiendam, ſumme neceſſariam eſſe. Ad alcali fixi quoque in igne geneſin, quod adhuc monendum duco, quævis corpora, quæ alias ſatis notabilem ejus quantitatem largiuntur, inepta fiunt, quando putrefactioni ſubjiciuntur, vel ſponte in putredinem ruunt, quoniam motu putredinoſo non ſal alcali fixum, ſed ſemper volatile ſive urinoſum producitur.

§. VI.

Perfectum ſal alkali fixum ſolius ignis violenti progenies eſt, nec unquam proinde in naturali animalium, vegetabilium, quin etiam, ſi ſal culinare, thermas, et alias hujus commatis aquas exceperis, mineralium mixtione reperitur. Quæ enim hinc inde inveniuntur concreta, ſalibus alcalibus quodammodo analoga, meræ ſaltem terræ alcalinæ ſunt, quæ efferveſcentiæ quidem motum cum acidis ſubeunt, nequaquam tamen cum iis in perfectum ſal medium, ſed terreo-ſalſum tan-

(a) Plura de Salium Alcalium *principiis* ac geneſi vide in B. Neumanni Lectione de ſalibus alkalibus.

tantummodo corpus, coeunt. (a) Fixum præterea ſal alkali, in thermis, acidulis, aliisque fontibus ſoteriis ac mineralibus obvium, natales ſuos Vulcano ſubterraneo debet, et quidem ſeveriori in et circa montes, colles, et campos ignivomos, vel pacatiori in nidis ac ſtratis pingvium pyritarum, ſub humectatione fortiter incaleſcentium, immo, admiſſo aere liberiori; veras flammas eructantium. Adeſt hic locorum cauſſa formalis, adſunt pariter materiæ, ad alkali fixi compoſitionem neceſſariæ, nec mirandum proinde erit, quod actualis alkali geneſis crebro contingat.

(a) In regno *Coromandel*, uti IOH. OTTO HELBIGIVS in Miſcellaneis A. N. C. G. ann. 9. et 10. obſ. 196. refert, et quidem prope urbem *Tegnopatanam*, non procul a mari, in ſolo arenoſo, incolæ quotidie tempore matutino terram quandam, ex flavo-cineream, quam communis noctu ejicere traditur, colligunt, et inde lixivium præparant, quo, per calcem vivam prius acuato, colores, e vegetabilium ſuccis deſumtos, miſcent, iisdemque verſicoloria illa lintea pingunt. Terram hanc nativo ſale alcalico prægnantem eſſe, idemque, aliquamdiu in ipſo generationis loco relictum, acidum aereum attrahere, ac ſponte in nitrum mutari, idem Auctor eodem loco teſtatur: Quæ, ſi vera eſſent, valde omnino ſupra memoratis contraria forent. Attamen, HELBIGIVM, qui incolarum relationi ſimpliciter fidem adhibuit, quique procul dubio decens laudati con-

§. VII.

Completa et puriſſima ſalia alcalia fixa, quoad indolem et effectus, inprimis medicos, parum diſtincta inveniuntur, præterquam, quod ea, quæ ex acido et terra minerali genita fuerunt, paullo acriora ſint, quam illa, quibus vegetabilia ſaltem neceſſaria elementa dederunt. Leviſſima præterea differentia, quæ nonnunquam obſervatur, plerumque ab ad-et-inhærentibus heterogeneis, carbonariæ, fuliginoſæ, et oleoſæ indolis, moleculis, vel ab imperfecta calcinatione, quæ integras perſæpe ſalis medii, aut adhibitæ ſubſtantiæ alterius particulas relinquit, deducenda eſt; uti frequentiſſime apud nitrum fixum obſervamus: Inſtillato quippe huic ſali oleo vitrioli, plerumque vapor acidus nitroſus ex rubro-flaveſcens adſurgit, ſi nitrum ſcilicet nondum quoad ſingulas moleculas ſub detonatione alcaliſatum fuerit, ſed integræ adhuc ejuſdem particulæ remanſerint. Nunquam enim vapor ejusmodi eructatur, quando quævis nitri moleculæ in perfectum ſal alcali transformatæ fuerunt.

concreti mineralis ſcrutinium inſtituere neglexit, facile decipi potuiſſe, immo, revera deceptum fuiſſe, firmiter credo.

CAPVT

CAPVT II.

DE
MODO OPERANDI ATQVE VIRTVTIBVS MEDICIS SALIVM ALCALIVM FIXORVM.

§. I.

Salia alkalia fixa, tam ſicca, quam liquida, juſta tamen quantitate exhibita, partes corporis ſolidas leniter ſtimulant, acidum quodcunque, maxime autem in primis viis ſtabulans, valide deſtruunt, et, interveniente ſyncriſi promtiſſima, ſalia media producunt: Inſtar ſaponis quoque, præſertim ſi iisdem materia mucido-pinguis arctius uniatur, impuritates acido-pituitoſas primæ culinæ abſtergunt, bilem viſcidam atque inertem attenuando (*a*) corrigunt, ſanguinem, lympham, cete-

(*a*) Bilis cyſtica bovina, ſana, ac ſatis fluida, inſtillato oleo vitrioli, confeſtim coagulatur, pallida fit atque foetens, amaritiem amittit, tandemque materia valde mucida ad fundum ſecedit, aquæ autem ſupernatanti perfecta redditur pelluciditas. Cum aqua forti promtiſſime quoque in coagulum, denſum, viridiuſculum, amariſſimum abit, quod, interjectis paucis diebus, emplaſtri ac reſinæ conſiſtentiam, cum colore intenſe viridi, adquirit. Coagulum quoque inducunt ſpiritus ſalis, et quævis acida reliqua, diverſæ tamen, pro fortiori, vel

ceteroſque humores, craſſitie, ſpiſſitudine, muciditate laborantes, reſolvunt, adeoque ad priſtinam fluiditatem reducunt: Hinc minime pariter dubitandum erit, quin meatus ac vaſa cujuscunque generis, per viſcidas, tenaces, aut acido-tartareas materias obſtructa, aperiant, ſe-et excretiones, maxime per renes et poros cutis, promoveant, et partes cruoris urinoſo-oleoſo-inflammabiles expandant; quibus preſſo pede coloris purpurei exaltatio, uberior ſalis urinoſi geneſis, atque reſuſcitatio (α), et notabile caloris incrementum neceſſario ſuccedere debent.

§. II.

vel debiliori acore, conſiſtentiæ. Si coagulis hiſce alcali quoddam fluidum, ſive ſit fixum, ſive volatile, ſ. q. additur, protinus efferveſcentia oritur, et priſtina fluiditas, cum ſapore et colore naturali, bili reſtituitur.

(α) Quando ſanguini, vix e vena extracto, pauxillum ſalis tartari aut cinerum clavellatorum miſcetur, teſte IOH. HVMMELIO *in Tr. de Arthritide p. 54.*, illico debilis odor urinoſus adſurgit. Tenerrimum enim ſal, quod naturalem cruoris ac gelatinæ mixtionem ingreditur, vulgo judicatur ammoniacale: Nunc autem chemicis notiſſimum eſt, ſal ammoniacale quodcunque confeſtim urinoſam dimittere portionem, quamprimum eidem alkali fixum additur, præſertim, ſi utrumque ante miſcelam aqua debite ſolutum fuerit. Quare nullo quoque modo mirandum eſt, quod alkalia fixa, interne largius paullo adſumta, uberrimum in maſſa

§. II.

Propter memoratas virtutes generaliores ſalia fixa alkalia, rite uſurpata, promtum ac certum ſpondent auxilium contra venena cauſtica mineralia, nec non in morbis ventriculi et inteſtinorum, e copioſa ſaburra acido-pituitoſa oriundis, itemque, parca tamen manu oblata, in principio febris quotidianæ et quartanæ, viſcoſitate et inertia bilis, et inde nonnunquam reſultante cachexia icteritia, nec minus in apoplexia pituitoſa, aſthmate, obſtructione hepatis, lienis, renum atque uteri, quoties ſimili materiæ acido-mucido-tartareæ, vel ſanguini ſpiſſo ac lymphæ coagulatæ præcipuam originem debent. Non contemnendæ quoque utilitatis ſunt in cachexia vulgari, leucophlegmatia, nephritide pituitoſa et morbis ſimilibus.

§. III.

Quemadmodum tempeſtivus, moderatus, et circumſpectus horum ſalium uſus multum ſubinde emolumenti adfert: Sic abuſus quoque noxas inſignes creare valet. Facile enim, ſi intempeſtive aut nimia copia

 ex-

maſſa ſanguinea ſalis urinoſi proventum, et hac ratione notabile caloris, fluiditatis, et tranſpirationis cutaneæ augmentum efficiant: Immo, minime mirandum erit, quod illa ipſa, nimium uſurpata, nocivam, et putredinoſam humorum diſſolutionem producant.

exhibentur, adpetitum dejiciunt, naturalem humorum ſyſtaſin deſtruunt, copioſæ ſalis urinoſi geneſi favent, humores, uti pridem dictum fuit, ad diſſolutionem putredinoſam diſponunt, et præternaturales, quin ipſos febriles, in ſanguine igniculos accendunt. Maximum inprimis detrimentum inferre conſueverunt, quando in morbis calidis, v. g. febribus continuis, bilioſis, ardentibus, inflammatoriis, exanthematicis, lentis, hecticis atque malignis, nec minus in ictero acuto, hæmorrhagiis exorbitantibus, poſt iracundiam, in congeſtionibus ſanguinis, et ſingulis morbis reliquis, qui in genere a vehementi humorum reſolutione, commotione, orgaſmo, velململbilioſa, aut oleoſo-urinoſo-putrida eorum dyſcraſia deducendi ſunt, ægris imprudenter propinantur.

§. IV.

Virtus ſalium alcalium *calefaciens*, *ſudorifera*, *diuretica* et *purificans* fortior redditur, ſi ſulphurea quædam aut bituminoſa ſubſtantia mineralis, vel oleoſa ac reſinoſa vegetabilis, iisdem uniatur; quemadmodum hoc inter alia notiſſimæ tincturæ ſulphureo-alcalicæ antimoniales probant: Quippe quæ, teſte experientia quotidiana, ſudorem fortius pellunt, et in ſcabie benigna et maligna, lepra, lue venerea, gonorrhœa virulenta, nephritide pituitoſa, cachexia &c. longe majorem ef-

efficaciam, quam alcalia pura ac ſolitaria, monſtrant.

CAPVT III.

DE NATVRA, DIFFERENTIA, ET ORIGINE SALIVM ALCALIVM VOLATILIVM.

§. I.

Salia alkalia *urinoſa* non ſola partium ſubtilitate, mobilitate, ac volatilitate, ſed aliis pariter proprietatibus et effectibus quibusdam ſeſe ab alcalibus fixis diſtinguunt. Nam, licet urinoſa æque quidem, ac alkalia fixa, cum quovis acido efferveſcant, nunquam tamen in ſal *ſalſum*, vulgare, comparative fixius, ſed in *ammoniacale*, admoto igne fortiori volatile, coeunt, et ex ſolutione mercurii ſublimati aquoſa non aurantium, ſed album, pulverem præcipitant. Solutionem cupri præterea reddunt cœruleam, et oleoſa, atque ſulphureo-inflammabilia teneriora magis, quam alkalia fixa, expandunt, ſanguinis calorem notabilius intendunt, eumque non minus, quam humores reliquos, fortius commovent, ac commovendo diſſolvunt. Notatu denique dignum eſt, ſpiritum urinæ concentratiſſimum, cum alcohole mixtum, con-

confeſtim producere coagulum, *Oſſa* HELMONTII dictum, etiamſi liquidum utrumque celerrimo motu inteſtino gaudeat, et ad evaporationem proniſſimum ſit.

§. II.

Leviſſima differentia, quæ circa alcalium volatilium naturam ſpecificam obſervatur, non derivanda eſt a portione vere ſalina, ſed ab oleo ſpecifico, quod in poris hæret: Hinc facile etiam ex ſale volatili ſalis ammoniaci, ceu omnium, quæ vulgo proſtant venalia, puriſſimo, per additionem diverſorum oleorum, præſertim empyrevmaticorum, diverſa parari poſſunt ſalia volatilia, et quævis pariter genuina, h. e., e propriis ſuis ſubjectis educta, atque oleoſa ſubſtantia per repetitam digeſtionem et extractionem cum ſpiritu vini dephlegmatiſſimo, penitus iterum orbata, unum idemque ſal offerunt, quod, nova ſublimatione cum alkali fixo, aut terra quadam alkalina perfecte repurgatum, ab ordinario ſale volatili ſalis ammoniaci diſcerni nequit. (*a*)

§. III.

(*a*) „Datur tantummodo, B. HOFFMANNUS *in Obſ. „phyſico-chymicis p. 215.* ſcribit, unum ſal volatile „purum in univerſo animalium regno, quod non „niſi ab oleo admixto ſuam ſpecificam accipit „cum ſapore et odore virtutem. Hinc quia ex „ſale ammoniaco ſal volatile puriſſimum, omni

oleo

§. III.

Quoad elementa, ſeu partes conſtitutivas ſalia alkalia volatilia ſive urinoſa cum fixis conveniunt, præterquam, quod principia memorata *teneriora* ſint, et major *ſubſtantiæ pinguis, oleoſæ, inflammabilis*, portio mixtionem ſubeat. Quare addita etiam, vel fortuito accedente, et arctius unita, laudata ſubſtantia, ex alkali fixo, adjuvante tamen calore, fit ac fieri poteſt ſal volatile urinoſum; uti hæc ſubjunctis experimentis chemicis abunde confirmatur.

I. Quando ſali alkalico ſicciſſimo ac tepefacto oleum terebinthinæ tanta quantitate additur, ut trituræ beneficio ad pultis conſiſtentiam redigi poſſit, et maſſa hæc, præmiſſa per unam alteramve hebdomadem digeſtione in cucurbitula, deſtillationi ſubjicitur, primo aliquot moleculæ oleoſæ, et

„oleo privatum, haberi poteſt, id accipi debet, „quod poſtea pro lubitu cum oleo quodam em„pyrevmatico imbui, et ſublimatione eſſentifi„cari poteſt. Nam quandocunque ſal volatile „cornu cervi genuinum affuſione ſpiritus vini re„ctificatiſſimi tractatur, et repetita affuſione oleo„ſa ejus pars extrahitur, et poſtea illud, quod „relinquitur, cum cornu cervi uſto, vel ſale tar„tari, miſcetur, et denuo ſublimatur, ut omnis „oleoſa portio ſeparetur, tunc videmus, ſal ad„ſcendere, nullius fere odoris, vel ſaporis, et „quod cum ſale volatili ſalis ammoniaci per omnia „convenit. &c.

et deinde notabilis ſalis urinoſi portio alembicum tranſcendunt. *(a)*

II. Carbones per ſe, obſervante GODOFREDO *(b)*, e retorta in furno reverberii deſtillati, nil, niſi phlegma empyrevmaticum, reddunt, quod neque acidi, neque alkalici ſalis indicia præbet: Sin pulvis autem eorundem cum anatica quantitate nitri in retorta tubulata accenditur, per apertum foramen ſuperius fortis ſub detonatione odor urinoſus adſurgit, in receptaculum vero, mediante tubo laterali adplicatum, liquor tranſit ſalinus, penetrantis odoris urinoſi, qui, præter odorem, ſingulas reliquas ſalis alkalici volatilis proprietates poſſidet, dum nonſolum cum acidis vivide efferveſcit, ſed candidam etiam calcem e ſolutione mercurii ſublimati præcipitat, et ſyrupo violarum viridem, ſolutioni cupri cœruleum, colorem inducit. Similis liquor prodit, quando, loco carbonum, tartarus vini pulveriſatus nitro miſcetur, et detonatio in retorta tubulata deſcripto modo inſtituitur.

III.

(*a*) Conf. Stahl. Fund. Chymiæ dogm. et experim. p. 81.

(*b*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Scienc. ann. 1717. p. 317. Conf. B. Neumannus in Lect. de nitro p. 71.

III. Mixtura ex partibus duabus ſalis tartari, et parte una aluminis e retorta, adaptato receptaculo capaciori, et igne per gradus aucto, deſtillata, primo ſpiritum urinoſum, et deinde penetrans ſal volatile ſiccum transmittit. Notari tamen debet, operationem cum magna quantitate, v. g. 2. 3. 4. 5. libris ſuſcipiendam eſſe, ut paullo major liquoris quantitas colligi queat. (*a*) Si partibus duabus ſalis tartari, loco aluminis, una pars florum ſulphuris additur, et mixtura in crucibulo funditur, odorem emittit nonnihil urinoſum, ac ſimul reſinoſum, æque ac mixtura e ſpiritu ſalis ammoniaci, et oleo ſuccini, aut petroleo. Inſtituta ipſa deſtillatione in retorta vitrea, liquor in receptaculum tranſcendit, fortis, ingratus, fætore ova putrida æmulans, ac multo ſale volatili urinoſo prægnans. Quando partes ſulphuris, et ſalis tartari anaticæ recipiuntur, major liquoris quantitas, quæ ordinario valde exigua eſt, colligitur: Immo, ſi mixtura, in crucibulo colliquefacta, aqua ſolvitur, et liquor, in loco temperate calido aliquamdiu repoſitus, tandem deſtillatur, portio adhuc notabilior ſpiritus urinoſi prodit.

IV. Quando ſolutioni martis, cum aqua forti factæ, et adeo concentratæ, ut ſyrupi qua-

(*a*) Conf. Memoir. A. R. P. l. c.

ſi conſiſtentiam adquirat, oleum tartari per deliquium inſtillatur, aut ſal tartari ſiccum injicitur, coagulum virideſcens, obſervante LE MERY (a) confeſtim reſultat, et fortis odor urinoſus adſurgit. Quoties memorata liquoris alcalici inſtillatio in cucurbita ſuſcipitur, odor erumpens urinoſus nares fortiter ferit; immo, mixtura hæc, alembico impoſito, et igne leniori ſubſtrato, deſtillata, liquorem transmittit valde urinoſum, penetrantis ſaporis, inſtar ſpiritus ſalis ammoniaci, a quo parum differt. Portio aliqua liquoris, quæ, igne valde aucto, ſubtiliori ſpirituoſo ſuccedit, urinoſo quidem odore pollet, aſt longe debiliori, linguæ tamen ac naribus fortem ſubtilis acredinis ſenſum imprimit, et æque, ac prior, copioſam calcem albicantem e ſolutione mercurii ſublimati aquoſa præcipitem dat. Portio tertia et quarta, igne ſucceſſive magis magisque aucto, tranſtillans, odore et ſapore penitus ferme deſtituta eſt, et nihiloſecius, ſolutioni mercurii ſublimati infuſa, lacteum producit colorem, et aliquam adhuc calcis albicantis præcipitationem præſtat.

§. IV.

Nativa ſalia urinoſa ſive alkalia volatilia in ſolo regno animali reperiuntur, ibidemque

(a) V. Memoir. A. R. P. l. c.

que ſanguinis ac gelatinæ mixtionem ingrediuntur, ita tamen, ut partibus pinguibus et oleoſis intime involuta hæreant, et cum acido quodam ſubtili tenerrimum ſal ammoniacale, violento demum igne ſub deſtillatione ſicca diſſolvendum ac deſtruendum, forment. Nam ex omnibus animantium, tam ſolidis, quam liquidis, partibus, ſub deſtillatione ſicca ex retorta, *phlegma fœtidum*, *ſal urinoſum*, et *oleum empyrevmaticum*, *urinoſo* pariter *ſale impregnatum*, elicitur, ac nihil remanet, niſi *mera terra*, partibus fuliginoſis, quæ illam nigram reddunt, paululum adhuc obducta. Credendum nihilominus eſt, hoc ſal urinoſum non ſolum ex laudato ſale ammoniacali violentæ diacriſeos ope reſuſcitatum, ſed quoad aliquam quoque partem ſub ipſa deſtillatione ex acido, ab urinoſo principio violenter avulſo, et ex terra tenerrima, ac copioſa ſubſtantia pingui oleoſa, intimius iterum mixtis et arctiſſime combinatis, de novo genitum eſſe.

§. V.

Facilius adhuc ſalis urinoſi ſeparatio ex animantium partibus ſuccedit, quando *putrefactio* præmittitur; quippe quæ præcipua alcalium volatilium genetrix eſt, ac medium communiſſimum, quo natura in ſalium hujusmodi generatione utitur. Leni enim et inteſtino motu putredinoſo corpora quævis,

quorum textura firmior, ſiccitas, aut peculiaris mixtio non reſiſtit, intime atque centraliter reſolvuntur, ac tota, ſi paucam terram fixam, quae relinquitur, exceperis, in foetidum ac pingue ſal volatile, paullatim cum phlegmate in auras evolans, mutantur. Hinc etiam obſervamus, plantas omnes, praeſertim illas, quae acido ſcatent, atque principio oleoſo-reſinoſo, et combuſtae multum ſalis alkalici fixi largiuntur, poſt praemiſſam putrefactionem, nihil amplius ſalis fixi, ſed ejus loco pingue ac foetidum urinoſum reddere.

§. VI.

Multi medicorum ac chymicorum etiam in naturali ac prorſus integra vegetabilium quorundam mixtione ſal volatile urinoſum quaerunt, et halitum inprimis acrem atque pungentem, quem plantae nonnullae, praeſertim ſic dictae *antiſcorbuticae*, emittunt, nec minus alcalicos illos liquores, quos ex variis ſubjectis deſtillatione ſicca et valde violenta eduxerunt, immo ſuccos, absque igne ex herbis nonnullis adhuc recentibus, v. g. ex ſedo vulgari, expreſſos, probandi fine allegant: Verum enim vero, in gravi omnino errore verſantur, et falſa analogia, atque chemicis examinibus, perverſe adornatis, vel minus recte tamen adplicatis, et explanatis, ſeducti fuerunt. Memoratus enim halitus acrium quarundam plantarum neutiquam cum halitu

halitu ſpiritus cujusdam urinoſi convenit, ſed aptius, atque certius, quod ſuo loco (*a*) uberrime demonſtrabo, cum acido ac paululum balſamico halitu, quem recens ſachari ſpiritus eructat, comparari poteſt, et circa liquores, et ſales ſiccos, qui ſubinde e plantis quibusdam educti fuerunt, contrariæ hypotheſeos tutores producta ignis violenti cum principiis naturaliter inhærentibus, et nullam adhuc aduſtionem, aut aliam mutationem expertis, male confundunt. Quid facilius enim in plantis, earundemque partibus, terra tenera, acido ſubtili, et ſubſtantia gummeo-reſinoſa, vel craſſo etiam ac copioſo oleo inſtructis, adhibito igne ſicco ac violento, adeoque nova interveniente ſyncriſi, et majori vel minori particularum metamorphoſi, naſci poteſt, quam ſal quoddam alkalicum fixum, aut volatile? Suffragia profecto non denegabunt rerum chemicarum gnari; ratio enim in promtu eſt: Particulæ nimirum acidæ, ac plus minusve volatiles, altius ſubſtantiæ gummeo-reſinoſæ fixiori, aut craſſiori oleoſæ, immerſæ et implicitæ, tanta, qua par eſt, velocitate ſeſe evolvere, ſecedere, atque tranſcendere nequeunt, ſed, una cum oleoſis ac reſinoſis, diuturniorem Vulcani torturam ſuſtinere coguntur; hinc neutiquam mirandum, quod oleoſæ, et inflammabiles empyrevma contrahant, et earum multæ cum aci-

 dis,

(*a*) In Sect. de Acribus.

dis, et terreis tenerioribus ea proportione, eoque modo combinentur, ut inde novum ſal, et quidem alcalicum, pro differenti tamen elementorum ſubtilitate nativa, nunc fixum, nunc vero, quod plerumque apud laudata acria fieri conſuevit, volatile ſive urinoſum reſultet.

§. VII.

Nullum denique patrocinium diſſentientium hypotheſi argumenta largiuntur, a ſuccis plantarum expreſſis deſumta, quoniam fallaciis cauſarum, et theoreticis erroribus nituntur. Exempli loco ſolum hac vice experimentum, quod *Doctiſſ.* D. D. BVRGHART (a) communicavit, fuſius adducam, et, praemiſſa deſcriptione Auctoris, quid ipſe expertus fuerim, recenſebo: "Ne generali, *inquit*, coagulationis hiſtoria Lectorem detineamus, ad experimentum noſtrum propius accedamus: Recipe bonam *Sedi communis*, quae in aedium tectis creſcit, portionem, hanc in lapideo mortario contunde, ut prelo, aut alia ratione ſuccus exprimi poſſit. Succum expreſſum per chartam filtra, ut clarus evadat. Coloris eum eſſe dilute flaveſcentis, et ſaporis ingrate herbacei, poſtea aliquid acredinis linguae imprimentis, deprehendes. Admiſce deinde „ſpi-

(a) In Satyris Medicor. Sileſiacor. Specim. IV. Obſ. 2. p. 12. ſequ.

„ſpiritus vini per ſe rectificati æqualem quan-
„titatem, et e veſtigio omnem ſedi ſuccum
„coagulatum, candidiſſimamque in pultem
„converſum, adipem ſuillam probe lotam
„(Schneeweiße Pomade) exacte referentem,
„obſervabis. Phlegma, poſtea a coagulo ſe-
„cedens, filtro ſepara. Notatu maxime di-
„gna phænomena hujus albæ pultis, aut, ſi
„mavis, unguenti, hæc ſunt: a) Color, ut
„dictum, albisſimus eſt; b) Odor ingrate
„herbaceus ſpiritum vini admixtum quodam-
„modo prodit; c) Sapor antea paullulum
„acris, nunc, ſi ſpiritus vini veſtigia excipias,
„fere nullus, d) Conſiſtentia quidem pul-
„tacea, ſed admodum tenera, non ſpiſſa.
„e) Volatilitas ſumma, ita ut exigua coagu-
„li vel unguenti moles, aperto liberoque
„aeri credita, paucis horis in auras abeat,
„nullo poſt ſe relicto veſtigio. Phlegma,
„filtro ſecretum, paullulum adhuc flaveſcens,
„inſipidum fere, non omnibus tamen pere-
„grinis partibus orbatum eſt. Uſus hujus
„coaguli, *in ſequentibus pergit*, partim phy-
„ſicus eſt - - - - Phyſicus latior ſeſe diffun-
„dit uſus. Namque detegit nobis plantam,
„ſale quodam acri volatili præditam, quæ
„herbarum ſpecies olim plane in dubium vo-
„cata eſt, donec B. WEDELIVS peculiari
„ſcripto gemino, ſalem volatilem plantarum,
„in *Glaſto* vel *Iſatide ſativa (a)* deprehen-
R 3 „ſum,

(a) Obſervatio B. WEDELII nihil prorſus in hoc paſſu

„ſum, extra controverſiam poſuerit. No-
„ſtrum tamen cum venia Beati præſtantius
„judicamus experimentum, præ inſtituto
„cum iſatide, ad demonſtrandam ſalis vola-
„tilis plantarum exiſtentiam. Iſatidis enim
„folia fermentationem, vel potius putrefa-
„ctionem quandam prius pati debent, ante-
„quam ſal volatile ex iis elici poſſit, ſedum
„vero e veſtigio id exhibet. Ne autem
„quis objiciat, præſentem coagulationem
„ſalis plantarum volatilitati demonſtrandæ
„non ſufficere, ſequentia, ſcrupulis ſolven-
„dis non inepta, probe conſideret, precor:
„a) Spiritum vini liquorem eſſe ſalinum me-
„dium, magis tamen ad acidorum naturam,
„quam reliquorum, accedentem, et in ſe
„certam olei maxime rarefacti partem conti-
„nentem. b) Eundem vini ſpiritum, quan-
„tum huc usque innotuit, cum nullo alio
„liquore ſalino, ſive acidus ſit, ſive alcali-
„cus, isque vel fixus, vel volatilis, ſive me-
„dius, coagulari, niſi cum ſpiritu urinæ, ut
„*offæ* HELMONTII præparatio docet. His
„igitur præmiſſis ſequitur, ut ſuccus ſedi an-
„tacidæ, aut, ſi mavis, alcalicæ, non fixæ,
„ſed volatilis naturæ ſit; c) Oleum deinde
„in

paſſu probat. Nam ſal urinoſum, quod in Glaſto deprehendit, lenioris duntaxat putredinis, cui folia ſubjiciuntur, ſoboles eſt, nec ullum igitur inter nativa et illibata iſatidis principia locum obtinet.

„in vini ſpiritu communi contentum, bene-
„ficio potentiarum ſalinarum acidiuſcularum
„phlegmati inviſibili modo per omnia jun-
„ctum, ramentis ſalinis tam ſpiritus, quam
„ſucci, in ſal medium coaleſcentibus, præ-
„cipitetur, et cum ſale noviter facto medio in
„coagulum ſaponaceum redactum ſub un-
„guenti forma adpareat. - - - Accedit ipſa
„coaguli volatilitas, camphoræ non adeo
„diſſimilis, niſi quod multo fugacior adhuc
„exiſtat, majus ſententiæ pondus addens:
„*Quod ſedum ſcilicet in ſe contineat ſalem ma-*
„*xime volatilem, urinoſo præ ceteris ſimilem.*

§. VIII.

Nolo iis ponderandis ac refutandis hac vice immorari, quæ Auctor clariſſimus de ſpiritus vini natura et principiis conſtitutivis attulit, ſed ad ipſius experimenti contemplationem me convertam, quod verum omnino, et adeo ſpecioſum eſt, ut nullum prorſus dubium ſuperſit, quin alii eodem in priſtina ſententia ſua confirmari, alii, negantium ſententiæ hactenus addicti, primum ſeduci queant, præſertim, ſi concluſionem inde deductam, ſimpliciter, et absque ulteriori ſcrutinio admittant, et plura cum hoc ſucco inſtituere negligant examina, quæ concluſioni, uti experientia iterata confirmatus teſtari poſſum, penitus contraria reperiuntur, et ſubtile potius ac plus minusve volatile ſal

acidulum, ſubſtantiæ mucido-gummoſæ teneriori nonnihil involutum, in hoc ſucco hoſpitari, ſufficienter probant. Enarrabo ea, quæ ipſe ſuſcepi, ut adſerti veritas clarius pateat, et diſſentientibus omnis dubitandi ac contradicendi occaſio eripiatur. Fuerunt autem ſequentia:

I. Succus Sedi vulgaris, e contuſis foliis recentibus expreſſus et filtratus, ſpiritum vini per ſe rectificatum illico, ſi æquali quantitate miſcetur, coagulat, ita ut mixtura lac coagulatum referat, præterquam, quod moleculæ, liquori reliquo innatantes, longe teneriores, quam in lacte coagulato, deprehendantur. Liquore limpido filtrationis ope ſeparato, moleculæ coagulatæ in charta bibula remanent, et in unam colliguntur maſſam, quæ *cremorem lactis*, vel *unguentum pomatum albiſſimum* forma externa, et conſiſtentia æmulatur, et ſubtilem ſaporem acrem, herbaceo mixtum, linguæ imprimit. Maſſa hæc, aeri expoſita liberiori, paullatina exhalatione conſumitur, et nil, niſi exigua materiæ ſiccæ portio, quæ ſubtilis arenæ inſtar dentibus moleſta, ac ſolo ſapore herbaceo prædita eſt, relinquitur. Singula hæc cum iis, quæ Auctor prælaudatus retulit, exacte conveniunt; aſt ſequentia mox alia monſtra-

ſtrabunt, et veram hujus ſucci indolem ad majorem evidentiam deducent.

II. Idem ſuccus, cum liquore alcalico fixo mixtus, æque ac cum ſpiritu vini, coagulum ſubibat, et poſt filtrationem maſſam teneram, albiſſimam, præcedenti, quoad proprietates externas, valde ſimilem, relinquebat, niſi, quod paullo pinguior eſſe videretur. Sub filtratione quoque in mixturæ coagulatæ, ut et poſt filtrationem in liquoris ſeparati ſuperficie, pinguis, ſplendens, maculis viridiuſculis atque rubentibus hinc inde tincta, cuticula in conſpectum veniebat, quæ planum de notabiliori ſubſtantiæ pinguis ſeu unguinoſæ, acidum antea contemperantis, ſeparatione teſtimonium adfert. Notatu pariter dignum eſt, liquorem, filtratione ſeparatum, licet aliquoties per chartam bibulam trajiceretur, ſemper poſt aliquam moram rurſus evaſiſſe albicantem, ac turbidum, tandemque vitri latera ac fundum tenerrima cruſta albicante obduxiſſe, quæ, paſſim miculis ſplendentibus cryſtallinis ornata, ſapore ſalino gaudebat. Coagulum, in filtro collectum, tanta, qua præcedens, volatilitate neutiquam pollebat, ſed paullatim exſiccabatur, et, poſt exſiccationem deguſtatum, ſaporem terreſtrem, inſtar pulveris lapidum cancrorum, recens vero, et adhuc madidum,

valde debilem ſaporem ſalſum linguæ imprimebat.

III. Eadem fere obſervare contigit, cum ſpiritus ſalis ammoniaci aquoſus huic ſucco infunderetur, præterquam, quod liquor filtratus pelluciditatem retineret, et coagulum, in charta bibula relictum, præcedentia coagula teneritudine nonnihil ſuperaret, pinguedinemque liquefactam, ac denuo coagulatam, forma externa æmularetur. Aeri quoque expoſitum, aliqua ex parte in filtro remanebat, et recens ac madidum debiliſſima acredine, exſiccatum vero terreſtri ſapore gaudebat.

IV. Liquoribus acidis, nimirum ſpiritu nitri, ſalis, et aceto vini huic ſucco ſeorſim inſtillatis, nullus motus manifeſtus, nulla præcipitatio, nec ulla alia mutatio ſingularis ſequebatur, ſed mixtura perfectam retinebat pelluciditatem.

V. Succus laudatus, filtratione optime depuratus, et inſtar aquæ fontanæ limpidus, more aliorum acidorum, colorem rubrum tincturæ aquoſæ ligni acanthini illico in dilute aureum mutavit, ita ut ea vinum Gallicum referret.

VI. Succus recens filtratus, et blanda evaporatione ad juſtam extracti conſiſtentiam re-

redactus, maſſam mucilagineam, ſive gummoſam; melli deſpumato, et inſpiſſato forma ac conſiſtentia ſimillimam, largiebatur, quæ colore ſaturate aureo, odore leniter balſamico, ad ſeminis fœni Græci odorem accedente, et ſapore manifeſte acidulo donata erat.

CAPVT IV.

DE MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS MEDICIS ALCALIVM VOLATILIVM.

§. I.

Quadruplici modo ſalia volatilia urinoſa operationem ſuam in vivis animantium corporibus abſolvunt, nimium 1.) *acidum coagulans*, ſive in prima culina hæreat, ſive in receſſibus corporis remotiſſimis, *extinguendo*, 2) *ſolida nervoſo - membranacea valide irritando*, 3) *principia ſanguinis oleoſo-inflammabilia expandendo*, et 4) *ſanguinem, ceteroſque humores commovendo*, et vividæ hujus atque ſubinde ſatis vehementis commotionis ope *fluida ſpiſſa, ac mucida diſſolvendo*. Quum ex moleculis enim conſtent ſubtiliſſimis, mobiliſſimis, volatilibus, adeoque celeriori gau-

gaudeant motu inteſtino, magis magisque in calore creſcente, aliter omnino fieri nequit, quin, intra corpus recepta, ſubito expandantur, et, in tenerrima effluvia reſoluta, vaſa quæcunque, etiam minutiſſima, penetrent, ac corpora obvia ſecum in motum velociorem rapiant, vel rapere tamen nitantur.

§. II.

Militant igitur urinoſa non tantum inter fortiſſima *diſcutientia* et *ſudorifera*, ſed eminentem pariter locum inter *calefacientia*, *carminativa* atque *ſtimulantia* obtinent, adeoque cum maxima ſubinde efficacia propinari poſſunt in ſic dictis morbis frigidis, qui ex ſolidorum nimia humiditate, laxitate et torpida vi contractili, vel viſcida etiam, mucida, acido-tartarea, humorum indole, et partis ſeroſæ abundantia, partiumque ſalino- inflammabilium depreſſione originem ducunt; cujus cenſus ſunt coryza chronica, cephalalgia rheumatico-catarrhalis, adfectus ſoporoſi, apoplexia pituitoſa, febris catarrhalis benigna, ſuſurrus et tinnitus aurium, mucidi ceruminis effluxu ſtipatus, lypothymia, ſyncope, morbi faucium atque pulmonum pituitoſi, v. g. raucedo, tuſſis, aſthma, ut et colica et cardialgia vere flatulenta, adfectus ſcabioſi humidi, cachexia, anaſarca, œdema pedum, et hujus commatis alii, qui ob cauſſarum ſimilitudinem ſimilia quoque medicamenta commoventia, et antacida perferunt æque, ac poſtulant.

§. III.

§. III.

Quemadmodum alcalia volatilia, interne propinata, in morbis variis egregium ſubinde uſum præſtant, ſic cum fructu pariter externe, diſcutiendi, excitandi, ac roborandi fine, illinuntur, inſtillantur, aut alio modo adplicantur in inflammationibus ſeroſis, tumoribus frigidis glandularum, debilitate ac relaxatione membranarum, et ligamentorum, lipothymia, ſyncope, apoplexia, adfectibus ſoporoſis, dolore capitis, adfectibus frigidis rheumaticis, cachexia, anaſarca, œdemate pedum ac manuum, cardialgia ac colica flatulenta, paralyſi, epilepſia, melancholia &c. ſi ſcilicet antea recenſitis cauſſis frigidis natales debent.

§. IV.

Volatilitas urinoſorum, eidemque maximam partem innixa activitas, notabilia incrementa capit, quando moleculæ eorum ſalinæ cum largiori adhuc, eaque tenerrima, ſubſtantia oleoſo-inflammabili arctius connubium ſubeunt. Una enim guttula ſalis volatilis oleoſi, teſte experientia, majorem calefaciendi vim edere conſuevit, quam quatuor vel quinque guttulæ ſpiritus, mere urinoſi. Hinc quoque factum eſt, ut chemici varia ſalia oleoſa volatilia, tam ſicca, quam liquida, parare docuerint, eademque, quoties medica-

caminum hujusmodi uſus proficuus cenſetur, pure urinoſis præferant.

§. V.

Quum alcalia volatilia ſummam in operando activitatem monſtrent, interne admodum circumſpecte, doſi exigua, et in vehiculo aqueo largiori, exhibenda ſunt. Nam ſal volatile ſiccum urinæ aut ſalis ammoniaci, cuti calidæ hominis ſani adplicatum, et illico emplaſtro piceo tectum, ne exhalando auffugere queat, intra breve tempus, eſcharam excitat, cum ingenti inflammatione, et doloribus atrociſſimis *(a)*. Quæ cum ita ſint, quid igitur ab effectu ejus exſpectandum eſt, quando intempeſtive, et juſto majori doſi, exhibitum, in receſſus corporis interiores penetrat, et, calore fortius commotum, in ſolida elaſtica, ſenſibilia, tenerrima, nervoſo-membranacea, ſpicula ſua vibrare incipit?

§. VI.

Ab uſu interno alcalium volatilium maxime proinde abſtinendum erit apud ſubjecta ſicca, bilioſa, cholerica, atque plethorica, nec minus in regionibus valde calidis, tempore anni æſtuoſo, et in ſingulis morbis, qui ſanguinis abundantiam et orgasmum, itemque fervorem et ebullitionem bilis, aut ſolidorum ſiccitatem, ſtricturam ſpasmodicam, atque

(a) Conf. Boerhaave in Chym. T. II. Proceſſ. 106.

que motum oſcillatorium exorbitantem, cauſas præcipuas agnoſcunt; uti ſunt febres continuæ, ſola catarrhali benigna excepta, nec non inflammationes ſiccæ, hæmorrhagiæ, apoplexia ſanguinea, aſthma ſanguineo-ſpasmodicum, et convulſivum, dyſenteria, cholera, cardialgia, et colica bilioſa, hæmorrhoidalis etc., mania, et plures adfectus alii, in quibus ſanguis plus juſto abundat, vel fortius commovetur, aut partibus bilioſis rarefactis, et oleoſo-urinoſis, putredinem ingenerantibus, aut promoventibus, refertus eſt.

SECTIO

SECTIO V.

DE SALINIS EXPLICITIS MEDIÆ NATVRÆ.

CAPVT I.

DE ELEMENTIS, NATVRA ET DIFFERENTIA SALSORVM.

§. I.

SAL MEDIVM quodcunque, ſive ſit nativum, ſive arte chemica paratum, ex *acido* quidem et *alkali* compoſitum eſt; non ſpernenda nihilominus diſcrepantia circa memorata principia in diverſis ſalibus neutris occurrit. Alia nimirum ex *acido* et *alcali fixo*, alia contra ex *acido* et *alcali volatili* ſive *urinoſo* conſtant, et *acidum* rurſus in aliis *ſulphureum* ſive *vitriolicum*, in aliis *nitroſum*, vel *culinare*, vel *acetoſum vegetabile* eſt. Et inde etiam generica non minus, quam ſpecifica differentia, quam circa teneritudinem, ſolubilitatem, fuſibilitatem, fixitatem, aliasque proprietates deprehendimus, præcipue dependet.

§. II.

§. II.

Quanquam ſalia neutra, ob hermaphroditicam ſuam indolem, neque cum acidis, neque alcalicis efferveſcentiæ motum ſubeant, nec acidum quoque, aut alcalicum ſuum elementum, propter unionem arctiſſimam, (ſi terram foliatam tartari, et alia hujus commatis ſalia media tenerrima exceperis), ſolo igne ſicco, ut ut violentiſſimo, ſibi extorqueri patiantur, ſat fortis nihilominus ebullitio, efferveſcentiæ æmula, apud nonnulla oritur, et protinus vapor albicans, aut rubeſcens expellitur, quando ipſis acidum liquidum, eo, quod in mixtione hæret, ſpecifice gravius, inſtillatur: In ammoniacalibus quoque ſalis urinoſi ſeparatio contingit, quamprimum iisdem alcali quoddam fixum miſcetur; immo, ſilentio non prætermittendum eſt, ſalia media, comparative fixiora, ſi aliquamdiu cum aqua in vaſe aperto coquantur, aut libero ſaltem aeri ſub diuturniori ipſorum fuſione acceſſus pateat, pauxillum acidi dimittere. Nitrum v. g., diu in crucibulo fuſum, poſteaque aeri humidiuſculo expoſitum, quoad aliquam partem, tametſi exiguam, in deliquium abit, et pauxillum liquoris alcalici ſuppeditat: Nec curioſos pariter naturæ ſcrutatores latere poterit, aquam ſalſam fontanam, in ahenis, ſubſtrato igne vehementiori, coctam, et evaporatam, non meras cryſtallos ſalinas ſalſæ indolis formare, ſed co-

pioſum quoque liquorem terreo-ſalſo-alcalicum, qui cryſtalliſationem plane reſpuit, in fundo relinquere, (α) etiamſi ante hanc evaporationem in pura aqua ſalſa ne minima ſalis alcalici veſtigia deprehendantur.

§. III.

In aqueis liquoribus ſalia media facile, atque perfecte in moleculas ſimilares diſſolvuntur, alterum tamen altero longe citius, atque promtius, et aqua plus quoque de hoc, quam illo, in poros ſuos recipit; quæ diſcrepantia partim a diſtincto et ſingulari acido, quod in mixtione hæret, partim a differenti molecularum ſubtilitate, et fortaſſis etiam figura, dependere videtut. Nam diverſa ſalia neutra, ſeorſim, immo conjunctim, in aqua, ſoluta, et, præmiſſa decenti evaporatione, ad

(α) „Hoc vero, B. HOFFMANNVS *in Obſervationibus* „*phyſico-chymicis p. 167. ſcribit*, naturæ ſcrutatoribus non æque obvium eſt, quod nempe hic loci circa coctionem ſalis accidit: nimirum ſi aquæ, „quæ ſalis elementa et ſemina vehit, fortiori „ebullitione facta, non lenior ignis, ſubinde per „quosdam veluti gradus decreſcens, ſed flagrantior flamma ſuggeritur, quarta pars ſalis perit, „adeo, ut hac ratione ingens ſalis quantitas in „auras diſſipetur; neque dubium eſt, quin ſalia „reliqua enixa, v. g. tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſi forti igne coquantur, parem „effectum ſint præſtitura &c.

ad cryſtalliſandum repoſita, in cryſtallos diſtinctæ figuræ concreſcunt, quam quælibet ſpecies, in minimis etiam cryſtallis, armato proinde oculo luſtrandis, conſtanter retinet. Sal gemmæ v. g., ſal culinare et digeſtivum Sylvii *cubicas*, nitrum *prismaticas ſexangulares*, et *pyramidales utrinque acuminatas*, ſal ammoniacum *ramoſas inſtar frondium*, et ſic alia alias cryſtallos formant (*a*). Monendum tamen, blandam lentamque poſtulari evaporationem, et lixivia quoque in loco frigidiuſculo aliquamdiu in quiete relinquenda eſſe; alias, neglectis hiſce cautelis, non adeo elegantes cryſtalli exſpectandæ erunt.

§. IV.

Ob laudatam ſingularem molecularum figuram ſalia neutra alcalibus acriora, acidis obtuſiora, reperiuntur, et lacti ideo, chylo, ſanguini atque humoribus reliquis, neque coagulum, ut acida concentrata, neque diſſolutionem nimiam, ut alcalia, inferunt, ſed fluiditatem conſervant, et blanda, quam præſtant, inciſione, notabiliter augent; quemadmodum effectus poſterior egregie pateſcit, quando nitrum, in aqua ſolutum, cum ſanguine, e vena extracto, et nonnihil pridem coagulato, miſcetur.

(*a*) Conf. Maurit. Hoffmanni Acta Laborat. chem. Altorff. p. 46. ſequ.

§. V.

Non tantum *ſolubilitate*, ac *forma cryſtallorum*, ſed *fuſibilitate* quoque, et *fixitate* ſalia enixa differunt: Quædam enim, v. g. terra foliata tartari &c., leni funduntur igne, quædam, ut nitrum, borax, ſal ammoniacum &c. paullo majorem ignis gradum expoſcunt, et quædam denique, v. g. tartarus vitriolatus &c., violentiori demum Vulcani actione ad fluorem rediguntur. Intuitu fixitatis vero ac volatilitatis, alia, v. g. ſalia ammoniacalia, ſublimari poſſunt, citra ſalſæ indolis jacturam, alia, ut terra foliata tartari, ſal ſecretum Glauberi &c. non ſublimantur quidem, ad notabilem tamen altitudinem, admoto igne moderato, in cucurbitæ lateribus adſcendunt, appoſita cruſta ſalina, quæ ſenſim a fundo verſus ſummitatem vaſis increſcit, alia denique, et quidem pleraque, tam fixa ſunt, ut, integra permanente priſtina mixtione, in particulas volatiles, ſubſtrato etiam igne fortiſſimo, reſolvi nequeant.

§. VI.

Differentiam denique non contemnendam circa *ſaporem*, *indolem ſpecificam*, et *proprios quosdam effectus* animadvertimus, et ea proinde, quæ hactenus in medicina uſum invenerunt, commode ſub quinque claſſibus collocari poſſunt; quarum prima *ſalia nitroſa*,

ſa, altera *pure ſalſa*, v. g. ſal gemmæ, ſal culinare fontanum, digeſtivum Sylvii, terram foliatam tartari, tartarum tartariſatum et ſolubilem &c., tertia *ſalſo-amaricantia*, v. g. ſal Ebshamenſe, Sedlizenſe, &c., quarta *terreo-ſalſa*, v. g. boracem Venetam, ſal ammoniacum fixum, &c. & quinta denique *ammoniacalia*, v. g. ſal ammoniacum vulgare, flores ſalis ammoniaci ſimplices, ſal ſecretum Glauberi &c. complectitur.

* *

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ATQVE VIRTVTIBVS MEDICIS SALIVM MEDIORVM.

§. I.

Salia neutra facile quidem a ſuccis corporum animantium, quoad maximam partem aquoſis, ſolvuntur, et humorum maſſæ, poſt diviſionem in moleculas ſimilares tenerrimas, mixta, vaſcula penetrant; aſt nullam, vel non adeo tamen notabilem metamorphoſin patiuntur, nec facile in elementa ſua diſſolvuntur, ſed integra plerumque, h. e., retenta priſtina ſua mixtione, per varia corporis cribra, maxime autem renes,

 denuo

denuo excernuntur: Plerumque, inquam, et quoad maximam partem. Probari enim poterit, diſſolutionem molecularum quarundam radicalem ſub certis circumſtantiis non plane impoſſibilem eſſe. Dudum quippe in antecedentibus commemoratum fuit, ſal culinare, diu cum aqua, ſubſtrato igne vehementiori, coctum, ſub evaporatione multas cum phlegmate particulas acidas ſenſim amittere, et aliquam ideo muriæ ſemi-alcalicæ portionem in fundo aheni relinqui. Hæc obſervatio, pro meo judicio, lucis quidquam hoc loco fœnerari poterit: Nam, licet nulla coctio locum in animantium corpore inveniat, calor tamen blandus ac humidus adeſt, adeſt pariter multiplex, et creberrime repetitus partium motarum attritus, qui, niſi totalem, partialem tamen, ſalium mediorum diſſolutionem radicalem efficere valent; præſertim, ſi ob languidas aut ſuppreſſas ſe-et excretiones, moras diuturniores in corpore nectere cogantur, vel humoribus, putredinis labe nonnihil infectis, altius immerſa hæreant. Notum enim eſt, urinam hominum ſemper notabilem ſalis medii, tum ammoniacalis, tum culinaris, quantitatem continere, et nihiloſecius, poſt præmiſſam putrefactionem, eamque diuturniorem, deſtillatam, præter phlegma, oleum fœtidum et ſal urinoſum, nihil amplius, vel valde parum ſalis culinaris, quod in cucurbita relinquitur, largiri;

giri; Immo notum eſt, ſal culinare, terris putridis nitroſis mixtum, paullatim diſpareре, et ſalis urinoſi pinguis proventum augere; unde etiam terræ ita præparatæ acidum aeris vagabundum largius attrahunt, et copioſius nitrum embryonatum in iis generatur. Silentio denique non prætermittendum eſt, aquam marinam ſtagnantem ac putreſcentem, nec minus muriam carnis ſalitæ deliqueſcentem, ſal urinoſum, quod reſoluto ac transformato ſali medio ex parte originem debet, reddere, et ſal commune, in aqua putrida lacuſtri, aut urina, putrefactioni poſtea committenda, juſta quantitate ſolutum, eandem mutationem experiri (a), ita, ut deſtillando longe major, quam alias, ſalis urinoſi quantitas inde ſeparari queat.

§. II.

Quanquam ſalia neutra rariſſime in animantium corporibus in elementa ſua diſſolvantur, nec intimiorem quoque humorum mixtionem, ſi tenerrimum ammoniacale exceperis, ingrediantur, egregiam nihilominus ſub tranſitu ſuo utilitatem præſtant, dum humores ſpiſſos, mucidos, coagulatos, prompte incidunt, reſolvunt, abſtergunt, et ſolida nervoſo-muſculoſo-membranacea blandis ſtimulis ad vegetiorem contractionem incitant,

 adeo-

(a) Conf. Excell. D. D. Pottii Obſ. et Animadverſ. de ſale communi p. 21.

adeoque circulum ſanguinis, ceterorumque liquidorum, nec minus ſe- et excretiones augent ac promovent (a). Unde protinus manifeſtum eſt, ſalia media inter ſelecta et promtiſſimæ actionis remedia militare, multumque inprimis auxilii ab iisdem in iis morbis exſpectandum eſſe, qui natales ſuos viſcidis cruditatibus primæ culinæ, obſtructionibus meatuum ac viſcerum, et mucidæ humorum dyscraſiæ præcipue debent; cujus cenſus ſunt adpetitus imminutus et proſtratus, chymificatio et chylificatio læſa, gravitas ventriculi poſt paſtum, febres intermittentes, et continuæ, diarrhoea mucoſa, obſtructiones, atque tumores hepatis, lienis, et glandularum, cachexia vulgaris, et icteritia, hydrops in-

(a) „Quamvis autem, B. HOFFMANNUS *in Obſ. phy-„ſico-chymicis p. 182. ſcribit,* ſalia (*ſcilicet media vul-„garia*) nunquam humorum vitalium mixtionem „ingrediantur, atque ob hanc rationem in ali-„mentorum numerum recipi nequeant; tamen ob „medicinalem vim, quam exerunt, et præſtant „corpori, maximi ſunt æſtimanda. Eorum ope-„ratio maxime eo abſolvitur, ut fibras motrices, „et ex iis contextos tubulos excretorios blande „ſtimulando, vegetiorem ſanguinis et humorum „circuitum promoveant, cujus beneficio partes „ſanguinis craſſiores per continuam colliſionem „et jugem attritum non modo fluidiores reddun-„tur, ſed et ſalutares admodum rerum alienarum, „imo ipſorum ſalium, quæ utique in ſanguine „non manere, ſed per emunctoria propelli de-„bent, excretiones felicius ſuccedunt &c.

incipiens, nephritis pituitoſa, ſuppreſſio menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, et urinæ, fluor albus, aſthma, catarrhus ſuffocativus, paſſio hypochondriaca, cephalalgia catarrhalis, apoplexia pituitoſa, et morbi complures alii, qui ex prædictis cauſſis generalibus derivantur. Frequentiſſime pariter emeticis et purgantibus præmittuntur, et adduntur, ut ſaburram eliminandam incidendo mobiliorem reddant, et purgantium operationem adjuvent. Externe clyſteribus abſtergentibus, ac ſtimulantibus, nec minus injectionibus, et gargariſmatibus, ſtimulandi, reſolvendi, et abſtergendi fine, in raucedine, angina ſpuria, tumoribus glandularum ſalivalium, et impuris ulceribus venereis &c. adhibendis, modica quantitate adduntur.

§. III.

Præter vires indicatas communes nonnulla ex ſalibus neutris etiam pollent ſpecificis. Nam *ſalia nitroſa* ſingularem prorſus et eminentem poſſident virtutem temperantem ac refrigerantem, et inſigne ideo auxilium præſtant in morbis quamplurimis, maxime autem in febribus continuis et intermittentibus cujuscunque generis, ſi hecticas quodammodo exceperis, nec minus in inflammationibus, ebullitione ſanguinis et bilis, doloribus, ſpasmis, convulſionibus, hæmorrhagiis exorbitantibus, adfectibus calidis rheumaticis et ar-

arthriticis, mania idiopathica, ut et conſenſuali hyſterica, et hypochondriaca, apoplexia ſanguinea, cephalalgia biliosa, vel a ſanguinis etiam orgasmo oriunda, itemque in aſthmate ſanguineo-ſpasmodico, cholera, diarrhœa mucido-bilioſa, initio dyſenteriæ, gonorrhœa benigna ac nimio œſtro venereo, ictero acuto ſpasmodico, a calculo cyſtidis, in ductum choledochum propulſo, vel ab iracundia graviori, aut purgantibus draſticis, aliisque pharmacis acrioribus intempeſtive uſurpatis, producto, ut et in hydrope aſcite, tympanitide, hydrope ſicco ſtricte ſic dicto, malo hypochondriaco, et hyſterico, calculo, ſuppreſſione urinæ, menſium, lochiorum et hæmorrhoidum, et ſic porro: uti plura de hiſce et reliquis in *Capite ſpeciali de Nitro* videnda ſunt.

§. IV.

Quemadmodum ſalia nitroſa reliquis ſalinis mediæ naturæ in morbis quibusvis, qui reſolutione non minus, quam refrigerio indigent, præferenda ſunt; ſic *Amaricantia* alvum efficacius laxant, ſine nauſea, ſine commotione humorum, ſine adpetitus denique ac virium imminutione; *Ammonicalia* potentius craſſa, viſcida, mucida, incidunt, et abſtergunt, adeoque præ ceteris opem ſpondent in abſtergenda glutinoſa amurca primarum viarum, et inde enatis febribus inter-

mit-

mittentibus, atrophia, et dura intumeſcentia abdominis apud infantes, nec non variis aliis adpetitus, digeſtionis atque nutritionis vitiis, immo externe, in aqua ſimplici ſoluta, aut gargarismatibus, aliisque liquoribus addita, egregie nonnunquam proſunt in laxitate uvulæ, raucedine, tumore glandularum ſalivalium, angina ſpuria, aphtis benignis infantum, et impuris ulceribus venereis, præſertim, ſi in caſibus poſterioribus melli roſarum doſi refracta miſcentur. *Borax* denique, quæ hoc loco unicum fere corpus ſelectum terreo-ſalſum eſt, in partu difficili, ſecundinis retentis, et menſium obſtructione ſeſe valdopere commendat.

§. V.

Virtus ſalſorum quorundam exaltatur, eademque promptius in corporis receſſus penetrant, quando, in ſpiritu vini ſoluta, principium ſpirituoſo-inflammabile in conſortium receperunt. Non ſuccedit tamen hæc ſolutio cum ſingulis, ſed tantum cum iis, quæ in humido etiam aere deliqueſcunt, et texturæ tenerioris ſunt, ut terra foliata tartari, tartarus ſolubilis, ſal ſecretum Glauberi, et ſimilia. (*α*). Mo-

(*α*) „At vero, *ſæpe laudatus* HOFFMANNVS *inquit* „*Lib. cit. p. 120.*, non tantum ſunt alcalia fixa, „quæ hac methodo in ſpiritu vini rectificatiſſimo „li-

Monendum tamen, ſolutioni memoratæ non verum alcohol, h. e. ſpiritum vini, phlegmate ſeparabili penitus orbatum, ſed modice rectificatum, et ſufficienti proinde aqua, quæ ſola

„liquida et ſolubilia effici poſſunt, ſed habemus „etiam ex noſtra inventione in promptu alia „experimenta, quibus evidentiſſime demonſtratum ibimus, dari etiam ſalia neutra, et media, „quæ longe adhuc promtius, quam ſal quoddam „fixum alcali, a ſpiritu vini rectificatiſſimo (*vulgo* „*ſcilicet ita dicto*), ſolvuntur, ita ut ſex partes ſpi„ritus unam partem ſalis in pororum ſinus et di„verticula recipere, firmiterque etiam retinere „valeant. Sunt vero hæc ſalia duo artificialia; „alterum ita paratur: Accipimus ſal volatile ſa„lis ammoniaci purum, ſiccum, pro lubitu ratione „quantitatis, cui in vitro conſervali admiſcemus, „leniter inſtillando, aquam fortem, vel ſpiritum „nitri, tamdiu, donec punctum ſaturationis in„ventum fuerit, quo media natura hujus ſalis „exquiſite indagari debet; liquorem hunc, qui „eſt nitroſi et acris ſaporis, ad evaporationem furno „calido imponimus, ita habemus ſal albiſſimum, ſic„cum, ſaporis valde nitroſi et acris, quod etiam car„bonibus adjectum inflammatur, pauciſſimis inter„dum particulis terreſtribus relictis. Alterum ſal „hunc in modum conficitur: Recipimus ſal volatile „ſalis ammoniaci ſiccum, idque ſaturamus loco a„quæ fortis ſpiritu ſalis, ita emergit ſal tertium, „ammoniacali exactiſſime ſimile, quod etiam in „ſpiritus vini rectificatiſſimi unionem et ample„xum promptiſſime ruit. - - - Salia hæc neutra, „*p. 121. pergit*, in alcohol vini ſolubilia, et in me„dicina et in ſecretiori chymia inſignem nobis „promittunt efficaciam. Nam quoad medicinam

„ni-

ſola ſalibus ſolvendis apta exiſtit, adhuc inſtructum, adhibendum eſſe. Facile nihilominus etiam vulgarem ſpiritum vini rectificatiſſimum ſolventis loco admittere poſſum, quoniam ſat magna adhuc phlegmatis quantitate gaudet. (*a*).

„nitrum hac ratione ſolutum in ſpiritu noſtro be-„zoardico, vel etiam liquore anodyno, aut cam-„phorato, medicamentum evadit in inflammatio-„nibus internis arcendis et diſcutiendis, inque „moderanda exanthematum expulſione deſidera-„tiſſimum. Notum quoque eſt, quod nitrum in „inflammationibus, quæ cutim obſident, eryſipe-„laceis diſcutiendis ſit valentiſſimum, ſi cum ſpi-„ritu vini camphorato, qui ſolus ac ſibi relictus „nimis ardens et calidus eſt, combinetur. Quia „vero nitrum vulgare hanc unionem detrectat, „hinc commodiſſime illud cum noſtro nitro vola-„tili artificiali poteſt perfici. Quod vero attinet „alterum ſal ammoniacale, in ſpiritu vini ſolu-„tum, id ipſum evehi, et exaltari poteſt in medi-„cinam ſummæ virtutis ſtomachicam, ſi nempe „adfuſo ſpiritu ſalis acuatur; ita enim ad guttas „20-30. datum in debito vehiculo, emortuæ ci-„borum cupiditati reſuſcitandæ, et cruditatibus, „quæ multorum morborum fomitem ſuppeditant, „reſolvendis valde idoneum eſt, utiliſſime ſuſci-„piendum in locum tincturæ Moebii, cujus virtu-„tes fere ſuperat. &c.

(*a*) Conf. Pharmacol. noſtr. p. 117.

CAPVT

CAPVT III.

DE NITRO.

§. I.

NITRVM OFFICINARVM ſeu *nitrum modernum*, quod alias *ſal petræ* dicitur, eſt ſingulare ſal medium, ex *acido ſui generis* et *ſubſtantia terreo-ſalino-alcalica* compoſitum, candidum, cryſtallinum, fixum, ad mediocrem nihilominus ignem facile liqueſcens, et cum quibusvis corporibus ſulphureis, bituminoſis, reſinoſis, oleoſis, pinguibus, aliisque, principio terreo-phlogiſto, ſicciori, concentrato, ac magis minusve explicito, prægnantibus, ſub prædicto fluore deflagrans.

§. II.

Non confundendum igitur eſt cum *nitro veterum*, ſeu *natro Ægyptiaco*, cum quo nullam prorſus convenientiam habet: Quandoquidem hoc ipſum ſal nativum foſſile erat, naturæ alcalicæ, abſterſivæ, neutiquam inflammabile, adeoque ad pulverem pyrium conficiendum plane ineptum; immo, id, quod noſtra ætate a quibusdam nitrum jactatur nativum, conſentiente B. NEVMANNO (*a*), nun-

(*a*) Vid. Lect. de Nitro p. 6.

nunquam nitri veri atque perfecti characteribus gaudet, ſed, ſecundum viri laudati examina, plerumque ſal commune exiſtit, nunc cineribus clavellatis, nunc ſale ammoniaco, nunc borace, aut terra quadam aluminoſa remixtum, ut ideo adſerere liceat cum fundamento, nitrum foſſile nativum perfectum, h. e., noſtro per omnia ſimile, in nullo unquam terrarum angulo fuiſſe repertum.

§. III.

Luculentius adſerti veritas ex noſtratis conſideratione uberiori, et debito inprimis natalium ſcrutinio patebit. Nitrum nempe verum, perfectum, atque modernum non ſoli naturæ, ſed ſimul etiam arti ſuam debet originem ac geneſin: Natura videlicet in terris, generando huic ſali aptis, primo nitrum quoddam tenerrimum, ac ſemivolatile, quod melioris diſtinctionis cauſſa *embryonatum* vocari meretur, producit, quando acidum ſpirituoſum, ubique in atmoſphæra telluris noſtræ oberrans, et acido vitriolico ſive ſulphureo natura proximum, terras memoratas, partibus oleoſo-urinoſo-alcalicis, putrefactionis ope præcipue genitis, prægnantes, paullatim cum aere intrat, permeat, et cum pingui ſale urinoſo, quod magnetis quaſi munere in hoc paſſu fungitur, in novum ſal neutrum, ſine arctiori tamen copula, coaleſcit. Nondum enim embryonatum hoc nitrum Vulcani ſeverioris torturam ſuſtinere

valet, ſed jam ſub ipſa extracti lixivii coctione rurſus diſſolvitur, atque deſtruitur, ita, ut, peracta coctione et evaporatione, nihil plane nitri ſicci cryſtallini, ſed magma duntaxat ſalino-unguinoſum, cui ſiccitas durabilis conciliari nequit, inde reſultet: Quid? quod, tam laxa principiorum unio deprehenditur, ut fervidioribus ſolis radiis reſiſtere nequeat, ſed ab iis quoque, quanquam tardius paullo, deſtructionem patiatur; id quod unica etiam ac vera cauſſa eſſe videtur, cur terræ nitrariæ in cumulorum latere, plagæ meridionali objecto, longe minorem, quam in latere boreali, nitri quantitatem largiantur.

§. IV.

Ob memoratas igitur cauſſas artifex naturæ ſuccurrere, et quo nitrum embryonatum ac ſemivolatile firmiorem mixtionem, majoremque fixitatem conſequatur, alcali volatile ſive urinoſum exturbare, eidemque alcali fixum ſubſtituere tenetur; quod ſequenti etiam modo fieri conſuevit: Parant nimirum nitri coctores primo lixivium nitroſum, quod Erdlauge vocatur, et aqua e terris, nitro embryonato gravidis, extrahitur. Huic deinde aliud lixivium, e calce viva et cineribus lignorum paratum, adeoque ſale alcalico fixo refertum, certa quantitate infundunt, vel ſub-

ſubinde etiam hoc poſterius terris nitroſis poſtea elixiviandis ſtatim ſuperfundunt, ut uno quaſi actu extractio et miſcela peragatur. Facta hac miſcela, notabilis in lixivio nitroſo metamorphoſis accidit: Partes nimirum ſalino-alcalicæ fixæ agunt in partes ſemivolatiles nitri embryonati, et alcali urinoſum, quod cum acido minorem, quam alcali fixum, affinitatem habet, e mixtione deturbant, et, dum ejectarum locum denuo occupant, ac longe firmiorem cum acido unionem ſubeunt, nitrum ordinarium, comparative fixius, quod poſtea in ſolitis vaſis coquendo et evaporando in maſſam conſpicuam colligi ac condenſari, tandemque, evaporatione ad finem perducta, in loco frigidiuſculo in cryſtallos ſolidas et ſplendentes concreſcere poteſt, producunt.

§. V.

Facile quiſpiam, circumſtantiarum nondum ſatis gnarus, non ſuſpicari ſolum, ſed confidentius etiam adſerere poſſet, ex laudata nova acidi vitriolici et alcali fixi unione non nitrum inflammabile proditurum eſſe, ſed ſalinum potius concretum, tartaro vitriolato analogum: Aſt, probe hoc loco conſiderandum erit, acidum hoc cum ordinario acido vitriolico eandem quidem originem habere, eidemque ante primam quoque unionem fuiſſe ſimillimum, deinde vero, cum

connubium ſubiiſſet cum ſale volatili ac pingvi urinoſo, ſibi *tenerrimam quandam ſubſtantiam inflammabilem* arctiſſime adunaſſe, quæ illud ipſum non tantum levius reddit, ſed eidem quoque ſingularem naturam conciliat, ut acidum vitriolicum amplius æſtimari nequeat, ſed acidum novum omnino atque diſtincti generis exiſtat; quemadmodum hoc inter alia vapor rubicundus, adfuſo oleo vitrioli, e nitro expulſus, ſufficienter probat (α): Quippe qui naribus longe alium, quam acidum vitrioli, odorem imprimit, et, ſub deſtillatione collectus, non limpidum, ſed rubicundum ac valde fumantem ſpiritum cauſticum denſiori particularum aggregatione conſtituit. In acido proinde hoc nitri elemento unice primum genii ejus ſpecifici, et ab aliis ſalibus enixis valde diverſi, fundamentum quærendum erit. Nam ex nova hujus et ſalis cujusdam alcalici fixi ac puri copula ſemper verum atque perfectum nitrum inflammabile denuo regeneratur, quod cum nullo tamen acido alio ſuccedit, etiamſi idem alcali fixum adhibitum fuerit, ſed alia prorſus con-

(α) Notatu quoque hoc loco digna ſunt, et uberiorem omnino conſiderationem merentur, quæ *Exc. Dn.* POTTIUS in *Miſcell. Societat. Regiæ Berolinenſ. Continuat. II. p. 96.* de rubro ſpiritu nitri, ejusdemque vaporibus accenſis retulit, quæque tenaciſſimam non minus, quam copioſam ſubſtantiæ inflammabilis adhæſionem comprobant.

concreta ſalina, a nitro valde quoad proprietates quasdām diſtincta, naſcuntur.

§. VI.

Quanquam elementa prædicta, *acidum* videlicet *ſpecificum*, et *alcali fixum*, nitro perfecto componendo ſola ſufficiunt, aliæ nihilosecius materiæ ad formandum nitrum cryſtallinum ordinarium concurrere ſolent. Accedunt nimirum etiam *particulæ aqueæ*, et *terreæ alcalinæ teneriores*: Quarum priores partim in intima hærent mixtione, partim moleculis nitri, in cryſtallos congregatis, interpoſitæ reperiuntur; hinc illæ etiam in nitro ſiccato, calcinato, immo fluente, remanent, nec prius, quam mixtione prorſus deſtructa, cum acido fumante, cui corpus quaſi atque excipiens præbent, ut coire poſſit in liquidam maſſam ſpirituoſam, prodeunt; hæ autem calore leni facillime ex interſtitiis expelluntur, ita tamen, ut forma cryſtallina, cui inducendæ, et conſervandæ aqua inſervit, pereat, et nitrum in pulverem fatiſcat. Teneriores partes terreæ alcalinæ intimiorem pariter mixtionem ingrediuntur, et aliquid etiam, licet calcariæ proſapiæ ſint, ad nitri ordinarii perfectionem conferunt, dum acredinem, quæ in nitro regenerato paullo major eſt, nonnihil minuunt.

§. VII.

Præter partes allegatas in nitro vulgari ac nondum depurato plerumque etiam *partes terreæ craſſiores* et *ſalſæ culinares* occurrunt, quæ commode tamen, quoniam in intimam mixtionem non receptæ fuerunt, a puris nitroſis ſeparari poſſunt, quando nitrum impurum, quod vulgo *crudum* vocatur, in aqua ſimplici ſolvitur, ſolutio filtratur, et protinus poſt ſufficientem evaporationem in loco frigidiuſculo ad cryſtalliſandum collocatur. Craſſiores enim partes terreæ in filtro remanent, et moleculæ ſalis culinaris ſeorſim ac tardius, quam puræ nitroſæ, in cryſtallos coeunt; hinc cryſtalli nitroſæ eximi poſſunt, priusquam ſalſæ culinares concreſcant, vel cryſtalli nitri, quæ ordinario figuram obtinent ſexangularem prismaticam, pyramidis inſtar utrinque acuminatam, a cryſtallis cubicis ſalis culinaris ſeorſim concretis ſeparandæ ſunt. Naſcitur quidem etiam nitrum cubicum, quoad reliquas proprietates nitro vulgari ſimillimum, quando ſpiritus ſalis communis, adfuſo nitri ſpiritu, e ſale culinari expellitur, et lixivium, poſt deſtillationem ex reſiduo paratum, ac debite evaporatum, ad cryſtalliſandum reponitur: Verum hæ cryſtalli cubicæ nitroſæ ſub nitri vulgaris cryſtalliſatione non obviæ ſunt, et proinde errori tunc temporis anſam præbere nequeunt.

§. VIII.

§. VIII.

Nitrum non tantum in aqua ſimplici facile, et ſat notabili quantitate, ſolvitur, ſed promte etiam ad ignem mediocrem liqueſcit, ita tamen, ut unio naturalis, etiamſi aquæ inſtar fluat, integra permaneat, nec ulla prorſus elementorum diſſolutio contingat, niſi fuſio protrahatur diutiſſime, in quo caſu particulæ quædam acidæ, violenta Vulcani actione ſenſim avulſæ, expelluntur, quemadmodum hoc ex aliquali nitri, aeri humidiuſculo poſt diuturnam fuſionem expoſiti, deliquio atque madore pateſcit. Notatu quoque dignum eſt, nitrum per ſe quidem ſub fluore non accendi, facillime tamen corpora quævis, phlogiſto principio prægnantia, in celerrimum motum igneum rapere, adeo, ut incenſio cum ſtrepitu et exploſione accidat. Inſignis quoque ſub hac detonatione partium metamorphoſis occurrit, dum nitrum in ſal alcali, aut novum omnino ſal medium mutatur, et quidem in alcali, quoties additæ materiæ inflammabiles acido plane carent, vel acidum duntaxat, nitroſo levius, in mixtione ſua fovent, in ſal neutrum vero, tartaro vitriolato, aut rectius arcano duplicato ſimillimum, quando ſulphur commune, aut ſimile concretum, acido vitriolico inſtructum, additur. Nam ſolum acidum vitriolicum, ceu omnium graviſſimum ac potentiſſimum, acido nitroſo avellendo et exturbando par

 eſt,

eſt, dum phlogiſton ſuum in ſulphure ſub deflagratione deſerit, ac, nitri deſtructi maſſam intrans, cum alcalicis nitri particulis rurſus combinatur, adeoque novum hac ratione ſal medium producit.

§. IX.

Quamvis nitrum ſatis prompte quidem in liquoribus aquoſis liqueſcat, nunquam tamen radicaliter, h. e., in elementa ſua, in corpore humano diſſolvitur, ſed in exiliſſimas duntaxat moleculas ſimilares dividitur, quæ, in motum redactæ, ſive adhuc in prima hæreant culina, ſive per vaſa ad humores circulantes, et intimiores machinæ receſſus translatæ fuerint, præcipuam actionem ſuam, tum fluida ſpiſſa, ac præternaturaliter cohærentia, aliaque meatuum ac cavitatum contenta valide, parvulorum inſtar cuneorum, (quibus ob figuram ſuam pyramidalem et utrinque acuminatam haud diſſimiles æſtimandæ), incidendo ac diſſolvendo, tum ſolidas etiam atque elaſticas partes nervoſo-membranaceas ſtimulando, abſolvunt. Non impetuoſa tamen hæc actio eſt, ſed blanda; hinc nullus etiam exhibitionem ejus tumultus in corpore ſequitur, nec ullum obſervatur caloris incrementum, ſed intenſior potius calor cum motuum exorbitantium vehementia decreſcit, licet laudatæ moleculæ, ſub agitatione ſua et progreſſu per vaſa, naturalem motum oſcilla-

to-

torium fibrarum, itemque cordis atque vaſculorum ſanguiferorum ſyſtalticum, cum circuitu humorum, blandis ſuis ſtimulis ubique vividiorem liberioremque reddant.

§. X.

Non defuturos prævideo, qui contradictionem hic admitti autumabunt: Si nitrum enim, inquient, irritando motus ſuſcitat, quomodo exorbitantes compeſcere poteſt? Verum enim vero, probe hoc loco perpendendum erit, multum diſcriminis blandos ac regulares motus naturales, et inordinatos atque impetuoſos præternaturales intercedere: Illi nempe in vivida, regulari, proportionata, et harmonica partium ſolidarum contractione, et vegeto pariter, libero atque æquabili humorum omnium, præſertim ſanguinis ac fluidi nervei, influxu atque progreſſu, hi autem in irregulari, nunc ſcilicet juſto fortiori, nunc juſto torpidiori, nunc prorſus ceſſante, ſolidorum contractione, et inæquali, eoque modo nimis languido, ac tardo, modo nimis veloci atque impetuoſo, vel plane in hac vel illa parte ſufflaminato, humorum influxu atque progreſſu conſiſtunt. Et quum violentis ſolidorum contractionibus, et impetuoſis humorum congeſtionibus, atque ebullitionibus, de quibus hoc loco præcipue ſermo eſt, plerumque meatuum obſtructiones, quibus denuo expediendis nihil fere nitro aptius de-

prehenditur, atque efficacius, occaſionem præbeant, quin unice nonnunquam illas ipſas excitent, non adeo obſcurum erit, qua ratione nitrum motus exorbitantes compeſcere valeat.

§. XI.

Quo dicta tamen ignaris evadant clariora, et egregia nitri virtus *aperitiva*, quæ ex incidente fluit ac leniter ſtimulante, magis quoque pateat, generalia quædam de ſolennioribus obſtructionum cauſis ſubjungere neceſſarium duco. Notandum igitur erit, vaſorum atque meatuum obſtructiones proxime vel ex humorum, libere alias tranſeuntium, ſtagnatione, adcumulatione, aut ſtaſi perfecta, vel ex refractaria corporum plus minusve peregrinorum, cujus cenſus calculi ſunt, vermes &c., inhæſione, aut violenta etiam compreſſione externa naſci. Cauſſæ priores, ſtagnatio videlicet, adcumulatio, ſtaſis humorum, quæ huc inprimis ſpectant, in corpore vivo nunquam ſponte oriuntur, ſed ſemper vitium quoddam ſolidarum, aut fluidarum partium ſupponunt, quod, teſte experientia medica, vel in atonia, aut ſpasmo ſolidorum, vel abundantia, ſpiſſitudine, aut acrimonia fluidorum conſiſtit. Si ſpasmi enim urgent, vaſcula vehementer contrahuntur, et adeo eorum diametri minuuntur, ut humoribus tranſituris via magis minusve præcludatur, et illi proinde quaſi incarcerari, ac notabilius circa loca coarctata coacervari debeant: Sin tonus na-

naturalis vero dejectus ſit, contractionis vigor ita in ſolidis decreſcit, ut fluidis decenti velocitate propellendis non amplius, ob debilem preſſionem ſuam, ſufficiant; hinc neutiquam mirandum, quod illa propter gelatinoſam ſuam indolem mox ſpiſſeſcere incipiant, et ſub tali ſtatu facile ad ſtagnationem, ſtaſin atque coagulum perveniant. Quod indicata denique fluidorum vitia attinet, ea ita comparata ſunt, ut exinde protinus maxima ad ſtagnationem et ſtaſin proclivitas eluceſcat: Quid promtius enim, quam humores craſſi, mucidi, tenaces, in vaſculis, præſertim minutiſſimis capillaribus, ſubſiſtere poteſt? quid facilius, quam humores adcumulati, et nimis denſo proinde particularum ſuarum agmine meare coacti, vaſa obſtruere, violenter diſtendere, violenta diſtenſione debilitare, et ſic ſolidorum quoque vitium, atoniam ſcilicet, producere valet? et quid facilius denique, quam liquida, partibus acribus largius referta, meatuum parietibus ſenſibilibus inimicas in tranſitu puncturas imprimere, vel ſeſe plane infigere iisdem, adeoque multoties iterata vellicatione vehementes contractiones ſpasmodicas, et præternaturales ideo canalium coarctationes provocare valet? Silentio cæteroquin hoc loco minime prætereundem erit, ſpasmos, qui ſubinde in corpore oriuntur, duplicis eſſe generis, ac modo inter morbos, modo inter ſalutaria

naturæ remedia militare: Ad morbos referri merentur, quoties ab adfectu animi graviori, terrore videlicet et iracundia, vel ab externo ſaltem ſtimulo, aut ſola refrigeratione &c. oriuntur; ſalutaribus ex adverſo ac neceſſariis naturæ medicatricis remediis adnumerandi ſunt, quando materia quædam copioſa, aut craſſa, ſubſiſtens, obſtruens, premens, auctiori hac partium ſolidarum contractione denuo promovenda, vel acris vellicans excutienda eſt.

§. XII.

Cognitis generalibus obſtructionum cauſſis, tam formalibus, qua materialibus, nunc cognitu pariter facillimum erit, qua ratione nitrum obſtructiones reſerare valeat. Si enim perpendimus, obſtructionum plurimas ſubſiſtentibus aut firmius impactis humoribus viſcidis, craſſis et acribus originem ſuam ac geneſin debere, et exiliſſimas nitri ſoluti moleculas pyramidales, in motum redactas, cuneorum inſtar, valide incidendo operari, virtus ejus aperitiva nulla amplius explicatione indigebit. Nonnihil quidem ſtimuli, quos laudatæ particulæ ſolidis ſub motu ſuo hinc inde imprimunt, obſtare multis videbuntur: Aſt, ſi conſiderare velint, 1) acrimoniam humorum rariſſime, vel nunquam eſſe ſolitariam, ſed eidem ordinario junctam deprehendi ſpiſſitudinem, 2) acrimoniam non ſem-

ſemper ſalſam aut acidam eſſe, ſed perſæpe quoque urinoſo-alcalicam, aut calidam bilioſam, 3) creberrime partium ſolidarum atoniam, quæ ſimul ſtimulantia ad ſui curationem poſtulat, complicatam eſſe, 4) ſpasmos in ſubjectis plerisque, canalium obſtructione laborantibus, ſolidorum laxitatem ac debilitatem cauſſam agnoſcere antecedentem, et eam quoque ſemper, præſertim ſi exiſtant fortiores, aut diutius durent, relinquere, et ſpasmos denique, quod ſæpius pridem in antecedentibus dictum fuit, ordinario, ſi paucos ſaltem caſus, antea indicatos, exceperis, ad remedia ſpectare, nec ſponte ideo ſupervenire, ſed ab ipſa natura (α) ad materiam aliquam naturalem, aut præternaturalem in canalibus ſtagnantem, ſubſiſtentem, vellicantem, prementem, rurſus promovendam, reſolvendam, excutiendam, et ſic ad perniciofas obſtructiones reſerandas ſuſcitari, blandus ſtimulus, nitri moleculis ſub actione tribuendus, non amplius ſuſpectus, ſed in plurimis potius caſibus, ad vegetiores vaſculorum contractiones excitandas, utilis non minus, quam neceſſarius videbitur.

§. XIII.

(α) Per *Naturam* corporis humani vivi nullibi *Animam rationalem* cum Sectæ Stahlianæ aſſeclis intelligo, ſed *Vim* quandam ſive *Potentiam movendi*, quæ in mechanica corporis ſtructura, ceu omnipotentis ac ſapientiſſimi Creatoris opere artificioſisſimo et ſumme rationali, ſuum fundamentum habet.

§. XIII.

Ex ſtimulo memorato *diureticæ* pariter vires derivandæ veniunt. Noto enim notius eſt, auctiorem tubulorum renalium contractionem ſeri urinarii largiorem ſequi expresſionem, et cum nitri moleculæ, æque ac ſalium mediorum reliquorum, non radicaliter, uti in antecedentibus pridem retuli, in ſanguine ſolvantur, ſed, integra permanente mixtione ſua, ad varia organa ſecretoria, et copioſius inprimis ad renes, ubi ordinario maximus adſumtorum ſalſorum ſeceſſus obſervatur, deferantur, ratio protinus manifeſta eſt, cur nitrum ſolutum, et per corporis mæandros diſtributum, ibi magis, quam alibi, tubulos irritet, et ſic vegetiorem eorundem contractionem provocando, largiorem diureſin producat: Immo, inde etiam ratio pateſcit, cur nitrum inter *lithontriptica* locum ſibi vindicet, et niſi integros ac grandiores calculos, ureteres amplius intrare ac permeare neſcientes, minores tamen lapillos, et maxime ſabuloſo-mucidam materiam, quam ſimul blande reſolvit et abſtergit, e pelvi ad veſicam, et inde, ob ſuſcitatam quoque hujus contractionem, penitus expellat. Hiſce accedit, quod concretum hoc ſalinum ſpasmodicas conſtrictiones, quæ nonnunquam urinæ, et mucido-ſabuloſæ materiæ excretionem impediunt, mitiget, et ſanguinem fluidiorem reddat, adeoque ſeri ſeceſſum faci-

cilitet; quemadmodum hoc poſterius ex effectibus, quos ſolutio nitri aquoſa, ſanguini jam e vena extracto mixta, præſtat, clare pateſcit: Hunc ipſum quippe, licet nigricans pridem atque coagulatus ſit, obſervante B. HOFFMANNO (*a*), non tantum ad priſtinam fluiditatem reducit, ſed floridum quoque atque miniatum colorem eidem conciliat.

§. XIV.

Laudatam antea ac fuſius explanatam virtutem nitri aperitivam preſſo ſtatim pede virtus ejus *antiſpasmodica*, *diaphoretica*, et decantatiſſima *refrigerans* ſequitur. De virtute antiſpasmodica prolixius explicanda non amplius hoc loco ſollicitus ero, quum pleraque, in antecedentibus, præſertim ſub virtutis aperitivæ contemplatione, adducta, huic plurimam pridem lucem fœnerantur, et ſic comparata ſunt, ut ad ea, ſi quævis, ad cognoſcendam antiſpasmodicam neceſſaria, proponere vellem, neceſſario redeundum eſſet: Quare paucis duntaxat repetiiſſe ſufficiat, nitrum non ſimpliciter et immediate ſpasmos compeſcere, ſed, tanquam aperitivum excellentiſſimum, eorum duntaxat cauſſas, quæ plerumque ad humorum adcumulationes, ſtagnationes, ſtaſes, et canalium obſtructiones redundant, minuere, aut penitus tollere; quibus imminutis, aut prorſus ablatis, violen-

(*a*) Vid. Ejusd. Obſ. phyſico-chym. ſelect. p. 103.

lentæ etiam, ac ſæpius dolorificæ ſolidorum contractiones, ad canales denuo referandos, materiam prementem, diſtendentem, urentem, pungentem, removendam, et circulationis non minus, quam ſe-et excretionum libertatem reducendam, a natura ſuſceptæ, ſponte remittunt, aut plane ceſſant.

§. XV.

Non adeo operoſa etiam explicatione virtus *diaphoretica* indiget, quoniam ſola pariter incidente, et aperitiva nititur. Nam, dum nitri moleculæ diſſolvendo ſanguinem ac lympham fluidiorem reddunt, et tubulos capillares, ac pores cutis exhalantes magis aperiunt, protinus conſtare exiſtimo, quaratione liberiorem quoque circulum humorum, largioremque exhalationem cutaneam efficere poſſint. Notatu quoque dignum eſt, nitrum ſubinde, quando ſcilicet pori cutanei exhalantes in morbis quibusdam, præſertim febrilibus, aliquamdiu fuerunt obſtructi, et natura ad criticam impuritatum ejectionem jam inclinat, ſat fortem provocare ſudorem, ita tamen, ut nullum æſtus præternaturalis incrementum, ſed notabile potius refrigerium ſuccedat; unde eo luculentius cognoſcere poſſumus, ſudationem completam, aut largiorem diaphoreſin, nitri adſumtioni ſupervenientem, nunquam a fortiori humorum exagitatione, quam ſudorifera proprie talia

pro-

producere ſolent, ſed unice a reſtituta, vel aucta circulationis, et exhalationis libertate derivandam eſſe.

§. XVI.

Momenti majoris eſſe, ac plus explicaturis faceſſere videtur negotii virtus hujus concreti *temperans*, *antorgaſtica*, *refrigerans*: Verum, videtur ſaltem. Nam, ſi ſingula in praecedentibus quibusdam paragraphis adducta, nec minus ſolenniores æſtus præternaturalis cauſſæ exactiori ſubjiciantur ſcrutinio, facile unumquemque perſpecturum eſſe credo, hujus quoque virtutis evolutionem non adeo magnis premi difficultatibus. Præternaturalis nimirum æſtus in genere vel imminutam ſanguinis refrigerationem, vel juſto uberiorem materiæ calorificæ in cruore proventum cauſſam agnoſcit præcipuam. Sanguinis refrigeratio imminuitur, quando inhalationis, et maxime exhalationis cutaneæ libertas, ob tubulos cutis capillares, et minutiſſimos exhalantes magis minusve obſtructos, magis quoque minusve ſufflaminatur, juſto uberior autem materiæ calorificæ proventus accidit in ſanguine, quoties attritus globulorum, ob circulum ſolito velociorem, aut meatuum quorundam obſtructionem, aut nimiam quoque ſanguinis denſitatem, intenditur. Horum autem vitiorum plerisque, maxime autem obſtructionibus, ceu cauſſis caloris excedenden-

dentis frequentiſſimis, nitrum vario modo, incidendo nimirum, diſſolvendo, blande ſtimulando, aperiendo, &c. valide medetur, et circuli non minus humorum, quam cutaneæ etiam exhalationis libertatem reſtituit; unde fit, ut decens iterum proportio inter geneſin novi caloris, et refrigerium corporis ſuperveniat, et ideo æſtus præternaturalis, etiamſi nitrum, præſertim parva quantitate, aut in vehiculo calido propinatum, ſanguinem actualiter refrigerare nequeat, denuo evaneſcat.

§. XVII.

Merito virtuti refriganti hoc loco ſubjungenda eſt virtus *antaphrodiſiaca*, quoniam illa præcipue niti videtur. Nam, dum nitrum calorem ſanguinis minuit, humorum quoque inde ſecedentium, adeoque ſpermatis pariter virilis, et lymphæ vaginalis, rarefactionem ſeu orgasmum, cui, experientia teſte, ſenſibiliores ſtimuli venerei ordinario ſuccedere ſolent, minuit. Hiſce accedit, quod procurata liberiori ac largiori exhalatione cutanea, multæ partes ſpirituoſæ, quæ alias ad organa genitalia deferebantur, ibidemque copioſiori ſuo ad-et influxu non tantum fibrarum nervearum tenſionem, et ab ea pendentem ſenſibilitatem, ſed turgeſcentiam quoque et irritandi virtutem liquorum ſeminalium augebant, cum reliquis halitibus per cutis cribrum in auras abeant: Unde ratio quoque haud

haud obſcure intelligi poterit, cur uſus nitri intemperantior, ac diuturnior concupiſcentiam veneream plus juſto deprimat, et viris in ſpecie languorem quendam, de quo alibi (*a*) plura pridem memet attuliſſe recordor, inducat, et medicamentum ideo, alioquin, ſub uſu nimirum tempeſtivo et moderato, præſtantiſſimum, quodammodo nocivum evadat.

§. XVIII.

Ægritudines, quibus nitrum plus minusve mederi conſuevit, quæque variæ omnino ac numeroſisſimæ ſunt, in genere ad *febres, inflammationes, phlogoſes*, vel ad *obſtructiones viſcerum, aliarumque partium*, vel ad *dolores, ſpasmos, convulſiones, hæmorrhagias*, et *tumores frigidos*, immo, ad *deliria* et *varia ſenſuum externorum vitia* referri merentur. Quare, cum nitri actio ſpecialis, ob maximam morborum, reſpectu eſſentiæ, cauſſarum, atque ſymptomatum, diverſitatem, valde diſtincta reperiatur, neceſſe utique erit, ut ſingula genera allegata cum præcipuis ſuis ſpeciebus brevi contemplationi ſeorſim ſubjiciam, et ſpecificum ubique juvandi modum oſtendam. Agmen itaque ducant febres, quæ nihil certe aliud ſunt, niſi motus univerſæ maſſæ ſanguineæ, et humorum circulantium reliquorum

(*a*) In Diſſ. de Refrigerantibus.

rum exorbitantes, h. e., juſto celeriores, impetuoſiores, et plus pariter minusve irregulares, non ſponte tamen oriundi, ſed ideo inprimis a natura, mediante contractione ſolidorum velociori et fortiori, excitati, ut materia quaedam impura, mucida, acris, ſalino-ſulphurea, quoad indolem ſpecificam valde pro febrium diverſitate diverſa, quae ex parte humoribus circulantibus adhuc immerſa eſt, et adeo eorum ſyſtaſin corrumpit, ut coagulatio, aut putredinoſa reſolutio metuenda ſit, ex parte vero in tubulis minoribus, praeſertim capillaribus, ſubſiſtit, eorundemque parietes premit, diſtendit, urit, vellicat, denuo reſolvatur, attenuetur, excutiatur, tandemque per poros cutis, aut aliud organum ſe-et excretorium ejiciatur, et decens ideo circuli, jam hinc inde ſufflaminati, libertas, cum humorum puritate naturali reſtituatur. Singula haec, quod pridem ex antecedentibus patet, nitrum praeſtat, vel rectius, ita actione ſua, quae ad inciſionem, reſolutionem, ac blandum ſtimulum redit, naturae medicatrici ſuccurrit, ut citius atque certius finem ſuum conſequi poſſit. Valent haec in febribus plerisque, praeſertim exanthematicis, bilioſis, inflammatoriis, ardentibus, immo, ipſis intermittentibus, et in ſolis duntaxat lentis atque hecticis aliquam pati videntur exceptionem, quoniam in hiſce ſudores colliquativi frequentes ſunt, qui de

nimia

nimia humorum diſſolutione teſtantur. Nullatenus tamen hæc dicta ſunto, ac ſi crederem, nitrum in illis nullum plane locum invenire, ſed monere ſaltem volui, moderate illud in iis adhibendum, et, ſupervenientibus largioribus atque frequentioribus ſudoribus colliquativis, plane ab ejus uſu abſtinendum eſſe, ne majorem tunc temporis partis humorum gelatinoſæ diſſolutionem efficiat.

§. XIX.

Eadem prorſus ratione, qua in febribus fieri dictum fuit, *inflammationum* curationem, diſcuſſione aut ſuppuratione abſolvendam, adjuvat. Hæ ipſæ nempe, ſive ſanguineæ ſint, ſive ſeroſæ, perfectam, eamque magis minusve refractariam cruoris, nunc puri omnino, nunc ſpiſſi nonnihil atque impuri, ſtaſin in minimis arteriolis, aut adhuc minoribus vaſculis ſeroſis ſive arterioſis ſecundi generis, adeoque plenariam canaliculorum quorundam obſtructionem ſupponunt, cui, præter cruoris in obſtructis non minus, quam vicinis atque connexis vaſculis adcumulationem, neceſſario atque confeſtim fortior globulorum attritus, ac violenta tubulorum diſtenſio, cum partis inflammatæ intumeſcentia, rubore, atque dolore ardente ſupervenire debent. Memoratam igitur obſtructionem, ceu cauſſam inflammationum formalem,

nitrum, quod ſubſiſtenti, et impacto cruori promte ac valide diſſolvendo reperitur aptiſſimum, denuo referat, et ſic priſtinam circuli libertatem reſtituit; qua reſtituta, complicata quoque ſymptomata, quæ partim ex juſto vehementiori globulorum, denſo nimis agmine meantium, ac fortiter quoque in maſſam obſtruentem quaſi arietantium, colliſione et attritu naſcebantur, ſponte ceſſare debent.

§. XX.

Parum quoque a prædicta nitri operatione in inflammationibus operandi modus in plerisque *ebullitionibus* et *phlogoſibus* differre videtur: In plerisque, inquam; aliæ quippe, et quidem plurimæ, quæ febres aut inflammationes quaſi tranſitorias æmulantur, ex influxu atque tranſitu cruoris in hac vel illa parte retardato, aut aliquamdiu, propter leviorem, nec adeo obſtinatam obſtructionem, plane impedito, quem illico regurgitationes et congeſtiones excipiunt, oriuntur; aliæ autem turbatum niſus et reniſus æquilibrium inter ſolida et fluida cauſſam agnoſcunt præcipuam; quemadmodum toties hoc poſterius obſervare licet, quoties, tempeſtate ſicca, ſubito in humidam, aut humida etiam ſubito in ſiccam mutata, ſolida, præſertim apud ſubjecta imbecillia, valde relaxantur, aut notabiliter ſtringuntur, et hac ratione modo ni-

ſus

ſus ſolidorum reniſum fluidorum, modo niſus fluidorum renitentiam ſolidorum, in iis maxime partibus, earundemque vaſis, quæ ſitum peripheriæ propiorem obtinent, et magis ideo memoratis mutationibus obnoxiæ ſunt, ſuperat. Quando enim canaliculi, peripheriæ propiores, ſuperveniente conſtitutione aeris calida et humida, vel humida etiam atque tepida, aut parum ſaltem frigidiuſcula, relaxantur, ſanguis ex partibus internis, quæ nondum ejusmodi relaxationem fuerunt perpeſſæ, majori celeritate, impetu atque copia ad partium externarum tubulos ruit; ſin repente vero conſtitutio aeris humida, ſimul calida aut tepida, mutatur in ſiccam et frigidam, cutis et canales ſangviferi ſubjacentes conſtringuntur, coarctantur, et cruor proinde celerius, copioſius, atque impetuoſius ad interiora, a conſtrictione adhuc immunia, ruere, eademque plus juſto obruere atque replere cogitur: Unde fit, ut in caſu priori magis phlogoſes in peripheria, in caſu poſteriori autem magis ebullitiones, proxime ex congeſtione non minus et adcumulatione, quam ex repentina pariter cruoris expanſione reſultantes, in centro corporis, ſeu interioribus partibus et viſceribus nobilioribus ſentiantur. Hiſce cæteroquin admiſſis, et fundamenti loco ſubſtratis, intelligi poterit, qua ratione nitrum in genere congeſtiones, phlogoſes, ebullitiones præternatura-

 les,

les, (de nonnaturalibus enim, a condimentis acribus aut aromaticis, potulentis ſpirituoſis, et medicamentis volatilibus, ab iracundia &c., nonnunquam excitatis, non loquor), mitiget, et cur in iis præcipue, quæ obſtructionibus originem debent, notabilius auxilium ferat.

§. XXI.

Sequuntur nunc *obſtructiones ſtricte ſic dictæ*, cujus cenſus ſunt obſtructio hepatis, lienis, glandularum ac vaſorum meſeraicorum, renum, veſicæ, defectus et ſuppreſſio menſium, lochiorum, hæmorrhoidum &c., nec minus *dolores*, *ſpasmi*, et omnes diſtincti nominis morbi, qui ſemper, vel tamen creberrime, ex vaſorum atque meatuum obſtructione proxime naſcuntur, et nunc, intuitu cauſſæ materialis, cruori adcumulato, ſtagnanti, nunc mucidæ cuidam materiæ ſeroſo-lymphaticæ, nunc in-et adhærenti materiæ acri, nunc corpori plane heterogeneo natales debent, uti v. g. ſunt apoplexia ſanguinea et ſeroſa, adfectus ſoporoſi, vertigo, cephalalgia, aſthma, catarrhus ſuffocativus, icterus, paſſio hypochondriaca, malum hyſtericum et nephriticum, colica hæmorrhoidalis, et ſic porro. Vellem lubentiſſime morbos allegatos, et hujus commatis reliquos, ut et nitri operationem ſpecificam paullo uberiori pariter contemplationi ſubmittere, niſi antecedentia

tan-

tantam prolixitatem interdicerent. Supra enim, cum de virtute nitri aperitiva et antiſpasmodica ſermo eſſet, multa pridem propoſita fuerunt, quæ viam pandunt ſpecialiori cognitioni, ac plurimam lucem pathologiæ gnaris ſub explicatione et adplicatione ſpecialiſſima fœnerantur. Intuitu nempe naturæ atque virtutis ſingularis hujus concreti ſalini perinde eſſe videtur, an obſtructio in hac vel illa corporis parte reperiatur, an cruor, an vero lympha, aut alterius indolis humor adcumulatione, ſtagnatione, ſtaſi atque decubitu ſuo eandem producat, an hæ vel illæ functionum turbæ complicatæ ſint, et morbus hoc ideo, vel alio nomine inſigniatur. Sufficit, nitrum materias craſſas obſtruentes incidendo attenuare, tubulos et meatus obſtructos aperire, circuli libertatem ac regularitatem reducere, et, ſublata cauſſa præcipua, ipſum quoque morbum cum ſuis ſymptomatibus tollere.

§. XXII.

Idem ferme judicium de *convulſionibus* ferendum erit, quæ vehementiæ duntaxat gradu a ſpasmis proprie ſic dictis diſtinctæ reperiuntur. Noto quippe notius eſt, violentas haſce partium ſolidarum contractiones, nonnunquam terribili totius machinæ concuſſione ſtipatas, ſupervenire, quando corpuscula acuta, rigida, pungentia, partibus ner-

voſo-membranaceis ad-et inhærent, aut canalium obſtructiones tam refractariæ et periculoſæ ſunt, ut iis denuo reſerandis mitiores contractiones ſpasmodicæ non amplius ſufficiant, et machinæ ideo, niſi hæ expediantur, certiſſimus immineat interitus. Quid igitur mirandum, quod natura in deſperatis hiſce caſibus ad arripienda quoque remedia deſperata impellatur, et horrendis ejusmodi contractionibus ſolidorum obſtructiones graviſſimas aperire, et imminentem lethalem circuli ſufflaminationem avertere nitatur, etiamſi finem ſuum non ſemper obtineat? Clare interim ex illis rationem conſtare opinor, cur nitrum, tanquam validum aperitivum, absque vehementi nihilominus commotione, et citra ullum tumultum agens, naturæ in hoc paſſu egregie ſuccurrat, et, turbarum cauſſas tollens, ipſas quoque turbas compeſcat. Iſtæ tamen convulſionum ſpecies hoc loco eximendæ erunt, quæ poſt nimiam humorum laudabilium, maxime autem ſanguinis, jacturam ex turbato niſus et reniſus æquilibrio inter ſolida et fluida reſultant. Tunc enim nulla opus eſt reſolutione, nulla obſtructionum reſeratione, nulla ſuperflui aut peregrini ablatione, ſed humor nimium imminutus et deficiens per analeptica, aliaque adpropriata tam cito, quam fieri poteſt, reſtituendus eſt, ut neceſſaria quoque et natura-

lis

lis proportio inter vires prementes et renitentes mature redeat,

§. XXIII.

Ad virtutem aperitivam auxilii quoque ratio redundat in exorbitantibus & incongruis *hæmorrhagiis*, quoniam pleraque cruoris profluvia excedentia et incongrua præcipuam ſuam originem circulo ſanguinis, plus minuſve in hac vel illa parte ſuffiaminato, debent: Oborta nempe in aliqua parte vaſorum quorundam obſtructione, adcumulatio cruoris non tantum in parte obſtructa, ſed in vicinis pariter vaſculis, quæ, præter molem conſuetam, et cavitatum ſuarum magnitudini proportionatam, adhuc notabilem quantitatem, quæ ex obſtructis canalibus ad illa determinatur, recipere coguntur: Unde fit, vt nimium referta ac turgida haud raro patiantur rupturam, aut cruor tamen abundans ex illis in vaſcula ſeroſo-lymphatica, ſeu arterioſa ſecundi et tertii generis, ſub diſtenſione vehementi plus juſto dilatata, penetret, poſteaque per loca inſolita et incongrua excernatur. Immo, accidere conſvevit creberrime, ut ſanguis copia largiori ex parte obſtructa, congeſtionis, ſeu rectius, regurgitationis beneficio, ad partem remotam, cæteroqvin ſanam, deferatur, et prædictam vaſculorum lateralium ſecundi generis dilatationem præternaturalem, aut plenariam unius vel plu-

rium arteriolarum rupturam efficiat; quemadmodum hoc vomitus cruentus, hæmoptyſis, mictus cruentus &c., quae hæmorrhagiæ præternaturales apud foeminas ac virgines, paſſione hyſterica, itemque menſium aut lochiorum defectu, vel ſuppreſſione laborantes, nec minus apud juvenes ac viros, qui refractario malo hypochondriaco vexantur, vel hæmorrhoidum defectum aut ſuppreſſionem atque imminutionem aliquamdiu perpeſſi, ſunt, frequentiſſime occurrunt, abunde confirmant. De *frigidis tumoribus* et *deliriis* ſpecialia hoc loco addere ſupervacaneum duco, quoniam ſpecificus juvandi modus in tumoribus frigidis, ſiue ſint univerſales, ut cachexia, ſive particulares, ut oedema pedum ac manuum, intumeſcentiæ glandularum &c., facile ex virtute nitri incidente ac ſtimulante, in deliriis autem, et quidem phreniticis atque maniacis ex antorgaſtica, in melancholicis vero ex reſolvente, attenuante, atque aperitiva intelligi et explicari poterit.

§. XXIV.

Nitrum, quod in fine ſubjungere juvat, poſt depurationem ſuam, ſimplici duntaxat operatione, iterata ſcilicet nitri crudi ſolutione in aqua, lixivii filtratione, evaporatione ac nova cryſtalliſatione abſolvendam, vel ſub pulveris forma exhibetur, vel potulentis, emulſionibus, infuſis aquoſis, potiunculis

lis &c. additur, et doſis ab aliquot granis ad integram ſubinde drachmam adſcendere poteſt. Medicorum quidem multi in hoc paſſu nimis timidi inveniuntur, et paucis ſemper granis contenti ſunt: Aſt hi neutiquam perpendunt, nitrum activum quidem remedium eſſe, blande nihilominus ac ſine impetu operationem ſuam abſolvere, adeoque pauca grana non ſemper ſingulari mutationi producendæ, optatoque auxilio præſtando ſufficere. Loquor hic expertus, nec dubito, quin omnes futuri ſint conſentientes, ſi, quæ dicta fuerunt, iteratæ experientiæ propriæ, adhibito tamen judicio diſcretivo, ſubmittere velint.

CAPVT IV.

DE SALE COMMVNI

§. I.

SAL COMMVNE, quod etiam *ſal vulgare*, itemque, ob uſum in œconomia frequentiſſimum, *culinare* dicitur, in *fontanum*, *marinum* et *foſſile* ſive *montanum* dividitur. Fontanum in variis locis *Germaniæ*, aliarumque regionum ex aqua fontium ſalſorum excoquitur, et ſpecies reliquas puritate ſuperat: Ma-

Marinum in *Luſitania*, *Hiſpania*, *Gallia* &c., caloris ſolaris, ut et ventorum ope, ex aqua marina, in ſingulares foveas deducta, ſeparatur, et plerumque particulis quibusdam, iisque tenerrimis, nitroſis mixtum reperitur. Aqua marina enim non tam apta exiſtit incendiis reſtinguendis, quam aqua ſalſa fontana, ſed motum flammantem magis intendit, quam cohibet, et ſpiritus acidus quoque, e ſale marino expulſus, aurum ſolvit, inſtar aquæ regiæ, quæ ex acido nitri et ſalis componitur (*a*). Sal foſſile denique, quod, ob inhærentes moleculas terreo-lapideas, ſale fontano paullo crudius eſt, in multis regionibus, maxime autem in *Ruſſia*, *Hungaria ſuperiori*, *Tranſylvania*, et prope *Cracoviam* in *Polonia* (*α*) e terræ fodinis eruitur. Puriſſima ejus ſpecies, forma et nitore cryſtallum montanam æmulans, *Sal Gemmæ* dicitur.

§. II.

(*a*) Conf. Neumann. in Lect. de Sale culinari p. 39.

(*α*) „Spectaculum, GABRIEL RZACZYNSKI *in Hiſt.* „*nat. Poloniæ p.* 54. *ſcribit*, inter orbis ſpectacula „digne connumerandum Salinæ Poloniæ. Valde mirabitur, qui Sarmatiæ aut Bochniam aut „Veliſcum vidit. - - - In ſalinis Bochnienſibus „et Veliſcenſibus tantus optimi ſalis numerus „eſt, quantus in univerſis Halis Germaniæ nunquam invenitur, ſive Noricorum, ſive Suevonum, ſive Hermundurorum, non ita longe a „meliboco. Siquidem in iis duntaxat coctilis „ſal

§. II.

Purum ſal culinare ex *acido ſui generis* et *ſingulari principio fixo terreo-alcalino* conſtat. Acidum ſpecificum duplicis quaſi generis eſt, alterum videlicet *volatilius*, alterum *comparative*

„ſal non ſine multo labore habetur, Veliſci vero „ſal duplex colligitur, coctilis et metallicus. Ex „hoc ingenti Sarmatiæ theſauro, majora ſunt huic „regno vectigalia, quam aliis quibusdam ex auri „et argenti metallis. Sal foſſilis in Polonia tan„tæ duritiei eſt, ut in lapides condenſetur: Ædi„ficiorum ſtructuris peridoneus, ſimulacris exſcul„pendis accommodatus. Ejus fodinæ admirandis „ſuis ſubſtructionibus ſubterraneis integram Ci„vitatem referunt: Ex hiſce ſal ſolidus, duritie „lapidis, inſtar ſaxorum ingentium in ſubterra„neis cuniculis, longe lateque plateatim excava„tis, ferro exſcinditur, atque in fruſta comminu„tus, mola ab animalibus agitata, ad uſum teri„tur. In cuniculorum ambitu tantus eſt Laby„rinthus, qualem nunquam Dædalus excogitave„rat. Agnoſceres ſane iſtic, veluti in civitate „quadam, magnifice exſtructas quasdam ædes „cænacularias, quæ fulcris ſalſis ſuſtinentur, et „trabibus ligneis, absque dubio ipſius ſalis natura, „nunquam computreſcentibus. Utrumque oppi„dum Veliſcum et Bochnia hiſce ſalinis excava„tis nititur. Operarii nudi, peronati tantum, „ferreis malleis atque cuneis magna fruſta ſalis „exſecant. Tenebræ hic craſſiores, quam apud „Cimmerios ſuos *Homerus* cenſuit: Rupes ſalis „pleniſſimæ, imo montes perpetui. Salis fodinæ „prope Cracoviam trecentis fere ſub terra pedi„bus geometricis. Varii in imo anfractus, et „con-

tive fixius: Hoc ſolummodo, additis acidis gravioribus, v. g. vitrioli, aluminis, ſulphuris ac nitri, a fixo principio alcalino penitus ſeparatur; illud autem facilius et absque additamento, ſolius aeris humidi, et aquæ ebullientis actione avelli poteſt. ac ſegregari. Nam

„concamerationes, at ubi deſcenderis, in novam „urbem delatus videare. Ingentes venti aliquando oriuntur ex cavernis illis; loca nonnulla inveniuntur vaporibus bituminoſis oppleta, ita, „ut nemo illuc audeat movere paſſum cum aperta „lucerna, ne forte flammam vapores concipiant. „Veliſci aer ſiccus, calidus, acutus, ſubtilis eſt, „ſudant obambulantes, et nudi Cyclopum more „laborant. Foſſæ præter cameras, octodecim „ſcalarum altitudine, quarum nulla brevior eſt „cubitis octo, multis interim longioribus. Non „raro ingentium ſeſe templorum ſpecie cameræ „offerunt, immanibus ſalis columnis exſtantibus, „quibus ſuperiora ſolido ſale concreta, ceu fornices quidam ſuſtinendis montibus imminent, „graviſſimo ſeſe pondere, admirabili quadam „operariorum induſtria, librante.„ Deſcriptionibus hiſce adjungo factam mihi relationem a quodam commorante Veliſci, annorum ſeptem decurſu, luſtrante labores quotidianos, ex vi officii: Præter os cuniculorum primum. illudque „profundiſſimum, vulgo Szyba; ſecundus aditus „continet plus, quam triginta ſcalas, quarum unaquæque totidem ſcandulis craſſioribus conſtat. „Patet acceſſus, et per gradus 456., de ſecto lapide fabricatos regnante Joanne III. Venti validiſſimi graſſantur hyeme, maxime tempore illo, „quo apud nos ſæviunt frigora. Spectare licet „ſacella ſubterranea, e ſolo ſale elaborata &c.

Nam in ædibus gradatoriis, ubi ſalſugo per parietem, e virgultis ſtructum, decurrit, temporis ſucceſſu notabilis terræ portio virgultis adhæret, quæ acido ſuo, ab aere continuo permeante, plus minusve ſpoliata fuit (*a*). Simile magma, non cryſtalliſabile, in aere facile deliqueſcens, et in ipſo ſpiritu vini ſolubile, poſt ſalis fontani coctionem, immo, poſt aquæ marinæ evaporationem, et ſalis ſiccioris condenſationem, relinquitur, cui ſuperſtes paucum acidum tam laxe inhæret, ut, absque ullo additamento deſtillatum, ſub ſpiritus forma ſecedat. Notum quoque eſt, ſal commune, repetita vice in aere humido ſolutum ac deſtillatum, tandem in aquam, ſalſo ſapore penitus deſtitutam, et terram pene inſipidam, nonnihil tamen unguinoſam, reſolvi. Propius cæteroquin acidum ſalis communis ad acidi vitriolici naturam accedere videtur, quoniam, cum phlogiſta quadam ſubſtantia fuſionis beneficio combinatum, *hepatis-ſulphuris imperfecti* ſpeciem conſtituit, et obſervatis quoque obſervandis, *phoſphorum*, ſeu *ſpeciem ſulphuris*, æque ac vitrioli acidum, format. (*b*).

§. III.

Principium fixum alcalinum, quod ſalis culinaris mixtionem proportione ferme ana-

tica

(*a*) Conf. Exc. D. D. Pott in Obſ. et animadverſ. de Sale communi p. 14.

(*b*) Conf. idem l. c. p. 9.

tica ingreditur, ſingularis plane naturæ eſt, et, teſtibus experimentis et obſervationibus chymicis, perfecta non minus ſalia alcalia, quam terras alcalinas æmulatur, et, acido ſuo adhuc unitum, ſæpius iterata ſalis calcinatione ac ſolutione, adeo volatile reddi poteſt, ut maximam partem auffugiat, et exigua ſaltem ejusdem portio ex ſat magna ſalis quantitate remaneat. Ratio nihilominus non latere videtur in ipſo terreo-ſalino principio, ſed potius in acido ſociato; quippe quod, ob arcte admixtum principium mercuriale, ſeu arſenicale, admiſſo inprimis aere liberiori, valde mobile atque volatile eſt, et alia quoque corpora, præſertim metallica, quibus tenaciſſime adhæret, ad majorem mobilitatem ac volatilitatem diſponit. *(a)*.

§. IV.

Sal commune promptius, quam nitrum, in aqua ſimplici ſolvitur, et, rite peracta evaporatione, in cryſtallos perfecte cubicas concreſcit. Memorata cryſtallorum figura ſpecifica aliquam conſiderationem meretur circa modi operandi ac virium explicationem: Inde enim pateſcere opinor, cur ſal commune nitro, intuitu virtutis ſtimulantis, incidentis, attenuantis et aperitivæ, longe ſit inferius. Valentiorem quippe actionem in ſolida ac fluida

(a) Conf. Neumann. L. c. p. 74. it. Excell. Pottius l. c. p. 48.

fluida moleculas priſmaticas pyramidales utrinque acuminatas, quam cubicas, exercere poſſe, in propatulo eſt. Sufficit cæteroquin moderata virtus ſtimulans et abſtergens ſalis communis, quoniam commune et quotidianum eſculentorum condimentum eſt, nec amplius locum inter ſtricte ſic dicta medicamenta interna obtinet. Externe clyſteribus, præſertim ſal gemmæ, frequentiſſime additur, et ſtimulantis munere in iis perſungitur. Interdum etiam epithemata ſicca frontalia, et ſacculos diſcutientes ingreditur.

* *

CAPVT V.

DE SALE ANGLICANO.

§. I.

Notiſſimum ſal medium amarum, quod in pharmacopoliis noſtris ſub nomine SALIS ANGLICANI, EBSHAMENSIS, EPSONIENSIS proſtat venale, vel *nativum*, vel *factitium* eſt. Nativum rurſus vel *fontanum* exiſtit, vel *foſſile:* Prius non tantum ex aqua ſcaturiginis ſoteriæ, quæ in *Angliæ* pago *Epſon* ſive *Ebsham* reperitur, ſed ex aliis quoque fontibus *Britanniæ* medicatis, *Barnetinis* v. g. *Northallenſibus*, *Stret*-

tamenſibus, *Dulechenſibus* &c. evaporando ac cryſtalliſando paratur; foſſile autem, referente D. MENDEZIO (*a*), *Limingtonii* in Comitatu *Hamptonienſi*, ut et *Portſea-Islandiæ* prope *Portum Magnum* (vulgo *Portsmouth*) e ſingulari minera ſalina, ex amaro et marino ſale mixta, ſeparatur. Memoratum nempe ſal foſſile in acervos congeritur, ut ſenſim, et quoad partem, liqueſcat: Liquor ſalſus, amarus, acris, ex acervis ſtillans, per canales quosdam in foveas deducitur, ibidemque ſucceſſive in ſal ſiccum coagulatur. Sal coagulatum in aqua ſimplici, in ahenis ebulliente, denuo ſolvitur, et ita aliquot dies poſt coctionem relinquitur, ut non ſolum refrigeretur, ſed aqua gravior quoque, ſale marino impraegnata, a leviori ac ſupernatante lixivio amaro ad partem vaſis inferiorem ſecedat: Quo facto, operarii lixivium ſuperius amaricans exhauriendo ſeparant, ſeparatum denuo in ahenis coquunt, et tandem, facta ſufficienti evaporatione, ad cryſtalliſandum reponunt.

§. II.

Sal Anglicanum factitium ex muria, poſt ſalis marini depurationem et cryſtalliſationem reſidua, præparatur: Huic nempe caput mortuum vitrioli, aut vitriolum calcinatum certa quantitate miſcent, enatum ſal medium, co-

(*a*) Vid. Hiſt. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1718. p. 47.

coquendo cum aqua, extrahunt, liquorem filtratum coagulant, ſal ſiccum calcinant, calcinatum denuo aqua ſolvunt, filtrant, et poſt evaporationem ad cryſtalliſandum in loco frigidiuſculo collocant. Hæc ſalis factitii ſpecies in Anglia quotannis magna conficitur copia, et exteris pro vero Ebshamenſi nativo venditur. Sal medium, deſcripto quodammodo analogum, etiam naſcitur, quando ſolutioni aluminis aquoſæ, filtratione depuratæ, oleum tartari per deliquium, aut ſaturata ſalis tartari ſolutio, usque ad punctum ſaturationis, infunditur: Sal alcali fixum enim terram aluminoſam e mixtione deturbat ad fundum, ac rurſus cum acido in ſal neutrum concreſcit; quod poſtea, præmiſſa liquoris filtratione iterata, et evaporatione, in loco frigidiuſculo cryſtallos format. Monendum tamen, ſalinum hoc concretum remiſſiori gaudere amaritie, nec tam facile, quam verum ſal Ebshamenſe, in aqua deliqueſcere, ſed, reſpectu hujus et reliquarum proprietatum, magis cum tartaro vitriolato convenire.

§. III.

Ex *acido vitriolico*, et *principio terreo-ſalino-alcalino fixo ſalis communis* ſal Ebshamenſe, ſive ſit verum, ſive ſpurium factitium, compoſitum deprehenditur. Quando cum decenti enim pulveris carbonum et ſalis tartari quantitate miſcetur, fuſionem quidem, forti

etiam adhibito igne, reſpuit, totum tamen cum ingenti ſulphuris foetore in auras evolat, adeo, ut nil, niſi maſſa dura ac nigra, in crucibuli fundo remaneat. Silentio cæteroquin non prætermittendum erit, ſal Anglicanum raro vel nunquam purum eſſe, ſed ordinario ſale vulgari nonnihil remixtum; hinc inſtillato etiam oleo vitrioli, vapor albicans valde mobilis adſurgit.

§. IV.

Moleculæ hujus ſalis valde ſubtiles ſunt, et illud proinde promptiſſime in quovis liquore aqueo, tantaque inſuper quantitate, ſolvitur, ut aquæ uncia una, obſervante B. HOFFMANNO *(a)*, integram ſalis unciam in poros ſuos recipiat. Si ſolutioni huic ſaturatæ ſpiritus vini infunditur, confeſtim in maſſam ſtabilem, et, inſtar glaciei, firmam, coagulatur. A laudata ac plane inſigni ſolubilitate concluſionem ad eminentem pariter in corpore penetrabilitatem formare licebit: Salia enim, quæ prompte et notabili quantitate in pauca aqua ſolvuntur, vaſcula minima capillaria præ reliquis ſubire, permeare, et ideo in partes remotiſſimas penetrare valent.

§. V.

Militat amaricans hoc concretum ſalinum inter tutiſſima ac præſtantiſſima medicamenta

(*a*) Vid. Obſ. Phyſico-chym. ſelect. p. 125.

ta *laxantia*, *abſtergentia*, *incidentia*, *ſtimulantia*, *aperitiva* et *diuretica*, et ſeſe igitur in multis morbis chronicis, maxime autem in febribus intermittentibus, paſſione hypochondriaca, cachexia vulgari et icteritia, intumeſcentiis glandularum, incipiente hydrope aſcite, nephritide pituitoſa, refractariis obſtructionibus hepatis, lienis, uteri, meſenterii &c., aſthmate pituitoſo, podagra *(a)*, aliisque adfectibus arthriticis inveteratis, catarrhis, ac ſingulis morbis reliquis, a ſpiſſa ac mucida humorum indole oriundis, magnopere commendat. Purgandi fine ab uncia dimidia ad unciam unam præſcribitur; ſin eodem autem humores viſcidos ſolummodo attenuare, ſolida ſtimulare, et urinæ excretionem promovere medico placuerit, minor doſis ſufficit, et alia remedia congrua cum hoc ſale miſcentur. Notatu cæteroquin dignum eſt, adſumto hoc ſale, et præcipua evacuatione alvina jam abſoluta, murmura ventris aliquamdiu, et per integrum plerumque diem reliquum, immo noctem inſequentem, adhuc perdurare; manifeſto documento, ſalem hunc laxandi ſcopo, adeoque quantitate majori propinatum, inteſtina vivide ſtimulare, et adeo motum periſtalticum excitare, ut tam cito, poſt ſalis irritantis, et impuritatum ejectionem, ad naturalem ordinem redire nequeat. Multis quidem diuturnum hoc mo-

X 3 tus

(a) Conf. Satyr. Med. Sileſ. Specim. V. Obſ. 9.

tus periſtaltici augmentum diſplicet, non contemnendam nihilominus utilitatem corpori præſtat, quoniam eo mediante flatus diu retenti expelluntur, et humorum circuitus per vaſa meſeraica, et viſcera imi ventris liberior atque vegetior redditur.

CAPVT VI.

DE SALE CAROLINARVM.

§. I.

SAL MEDICINALE THERMARVM CAROLINARVM ex cryſtallis magnis, oblongis, pellucidis, albiſſimis, conſtat, quæ deguſtatæ ſaporem mixtum, h. e., lixivioſum, amaricantem, et nonnihil quoque refrigerantem nitroſum linguæ imprimunt. Dolendum ſaltem, quod cryſtalli non adeo durabiles ſint, ſed ſucceſſive, præſertim aeri liberiori ſæpius in apertam ſcatulam admiſſo, in tenerrimum ac candidiſſimum pulverem, absque ullo tamen deliquio, fatiſcant. Præparatio hujus ſalis ita ſeſe habet: Pro una vice mille circiter libræ vulgares aquæ fervidæ, ex ſcaturigine illa, quam, ob furioſam aquæ proruptionem, den Brudel vocant, hauſtæ, in catina ferrea, ſuper igne colloca-

ta,

ta, usque ad cuticulæ apparentiam, inſpiſſantur, et muria inſpiſſata, præmiſſa filtratione, aeri frigidiuſculo exponitur, ut cryſtalli ſalinæ in ea concreſcant. Liquor, poſt primam cryſtalliſationem ſuperſtes, de novo inſpiſſatur, et ad cryſtalliſandum reponitur, atque toties hic labor reiteratur, donec ſal in fundo amplius in cryſtallos coire renuat. Cryſtalli, prima vice concretæ, majori albedine atque nitore, quam ultimæ, gaudent, et conjunctim ex indicata aquæ quantitate ordinario tres ſalis ſicci libræ colliguntur: Unde etiam conſtat, unam aquæ libram circiter dimidiam drachmam ſalis continere. Muria, ſaponacea, et contactu pinguis, quæ, cryſtalliſatione penitus peracta, in fundo relinquitur, colore pollet aurantio, et ſapore quoque ſaturate lixivioſo, cum acidis tamen minime efferveſcit, ſpiritum vini autem, in quo ex parte ſolvitur, ſapore cauſtico imbuit. (*a*).

§. II.

Facile hoc ſal ad ignem mediocrem fluit, et prompte pariter, ac magna quantitate, in aqua ſolvitur: Una quippe aquæ calidæ uncia drachmas decem et ſcrupulos duos, et æqualis aquæ frigidæ quantitas drachmas ſex

 et

(*a*) Conf. D. NICOLAI BORRIES Diſſ de Sale medicinali Carolinarum, ſub B. HOFFMANNI præſidio ann. 1734. Halæ habita.

et ſcrupulum unum in poros ſuos recipit. Non ſimplex quoque, ſed compoſitum concretum ſalinum eſt, et ex *ſale medio*, et *ſale fixo alcalico*, quod poſterius plus, quam dimidiam partem, conſtituit, mixtum reperitur. Nam 1.) ſolutio hujus ſalis aquoſa, addito ſyrupo violarum, illico viridem colorem induit, 2) ſal ipſum cum oleo tartari, per deliquium parato, nullum plane, cum adfuſis acidis autem, tam fortioribus, quam mitioribus, vividæ effervescentiæ motum ſubit, et 3) cum ſale ammoniaco trituræ beneficio probe ſubactum, non tantum ſponte liqueſcit, ſed mixtura etiam odorem volatilem penetrantiſſimum, a ſale urinoſo, per alcali fixum ſub trituratione avulſo, oriundum, emittit. Partes ſalſæ, quæ alteram partem conſtituunt, et cryſtalliſationem hujus ſalis poſſibilem reddunt, ex *acido vitriolico* et *principio terreo-ſalino-alcalico* compoſitæ ſunt; hinc ſal laudatum maſſam quoque, hepati ſulphuris æmulam, largitur, quando cum ſexta parte pulveris carbonum miſcetur, et in crucibulo funditur.

§. III.

Uſus medicus hujus ſalis ampliſſimus eſt, quoniam ob mixtas particulas alcalicas, et ſalſas, non tantum *antacida*, ſed egregia pariter virtute *purgante*, *incidente*, *attenuante*, *ſtimulante*, *abſtergente*, *aperitiva*, *diuretica* atque

que *diaphoretica* donatum eſt, et cum inſigni proinde fructu, æque ac ſal Ebshamenſe, in plerisque morbis chronicis, ex ſaburra acido-pituitoſa, ſpiſſitudine ſanguinis ac lymphæ, et pertinaci viſcerum atque organorum ſe-et excretoriorum obſtructione naſcentibus, exhiberi poteſt. Allegari inprimis hoc loco merentur febres intermittentes, adfectus ventriculi, et inteſtinorum flatulenti, cachexia ſimplex et icteritia, obſtructio glandularum meſeraicarum, hydrops humidus adhuc recens, hemicrania chronica, aſthma pituitoſum, et cachecticum, ſuppreſſio menſium ac hæmorrhoidum, et fluor albus mulierum, in quibus creberrime pridem egregium auxilium præſtitit. Alterandi fine, a drachma dimidia ad integram, purgandi vero ſcopo, apud adultos ab uncia dimidia ad drachmas ſex, in aqua tamen prius ſolutum, propinatur.

* *

CAPVT VII.

DE

SALE AMARO SEDLIZENSI ET SEIDSCHVZENSI.

§. I.

Sal sedlizense et seidschvzense, quoad originem, naturam ac vires,

 per-

perfecte conveniunt, immo, unum idemque ſal exhibent. Utrumque ex aqua amara, quæ in *Bohemiæ* pagis vicinis *Seidlitz* et *Seidſchütz* ſcaturit, quæque magna copia ad exteros, partim in doliis, partim lagenis evehitur, ſimplici evaporatione et cryſtalliſatione paratur. Quævis aquæ libra binas ſalis enixi drachmas continet, ac, præter iſtud, nullum aliud principium minerale activum in ſinu ſuo reconditum gerit. Cryſtalli albicantes, ſplendentes ac parvulæ ſunt, et tam amaro pollent ſapore, ut adſumentibus nauſeam creent; nullam a calido aut frigido aere mutationem patiuntur, ad ignem difficilius, quam ſal Carolinarum fluunt, dimidiamque ponderis partem, æque ac ſal amaricans Ebshamenſe, ſub aquoſi vaporis forma amittunt, et paullo tardius quoque, atque minori quantitate in aqua calida ac frigida ſolvuntur. Nam uncia una aquæ ſimplicis calefactæ unam duntaxat unciam, et aquæ frigidæ quantitas æqualis drachmas quinque, et ſcrupulos duos hujus ſalis recipit.

§. II.

Quoad principia ſal Sedlizenſe valde analogum eſt *ſali mirabili* GLAVBERI, dum itidem ex *acido vitriolico*, et *principio terreo-ſalino-alcalico* ſalis communis componitur. Vitriolicam acidi indolem maſſa, hepati ſulphuris ſimillima, oſtendit, quæ naſcitur, quan-

quando hoc ſal cum ſufficienti pulveris carbonum, et ſalis tartari quantitate in crucibulo funditur. Quoad partem nihilominus vulgari vitriolico paullo levius ac volatilius eſſe videtur: Addito enim vitriolo, ad rubedinem calcinato, ſub deſtillatione, aut calcinatione in crucibulo aperto, primo vapor ſpirituoſus adſurgit, qui cum ſpiritu ſalis multa communia habet, et poſtea quoque aliqua ſpiritus vitrioli volatilis portio expellitur; quæ largior acidi inhærentis avulſio neutiquam ſuccedit, quando hoc ſal per ſe, et abſque additamento vitriolico, deſtillationi ſubjicitur, ſed phlegma duntaxat, primo inſipidum, tandemque nonnihil ſaltem acidulum, tranſcendit. Valde terrea denique principii alterius natura ex variis experimentis innoteſcit: Aquoſa v. g. hujus ſalis ſolutio, inſtillato oleo tartari per deliquium, in ſpiſſum coagulum lactei coloris mutatur, et ex *magneſia Romana* et ſpiritu vitrioli ſal purgans amarum, Sedlizenſi non adeo diſſimile, concreſcit, immo, terreum ſedimentum poſt ſolutionem in aqua pura fontana remanet.

§. III.

Sal Sedlizenſe quoad modum operandi cum ſale Anglicano quidem convenit, fortiorem tamen actionem in corpore exercet, et paullo minori proinde doſi, v. g., purgandi fine, ab uncia dimidia ſolummodo ad drachmas

chimas ſex, exhibetur. In plerisque morbis chronicis, qui impuritati ac ſpiſſitudini humorum, ut et cruditatibus primæ culinæ mucidis, pituitoſo-acidis, bilioſis ac putridis originem debent, proficuum eſt, et egregie inprimis adpetitus, atque digeſtionis vitiis opitulatur; ut nihil dicam, de eximia ac fere ſpecifica ejus virtute in malo hypochondriaco, cachexia virginum, a refractaria fluxus menſtrui obſtructione oriunda, in purpura chronica ſcorbutica, vermibus inteſtinorum, nephritide pituitoſo-ſabuloſa &c. Præſtat tamen ſalem hunc in caſibus nonnullis, ubi humores ſalinis quoque impuritatibus ſcatent, in copioſa aqua ſimplici pura ſolvere, ut impuritates memoratæ eo melius diluantur, certiusque ac largius per organa excretoria excludantur. Dudum enim multiplex monſtravit experientia, ipſam aquam amaram Bohemicam majores plerumque vires, quam ſal inde eductum, exſerere. Notatu quoque dignum eſt, quod tres drachmæ ſalis, naturali ſuo ſolventi aqueo adhuc inhærentis, et ſub diffuſiori hac forma propinati, majorem effectum, quam quatuor vel quinque drachmæ jam ſeparati et ſeorſim exhibiti, edant.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE BORACE.

§. I.

BORAX, *Baurach*, ſive *Chryſocolla alba*, eſt albidum, compactum, fixum atque cryſtallinum concretum terreo-ſalinum minerale, quod alumen et ſal gemmæ forma externa valde æmulatur, et ſaporem, ex lixivioſo, terreo, atque ſubſalſo mixtum, poſſidet.

§. II.

Vera hujus ſalis origo a medicis ac chymicis nondum ſatis explorata eſt, et adhuc incertum exiſtit, an inter naturalia, an artificialia producta militet. Nonnulli quidem perhibent, in India orientali certam chryſocollæ, vel lapidis nitroſi ſpeciem effodi, et inde ſingulari calcinatione, ſolutione in aqua, coctione, et cryſtalliſatione demum ipſam boracem præparari (α): Verum enim vero, relata

(α) „In India orientali, PAVLVS HERMANNVS in „*Cynoſura Mat. med. p. 318. ſcribit*, eruuntur ex „fodinis terræ nitroſæ, quæ leviter calcinatæ in „pulverem tritæ coquuntur affuſa aqua, vel lixi„vio forti, hinc exponuntur, ut concreſcant in „cry-

relata adhuc indigent probatione, ac vero, me ſentiente, parum ſimilia ſunt. Si prima enim materia boracis locum inter vera foſſilia obtineret, nec quicquam aliud, quam memoratæ operationes chemicæ, ad ulteriorem præparationem eſſet neceſſarium, nullo prorſus modo concipere poſſem, cur completa præparandi methodus chemicos, de detegendo hoc artificio admodum ſollicitos, adhuc lateret. Olim ſolis Venetis præparatio ſalini hujus concreti nota fuit, et ideo borax etiam ordinario borax Veneta dicitur, poſtea autem Batavis quibusdam conficendi, aut depurandi artificium pariter innotuit, et noſtra igitur ætate major quantitas a Batavis, quam Venetis, ad alias gentes transmittitur.

§. III.

Eandem incertitudinem circa veram naturam, et principia conſtitutiva deprehendimus. Nam, licet ſapor ſalinus, et forma cryſtallina, maxime autem efferveſcentiæ defectus, quando acida aut alcalia adfunduntur, de natura ſalina media plana adferant teſtimonia, in clara tamen luce minime poſitum eſt, an acidum vitriolicum, an vero culinare aut nitroſum, itemque an completum ſal alkali fixum

„cryſtallos, quæ rarius in India ulterius præparantur, ſed huc locorum translata ulterius ſolvuntur, cryſtalliſantur, donec pelluciditatem adipiſcantur.

fixum, an terra duntaxat alcalinæ indolis mixtionem ingrediatur. Si locum interea conjecturis, chemicis tamen rationibus non prorſum deſtitutis, concedere velimus, ſtatuere omnino licebit, boracem ſal medium valde terreum eſſe, ex *pauco acido vitriolico*, *pauca ſubſtantia unguinoſo-inflammabili*, *copioſa terra alcalina vitreſcibili*, et *multa* pariter *aqua*, quæ in unica boracis libra civili ſeptem propemodum uncias pondere æquat, conflatum. Nam 1) exiguam acidi, boraci inhærentis, portionem nullum acidum, ut ut graviſſimum ac potentiſſimum, multo minus ſolus ignis ſiccus, expellit, 2) borax in igne ſpumeſcendo expanditur, fluorem atque reductionem metallorum promovet, et, cum ſale tartari deſtillata, aquam pinguem, unguinoſam, et ſaponaceo ſapore præditam, largitur, 3) ſolutio boracis aquoſa varias ſolutiones metallicas, et minerales præcipitat, aurantiumque colorem ſolutioni mercurii ſublimati inducit, ſyrupum violarum viridem reddit, e ſale ammoniaco pauxillum urinoſi exturbat, et ſapore inſuper nonnihil lixivioſo gaudet, et 4) borax poſt phlegmatis expulſionem primo in calcem albiſſimam, in aqua iterum ſolubilem, tandemque, ipſa accedente fuſione, in vitrum, quod novam in aqua ſolutionem respuit, mutatur.

§. IV.

§. IV.

Borax ſolidas corporis partes, quod ex remiſſiori ſapore cognoſcere poſſumus, non adeo valide quidem ſtimulat, vaſa nihilominus, ac fibras muſculorum motrices blanda actione ſua ad fortiorem contractionem egregie excitat, et humorum, impetum inprimis facientium, influxum atque circuitum vegetiorem reddit; hinc efficaciſſimum quoque atque ſpecificum remedium in obſtructione menſium, ſuppreſſione urinæ, partu difficili, et placentæ uterinæ retentione deprehenditur, præſertim, ſi eidem in caſibus poſterioribus crocus orientalis, cinnamomum, ſuccinum et ſimilia, in dyſuria, iſchuria et calculo autem pulvis cochinillæ, millepedum præparatorum, aliaque adpropriata, decenti quantitate, adduntur. Locum pariter inter moderata aphrodiſiaca obtinet. Datur in pulvere, a granis aliquot ad drachmam ſemiſſem, ſcrupulos duos, immo drachmam integram, et refracta quoque doſi variis aliis compoſitionibus, v. g. potiunculis, bolis, electuariis &c., miſcetur.

CAPVT

CAPVT IX.

DE SALE AMMONIACO.

§. I.

SAL AMMONIACVM, Salmiack, quod etiam ſal *Hammoniacum*, *Ammonium*, *Cyrenaicum*, *Armeniacum*, *Armoniacum*, itemque *Sal arenæ* et ſic porro vocatur, eſt albidum, ſplendens, cryſtallinum, ac volatile ſal neutrum, valde acri et ingrato ſapore ſalſo-urinoſo præditum.

§. II.

Scriptores veteres ac multi pariter neotericorum ſal ammoniacum in *nativum* atque *factitium* dividunt, et prius quondam in Armenia, nec minus in Cyrenaico Africæ deſerto, maxime circa templum *Jovis Hammonis*, et alibi, in arena, camelorum urina largiter conſperſa, a ſole generatum fuiſſe, immo, hodienum ſimili modo generari, perhibent: Attamen inutilis plane atque ſuperflua hæc diſtinctio eſt, quoniam verum atque completum ſal ammoniacum, quale in Officinis proſtat venale, noſtris non minus, quam priſcis temporibus, locum ſuum unice inter producta artis obtinuit, nec unquam nativum, vulgari ſimile, in ullo terrarum angulo repertum

tum fuit, etiamſi MAVRITIVS HOFFMANNVS tale quid in regno *Neapolitano* prope *Puteolos*, in loco, ob ſulphureos, quos eructat, fumos, *Solfatara* dicto, ſeſe inveniſſe referat (*a*). Formæ externæ enim atque ſaporis ſimilitudine ſine dubio deceptus fuit, et flores ſalis marini, per ignem violentum ſubterraneum ſublimatos, vel aliud concretum analogum, quod, ob raritatem et quantitatem exiguam, ulteriori examini ſubmittere noluit, pro vero ſale ammoniaco habuit.

§. III.

Noſtro ævo, magna quantitate in *Ægypto* paratur, nec dubitandum eſt, quin antiquisſimis quoque temporibus ibidem copioſe pridem paratum fuerit. Referente nimirum *Domino* LE MAIRE, qui Cairi aliquamdiu Conſulis Gallici muneri præfuit, non tantum *Damiræ*, ſed etiam *Cairi*, et in duobus aliis *Deltæ* oppidis, e fuligine ſublimatur, quæ in ductibus caminorum, in quibus maſſæ ſeu placentæ orbiculares, e ſtramine, et jumentorum ſtercore, probe invicem ſubactis, paratæ, comburuntur, et in hiſce regionibus, ubi maxima lignorum penuria eſt, ad cibos coquendos adhibentur, colligitur. Lagenæ vitreæ, in quibus ſublimationem ſuscipiunt, tormenta bellica globoſa (Bomben) externa ſua forma æmulantur; colli longitudo

(*a*) In Act. Laborat. chymici Altorf. p. 199.

do pedem dimidium, ſventris capacitas ſeu potius diameter pedem integrum cum dimidio æquat. Luto extrinſecus obductæ, fuligine, ferme ad collum usque, replentur, ita, ut ſpatium vacuum quatuor duntaxat digitorum transverſalium remaneat; collum quoque vacuum relinquitur, et apertum. Quævis lagena ventricoſa loricata quadraginta circiter libras fuliginis capit, et ſex libras ſalis ammoniaci ſuppeditat. Furni, in quibus ſublimatio inſtituitur, quodammodo cum furnis piſtorum conveniunt, et in tegmine, ſeu parte ſuperiori fornicata multis aperturis ſeu foraminibus inſtructi ſunt. Foraminibus hiſce lagenæ memoratæ ita imponuntur, ut collum ſolummodo promineat, et ſpatia, lagenas et furni lapides intermedia, luto replentur. Quilibet horum furnorum ſedecim vitra ſublimatoria, et laboratorium quodcunque octo furnos continet; hinc in unico laboratorio, in 128. vitris, ſublimatio ſimul peragitur, et una vice 768. libræ ſalis ammoniaci colliguntur. Ignis in furnis hiſce per integros ſex dies, totidemque noctes conſervatur, et animantium ſtercoribus exſiccatis, ſtramine mixtis, alitur. Primo die per orificium colli apertum phlegma exhalando prodit; die ſecundo ipſa ſalis ammoniaci ſublimatio contingit, idemque collum lagenæ obſtruit; et die tertio non tantum ſublimatio amplius protrahitur, ſed elementa

quoque arctius uniuntur, et ſal perfectius redditur. Peractis hiſce, operarii, infra collum in ventre lagenæ, exiguum foramen, poſtea luto rurſus obturandum, faciunt, ut per intervalla, luto remoto, inſpiciendo explorare queant, an tota ſublimandæ materiæ moles evecta ſit, et ſal ipſum ad deſideratam perfectionem pervenerit. Tandem, ignem extinguunt, et placentas ſalinas e lagenis refrigeratis, et diffractis eximunt. (α) Quotannis, quod adhuc addendum eſt, in memoratis, ceterisque Ægypti laboratoriis ultra 2000. centenarii ſalis ammoniaci prædicta methodo conficiuntur.

§. IV.

Sic ſeſe *Mairiana* quidem relatio habet, certo nihilominus certius eſt, eandem, intuitu ingredientium, adhuc incompletam eſſe. Impoſſibile enim eſt, ex ſola fuligine oleoſo-urinoſa ſal medium ammoniacale ſublimari poſſe, ſed ejusmodi omnino corpus ſimul miſcendum erit, quod acido minerali tertio, ſive culinari, vel explicito, vel implicito, adeoque ſub operatione demum evolvendo, gaudet. PAVLVS LVCAS *(a)*, operarios ſal

(α) Sublimatione abſoluta, totum laborem peractum eſſe, haud credendum erit, ſed vero potius videtur ſimillimum, operarios exemtas placentas rariores, ſolvendo in aqua, ac rurſus coagulando, demum ad conſiſtentiam compactiorem, et formam nonnihil cryſtallinam deducere. Conf. NEVMANNI *Lect. de Sale ammoniaco p. 192. ſeq.*

(*a*) In der Beſchreibung ſeiner dritten Reiſe nach der Levante, p. 208.

ſal marinum addere teſtatur: Attamen, cum iſtud, absque congruo additamento, acidum ſuum in igne ſicco dimittere obſtinate renuat, ejus pariter relatio nondum exacta, atque completa deprehenditur, et dudum igitur *Excell.* POTTIVS (*a*) recte ſuſpicatus eſt, non ipſum ſal marinum ſuligini miſceri, ſed potius muriam ſemi-alcalinam, poſt depurationem illius, aut primam evaporationem ac cryſtalliſationem copioſe relictam: „De lixivio, „ſcribit, a coctione ſalis relicto non cry- „ſtalliſabili non ignotum eſt ex *Exc. Hoff- „manni Obſ. chymicis* p. 194; quod iſtud „Mutter-Sohle (etiam wilde Sohle) vocent, „difficilius ſit coagulabile, in aere delique- „ſcens, in ſpiritu vini ſolubile, ab oleo vi- „trioli coaguletur prodeunte ſpiritu ſalis, „quodque ab oleo tartari, vel ſale alcali coa- „guletur, et ſeparari poſſit in ſal durum (re- „generato ſimile) et terram albam, Magne- „ſiæ nitri æmulam. - - - - Sed quod ex „hoc magmate cum urinoſis perfectum ſal „armeniacum generetur, iſtud quidem ne- „mo hactenus, quantum ſciam, advertit, „et non incommodum foret, hoc experi- „mentum cum variis urinoſis ulterius proſe- „qui, ne cogeremur ſal hoc ex Ægypto ſem- „per petere, cum hac ratione utique, et hic „locorum facile parari poſſit, dum muria „hæc tanquam inutilis in Salinariis abjicitur,

 „nec

(*a*) In Obſ. et Animadverſ. de Sale communi p. 17.

„nec ejusmodi concreta, quæ ſale urinoſo „ſcatent, ubique deficiant: Auguror proinde, in locis Ægyptiis forte itidem ejusmodi muriam, ab exſiccatione, vel depuratione ſalis marini reſiduam, ab incolis ad ejus „fabricam adhiberi, ejusque rationem ab iis „vel occultari, vel, prout Mechanicis ſolenne eſt, ignorari, et pro puro ſimplici ſale „æſtimari &c.

§. V.

Præter *pingue* atque *volatile ſal alcalicum, acidum* quoque, et quidem præciſe *acidum minerale tertium*, quod naturaliter in ſale culinari hæret, ad perfecti ſalis ammoniacalis compoſitionem requiritur. Si eidem enim acidum minerale primum et ſecundum, vitriolicum videlicet et nitroſum, ſubſtituitur, nunquam ordinarium atque perfectum ſal ammoniacum ex unione reſultat, et concretum inde enatum igne violentiori facile iterum deſtruitur; vti hæc dudum GODOFREDVS experimentis chemicis comprobavit: Recepit nimirum unciam unam ſpiritus nitri, et drachmas quinque ſalis volatilis urinoſi, et mixta forti igne ê retorta deſtillavit; at nihil tranſcendit, niſi liquor limpidus atque inodorus ſalinus, et in retorta ſaltem macula relicta eſt, citra ullam ſalis ſicci ſublimationem. Deinde mixturam ex partibus octo ſpiritus ſulphuris, per campanam facti, et partibus $5\frac{1}{3}$ ſalis volatibus

tilis urinæ deſtillationi ſubjecit; verum, nihil quoque obtinuit, niſi liquorem alcalinum, et paucos flores, qui, inſtar farinæ, albi erant, et per ſe nullo plane modo in corpus ſiccum redigi poterant. Similia obſervavit, quum acidum aluminis et vitrioli cum prædicto ſale urinæ miſceret. *(a)*.

§. IV.

Proportio ſalis alcalici urinoſi, et acidi culinaris ita in ordinario ſale ammoniaco comparata eſt, ut prius quantitate longe ſuperet poſterius. B. FRID. HOFFMANNVS ex libra ciuili ſalis ammoniaci duodecim fere uncias, TOVRNEFORTIVS ex unciis quindecim uncias decem, NEVMANNVS ex libra una ultra tredecim uncias, immo GODOFREDVS ex æquali quantitate quindecim uncias ſalis urinoſi, ſeſe obtinuiſſe adfirmant. Indicatæ partis urinoſæ quantitates, præſertim poſteriores, tantæ ſunt, ut fidem relatis ſimpliciter nec adhibere audeam, nec denegare. Credo potius, fallaciam quandam ſubeſſe, et ſub operatione non meram eductionem, ſed novam pariter ſalis urinoſi productionem accidiſſe. Notandum quippe eſt, 1) diſſolvendo ſali ammoniaco plerumque alcali fixum addi, 2) in ſale ammoniaco, nondum nova ſublimatione depurato, mul-

(a) V. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1720. p. 249.

tum olei empyrevmatici, cujus inhæſionem detonatio cum nitro fluente prodit, hoſpitari, et 3) ſalia alcalia fixa, accedente ſubſtantia unguinoſo-inflammabili, maxime autem oleo empyrevmatico, in igne aut leni ſaltem calore facile quoad partem aliquam in urinoſum mutari. Quicquid interea ſit, pars urinoſa præ acida in hoc ſale prædominium obtinet, et inde quoque præcipua ratio petenda videtur, cur ſal ammoniacum integrum, citra ullam mixtionis ſuæ deſtructionem ſublimari poſſit. Volatilitatis quidem cauſſa ad acidum elementum nonnihil quoque redundat, primarium nihilominus ejuſdem fundamentum in copioſiſſima ſalis urinoſi inhæſione quærendum erit.

§. VII.

Sal ammoniacum, ſublimatione inprimis depuratum, ac volatilius redditum, inter potentiſſima *incidentia* et *abſtergentia* ſalina mediæ naturæ ſibi locum vindicat, et in pertinaciſſimis proinde viſcerum, aliarumque partium obſtructionibus chronicis, a muco tenaci et ſolidorum atonia oriundis, ſingularia meretur elogia. Specialius proinde in febribus intermittentibus, præſertim rebellibus quartanis, nec minus in vitiis adpetitus et digeſtionis, e larga cruditatum acido-viſcidarum collectione promanantibus, obſtructionibus glandularum, dura abdominis intume-

ſcen-

ſcentia apud infantes, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, aſthmate pituitoſo, cachexia, hydrope humido incipiente, ſuppreſſione fluxus menſtrui, urinæ, et ſic porro, cum fructu inſigni propinari poterit. Additur pulveribus, potiunculis, infuſis aquoſis et decoctis, immo, ſolum in aqua ſimplici ſolutum, a granis quinque ad ſcrupulum, quin drachmam ſemiſſem, exhibetur: Monendum tamen, ſic dictos flores, ſimplici ſublimatione parandos, longe minori ſemper quantitate, quam vulgare ſal ammoniacum, præſcribendos eſſe, quoniam activitate eminentiori pollent. Externe gargariſmata, in raucedine, laxitate uvulæ, tumore glandularum ſalivalium, angina ſpuria, et aphtis infantum benignis adhibenda, ingreditur, et interdum quoque melli roſarum, aliiſque unguentis ac linimentis, quæ ad ſordida ulcera depuranda præſcribuntur, modica quantitate additur.

SECTIO VI.

DE AVSTERIS STYPTICIS.

CAPVT I.

DE DIFFERENTIA ET NATVRA AVSTERORVM.

§. I.

Austera, acerba, ob primariam, qua pollent, virtutem *adſtringentia, conſtrictoria, ſtyptica*, dicta, intuitu diſtinctæ indolis genericæ, atque principiorum, in *terreo-gummoſa, terreo-reſinoſo-gummea, acido-terrea aluminoſa*, et *acido-metallica vitriolica* dividenda ſunt: Priora in regno vegetabili, poſteriora in regno minerali occurrunt.

§. II.

Principium, quod proprie auſterum atque ſtypticum vocari meretur, fixam obtinet indolem, nec unquam, citra mixtionis deſtructio-

tionem, in ſublime evehi poteſt; hinc hujusmodi etiam concreta, (ſi pauca quædam ê vegetantium cenſu, quæ ſimul ſingulari principio volatili, oleoſo-inflammabilis naturæ, gaudent, exceperis), nulla effluvia odorata ſpargunt, multo minus ſpiritus, aut aqvas deſtillatas, adſtrictoria, aliaque virtute medica inſtructas, reddunt. Præteritis quidem temporibus multæ aquæ deſtillatæ in officinas pharmacevticas introductæ fuerunt, quibus hodienum ab ignaris adſtrictoria virtus tribuitur; at, ſingulis debite penſitatis, manifeſtum eſt, aquam tranſtillantem, vel nullas plane particulas activas ſecum ducere, vel moleculas, ſimul ê quibuſdam tranſeuntes, non ſtypticæ, ſed alterius plane naturæ eſſe. Sic radix biſtortæ v. g. aquam deſtillatam prorſus inertem, radix tormentillæ autem odoratam quidem, nullis tamen particulis auſteris ac ſtypticis, ſed temperatis duntaxat balſamicis prægnantem, ſuppeditat.

§. III.

Styptica terreo- et metallico-ſalina primario quidem ê *terra minerali* aut *metallo*, et *acido graviſſimo* ac *potentiſſimo*, corroſionis beneficio unitis, componuntur, pauxillum nihilominus *ſubſtantiæ cujuſdam unguinoſo-inflammabilis* iisdem admixtum eſſe, obſervationes et experimenta nonnulla ſatis teſtantur. Ex vitriolo martis v. g., ad rubedinem

uſque

uſque calcinato, obſervante PATERSONIO HAIN *(a)*, aceto deſtillato tinctura ſanguinei coloris extrahitur, dulci, nec adeo acerbo, ſapore prædita, quæ, ad conſiſtentiam ſpiſſiuſculam deſtillatione redacta, oleum quaſi referebat, primo adſpectu nigricans, ſoli autem ac lumini obverſum, rubicundiſſimum, et acido-dulce, ita ut dulcedo, linguæ et faucibus impreſſa, diu inhæreret. Ex libra una et dimidia vitrioli uncias quinque hujus liquoris, quoad habitum externum oleoſi, obtinuit. Sub deſtillatione primo totum rubebat recipiens, et liquor rubicundus guttatim è collo retortæ deſtillabat. Circa hoc experimentum monendum eſt, 1) liquorem laudatum contactu quidem fuiſſe pinguem, nequaquam tamen perfectum oleum, 2) unitam ſubſtantiam unguinoſam non prodiiſſe ex ſolo vitriolo, ſed ſimul ex aceto, et 3) non ſimplicem hic, atque nudam contigiſſe ſeparationem, ſed novam pariter ſyncriſin, ita ut ex potenti vitrioli acido, et phlogiſto aceti liquor pinguis reſultaverit. Lucem quoque accendunt, et unguinoſi principii præſentiam in vitriolo probant experimenta, a GODOFREDO *(b)* quondam cum concreto hoc ſalino ſuſcepta. Duas ſcilicet libras vitrioli viridis

(a) Vid. Miſcell. Acad. N. C. G. ann. 2. Obſ. 117. in appendice.

(b) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1713. p. 225.

viridis martialis in ſ. q. aquæ ſimplicis diſſolvit, et ſolutionem filtratam ad cryſtalliſandum repoſuit. Cum cryſtalli concretæ rurſus ſolverentur, ſolutionem ſuppeditabant, quæ, exactis aliquot menſibus, rubrum induebat colorem, et linguæ ſaporem ſtypticum quidem, at longe moderatiorem, quam recens vitrioli ſolutio, imprimebat. In fundo ſat notabilis terræ flavæ portio præcipitata conſpiciebatur. Elapſo biennio, et humiditate paullatina exhalatione prorſus ablata, in fundo corpus vitriolicum viride, ac pulchre cryſtallinum remanſit. Cryſtalli jacebant in copioſo limo ſubtili cinerei coloris, et inter cryſtallos efflorefcentiæ quædam conſpicuæ erant, inſtar fungorum, coloris flaveſcentis, contactu pingues, quaſi butyraceæ, quæ, digitis compreſſæ, paullulum liqueſcebant. Hæc materia, aeri libero humidiuſculo per aliquot dies expoſita, in liquorem ex brunno rubrum atque unctuoſum, ſaporis tamen valde ſtyptici, diffluebat. Alio tempore cryſtallos vitrioli, radiis ſolaribus aliquamdiu expoſitas, in pulverem album, farinaceum, fixiſſimum, redegit, eundemque poſtea in ſ. q. aquæ pluvialis ſolvit, et ſolutionem, aliquot dies ad ſolem digeſtam, per filtrum trajecit; ſic terra quædam flava ochreacea, quæ crocus martis erat, in filtro relicta fuit. Solutio per chartam bibulam transmiſſa, ac rurſus ad ſolem evaporata, ex

parte

parte cryſtalliſata, ex parte in maſſam informem exſiccata fuit, ſuperſtite pauco duntaxat liquore rubicundo ſtyptico, contactu pingui. Liquorem hunc ſeparavit, et cryſtallos, una cum maſſa coagulata informi, denuo ad ſolem calcinauit, pulverem enatum aqua ſolvit, et ſolutionem filtravit; ſic iterum, præmiſſa ſolutionis digeſtione ad ſolem, terra ochreacea in filtro relicta, liquor pinguis rubicundus ſeparatus, et cryſtalli quædam genitæ fuerunt. Hunc laborem toties reiteravit, donec omne vitriolum in terram ochreaceam, et prædictum liquorem rubicundum, pinguem, ac ſtypticum, reſolutum eſſet.

§. IV.

Quemadmodum ſtyptica mineralia aluminoſa et vitriolica acidum gravisſimum et terram crudiorem mineralem, aut completum metallum in mixtione ſua fovent; ſic gummoſa, et gummeo-reſinoſa ſubſtantia in auſteris vegetabilis proſapiæ e *terra*, comparative *teneriori*, *pauca materia oleoſa*, aut ſaltem *unguinoſo-inflammabili*, et *acido* iſidem *leviori*, componitur. Binæ v. g. unciæ cum ſemiſſe *radicis tormentillæ* dederunt, cum eandem ex retorta, igne ſicco, per gradus aucto, deſtillarem, 1) *aquæ pellucidæ, debili odore* atque *ſapore empyrevmatico*, nequaquam tamen *ſtyptico*, præditæ, drachmas duas, 2) *liquoris*

quoris flaveſcentis, tandemque *brunni* unciam dimidiam et grana duodecim, 3) *olei empyrevmatici e brunno-nigricantis* circiter drachmas tres. *Caput mortuum terreſtre* pendebat unciam unam et drachmas duas. Liquor flavo-brunnus ſapore pollebat acido, et empyrevmatico, ac manifeſte cum alcalicis efferveſcebat, turbidus tamen reddebatur, atque lutoſus. Similia quoque eliciuntur e *radice biſtortæ*, *terra Caatchu*, et reliquis. Notari tamen debet, terram ſive ſuccum inſpiſſatum Caatchu ante deſtillationem aqua nonnihil humectandum eſſe; alias valde ſpumeſcit, ac vehementi expanſione ſua facile vaſa disrumpit. Ex unciis quatuor conjunctim tres circiter unciæ *liquidi aquei*, *acidi ſpirituoſi*, et *olei craſſi* ac *brunni* prodeunt. Remanet uncia una *capitis mortui terreſtris*, quod, aqua elixiviatum, grana duodecim *ſalis fixi alcalici*, ignis ſicci vehementia demum geniti, largitur: Oleum quoque jam aliquot guttulis *ſpirituoſo-urinoſæ indolis* remixtum obſervatur. (*a*).

§. V.

Solutiones aqueæ ſtypticorum vegetabilis proſapiæ, injecto pulvere, aut inſtillata ſolutione vitrioli martis, protinus colorem induunt rubentem, violaceum, nigrum, eundemque

(*a*) Conf. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1709. p. 293.

demque denuo amittunt, ac priſtinam recuperant pelluciditatem, quando decens olei vitrioli quantitas infunditur. Eadem pariter obſervantur, quoties ſolutioni vitrioli martis pulveres vegetabilium ſtypticorum, v. g. gallarum &c., aut eorum infuſa aquea adduntur. Abſolute autem vitriolum martiale requiritur; cum venereo enim memorata haudquaquam ſuccedunt, ſed, loco coloris nigri, flaveſcens, ac lutoſus ex hac miſcela reſultat. (*a*).

§. VI.

(*a*) Non perinde igitur eſt, an ſub *atramenti* confectione martiale, an venereum vitriolum recipere velimus, ſed martiale abſolute neceſſarium eſt. Ratio hujus phaenomeni mihi cæteroquin ſequens eſſe videtur: Quando ſolutioni aquoſæ vitrioli martis pulvis aut ſolutio adſtringens, v. g. gallarum, rad. biſtortæ, tormentillæ &c. miſcetur, acidum vitrioli confeſtim moleculas martiales deſerit, et terram poroſiorem pulveris ſtyptici adgreditur, eamque corrodit; particulæ martiales ex adverſo, non amplius ab acido ſolutæ, lente, ob texturam poroſam, præcipitantur, ſimul cum quibusdam reſinoſo-gummeis, quæ iis ſub præcipitatione tenacius adhæreſcunt, ita tamen, ut priores non penitus ad fundum deſcendant, ſed aquæ poris innatent, et ſic radios lucis tranſeuntes abſorbeant; unde color niger oritur. Memoratæ moleculæ martiales omnino leviores eſſe debent, tum ob texturam poroſiorem, præcedente corroſione inductam, tum etiam ob conſortium et adhæſionem partium reſinoſo-gummearum; et inde etiam fit, ut fundum non penitus petant, ſed in poris quaſi ſuſpenſæ hæreant. Negari interea

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ATQVE VIRTVTE AVSTERORVM.

§. I.

Generales horum medicaminum effectus in corpore animantium ad *aliquam fluidorum coagulationem*, et *fortem* inprimis *ſolidorum ad-et conſtrictionem* redeunt: Hinc ratio protinus manifeſta eſt, cur pharmaca hæc vaſa, nimium dilatata, rurſus coanguſtare, quin penitus nonnunquam occludere, et fluida juſto tenuiora reddita, aut in motum orgaſticum

nequit, atramentum in parte inferiori ſemper craſſius eſſe, atque majori tinctum nigredine, quam in parte ſuperiori, quoniam moleculæ martiales, quæ liquori ægre innatant, magis verſus fundum deſcendunt, et deſcendere nituntur. Inſtillata cæteroquin ſufficienti olei vitrioli quantitate, præcipitatæ particulæ martiales iterum ſolvuntur, reſtituitur vitriolum, in aqua ſolubile, diſparet nigredo, redit pelluciditas. Inde rationem diſcimus, cur maculæ atramentoſæ recentes vapore acido ſulphuris accenſi, ſucco citri &c. in linteis rurſum extingui queant. Acidum videlicet moleculas martiales, lintei poris immerſas, iterum ſolvit, et vitriolum reducit, quod poſtea facile aqua ſolvi ac elui poteſt. Relinquitur tamen

cum redacta, leniter temperare, incraſſare, adeoque decentem illis ſyſtaſin reddere valeant. Operatio eorum, quod addendum duco, mitior redditur, eademque non contemnenda roborantia evadunt, quando ſalinis incidentibus, et amaris abſtergentibus refracta ſaltem doſi adduntur.

§. II.

Locum igitur, rite tamen, opportune ac moderate uſurpata, inveniunt 1) in *morbis, a partium ſolidarum flacciditate oriundis*, cujus generis ſunt febres intermittentes, praeſertim quartanae, adfectus cachectici, oedematoſi,

men perſaepe macula flaveſcens, quae a quibusdam moleculis martialibus, tenacius inhaerentibus, partim etiam a ſtypticis reſinoſo-gummeis, quandoque relictis, derivanda eſt. Modo praedicto fortaſſis etiam color coeruleus oritur, quando ſolutio aluminis et vitrioli martis, partim ſibi relicti, partim ad rubedinem calcinati, cum ſolutione alcalico-reſinoſo-gummea, e ſanguine bovino exſiccato, et ſale tartari extemporaneo, vehementiſſimae calcinationis et exſiccationis beneficio, parata, miſcetur. Contingit tamen hic perfecta praecipitatio, et magiſterium pulchre coeruleum, vulgo *Ultramarinum animale* (Berliner-Blau) adpellatum, in fundo colligitur, ob eam ſine dubio rationem, quia alcali perfectum accedit, quod moleculis martialibus et terreis aluminoſis acidum ſuum penitus eripere, et ſibi arctiſſime adunare valet. Conf. Stahl. in Opuſc. phyſico-chym. p. 281, ſeq.

ſi, et cachectico-aſthmatici, nec minus prolapſus vaginæ, uteri, et inteſtini recti, raucedo, laxitas uvulæ et gingivarum, dyſuria ab atonia fibrarum renalium, herniæ, debilitas ligamentorum, poſt prægreſſas luxationes relicta &c., 2) in *excedentibus hæmorrhagiis*, quæ ſanguinis orgasmo et præternaturali tenuitati, nec non vaſorum laxitati aut rupturæ natales debent; 3) *in præternaturalibus profluviis ſeroſis*, materia corrupta tamen, maligna, morbifica, antea debite contemperata et educta, v. g. vomitu, cholera, diarrhoea, lienteria, coeliaca, diabete, fluore albo, incontinentia urinæ, gonorrhoea ſimplici, ophtalmia ſeroſa ſenum &c., et tandem 4) *in morbis ſolutæ unitatis*, vulneribus videlicet, ulceribus, rupturis, fracturis et ſic porro.

§. III.

Quum adſtringentia mitiora, tempeſtive tamen adhibita, ſolidorum flaccidiatem et atoniam corrigant, adeoque, præcipua motuum inſtrumenta confortando, ſolennem liquidorum circuitum et influxum accelerent, ſpiſſis pariter humoribus reſolvendis, et viſcerum, aliarumque partium obſtructionibus reſerandis (*a*) apta deprehenduntur, et ideo

 etiam

(*a*) Cauſſa obſtructionum præcipua, reſpectu partium ſolidarum, vel *ſpaſmus* eſt, vel *atonia*. Præſente hac

etiam in paſſione hypochondriaca, obſtructione hepatis et lienis, ictero chronico, ſuppreſſione urinæ, hydrope, aſthmate &c. non contemnendam ſubinde opem ferunt. Uſum tamen admodum circumſpectum, præſertim fortiora, poſtulant: Intempeſtive quippe uſurpata, non tantum in morbis prædictis, ſed multis quoque aliis plus noxæ adferunt, quam auxilii. Ab eorum uſu in ſpecie abſtinendum erit, 1) ubi materia virulenta, maligna &c. prius eliminanda eſt, vel excretio critica inſtat, aut jam præſens eſt (*a*), 2) in hæmorrhagiis, a refractaria vaſorum ac viſcerum

hac poſteriori, quæ perſæpe fibrarum flacciditati originem debet, humores lente per vaſa circulant, adeoque ſpiſſitudinem contrahunt, et poſtea, hinc inde ſubſiſtentes, obſtructiones pariunt. Non tollitur itaque obſtructio, niſi ſpiſſitudo humorum emendetur, hæc autem emendari, ac decens fluiditas reſtitui nequit, niſi ſolidis flaccidis compactior rurſus textura, ac robur reddatur. Utrumque, robur ſcilicet, et habitum compactiorem, adſtringentia, tempeſtive ac circumſpecte uſurpata, reddunt, et proinde decentem pariter circuli velocitatem, cum inde reſultante juſta humorum fluiditate, niſi proxime, tamen remote, reducunt.

(*a*) Quoties diarrhoeæ criticæ et dyſenteria, inprimis maligna, temere ab empiricis et medicaſtris per ſtyptica ſiſtuntur, toties corpus graviſſime læditur, ægri in majus præcipitantur periculum, et eorum plurimi imprudenti hac medela vita orbantur. Materia enim cauſtica ac virulenta, in dyſen-

rum obſtructione, ſpasmodicis membranarum contractionibus, circulo ſanguinis hinc inde ſufflaminato, plethora &c oriundis, et 3) in obſtructionibus, quae ſtricturae ſpaſticae ac convulſivae, vel etiam ſcirrhis, aliisque tumoribus duris natales debent. (*a*).

dyſenteria vi retenta, inteſtina violentius adoritur, et majorem eroſionem, atque inflammationem gangraenoſam, cui tandem lethalis ſphacelus ſuccedere debet, producit. In diarrhoeis quidem noxae mitiores metuendae ſunt, ſat gravia nihilominus ſanitatis incommoda inde naſcuntur, aeque ac in gonorrhoea virulenta, quando materiae ulceroſae excretio cohibetur, et peſſimum igitur miaſma altius in corpus penetrare cogitur; quae veritas, ſi prolixitas hoc loco placeret, et inſtituti quoque ratio poſtularet, multis exemplis ſpecialibus abunde probari poſſet.

(*a*) *Martialia*, praeſente paſſione hypochondriaca, nunc inter heroica et ſaluberrima remedia militant, nunc merito aeſtimanda ſunt pernicioſiſſima. Nam, in principio ſtatim oblata, quando ſpasmi vigent, et viſcerum obſtructiones, cum plethora ac circulo ſanguinis irregulari, aut penitus hinc inde ſufflaminato, adhuc praeſentes ſunt, forti, quam efficiunt, conſtrictione, ſpasmos exorbitantes, et obſtructiones augent, circuli libertatem magis tollunt, et hac ratione aſthma, tumorem atque duritiem ventris, quin ipſum hydropem, creberrime provocant. Educto autem per venaeſectionem ſanguine ſuperfluo, reſeratis etiam viſcerum obſtructionibus, ablatis penitus, vel no-

CAPVT III.

DE RADICIBVS TORMENTILLÆ ET BISTORTÆ.

§. I.

RADIX TORMENTILLÆ SYLVESTRIS, Tormentill oder Ruhr-Wurtzel, alias etiam *Radix Heptaphylli*, *Conſolidæ rubræ*, et ſic porro adpellata, eſt radix dura, nodoſa, pollicem craſſa, colore foris obſcure brun-

tabiliter tamen mitigatis ſpasmis, cum fructu inſigni, ad tollendam atoniam, ac robur reducendum, in uſum vocantur. Simile judicium de *cortice Peruviano* ferendum, qui ſummum omnino febrium intermittentium, præſertim quartanæ, remedium eſt, ſi tum demum exhibetur, quando humorum viſcoſitas emendata, ſaburra primæ culinæ reſoluta, et educta, ac viſcerum pariter obſtructiones per præmiſſa congrua remedia ablatæ ſunt. Nam tunicarum ac membranarum flacciditatem tollit, et, vegetiorem contractionem reſtituendo, motus naturales promovet. Contrarius effectus ſequitur, ſi intempeſtive, h. e., in principio, obſtaculis indicatis nondum remotis, propinatur, et prava pathemata, pertinacisſimas nempe obſtructiones hepatis, lienis, meſenterii, itemque oedema pedum, hydropem, aſthma, et ſimilia utplurimum ſupervenire, multiplici experientia comprobatum eſt.

brunneo, intus flavo-aut fuſco-rubente, ſapore moderate acerbo, et odore, ſi contunditur, aut cum aqua coquitur, inſtar foeni recentis, ingrate balſamico ſeu herbaceo donata.

§. II.

Præter *odoratas quaſdam particulas, inflammabilis proſapiæ*, quæ cum aqua alembicum tranſcendunt, eidemque debilem odorem herbaceum, ſimilemque ſaporem, nullo prorſus modo ſtypticum, communicant, *copioſum principium fixum terreo-gummoſum, paucis particulis reſinoſis remixtum*, poſſidet; hinc infuſum quoque aquoſum, inſtillata ſolutione vitrioli martis, illico nigrum colorem induit. Ex una radicis uncia drachmas duas et ſcrupulum dimidium extracti gummoſi puri, et pauca grana ſubſtantiæ reſinoſæ obtinui. Extractum inodorum gummoſum colore e rubro ac brunneo-nigricante, et ſapore valde adſtringente gaudebat, Cum iſtud rurſum aqua ſolveretur, et ſolutioni liquor fixus alcalicus infunderetur, turbida evadebat, ac multum terræ ad fundum dimittebat, quæ iterum tamen, inſtillata aqua forti, ſolvebatur. Ipſum quoque infuſum aquoſum, ante evaporationem, pelluciditatem, atque colorem brunneo-rubrum non adeo diu retinebat, ſed, brevi elapſo tempore, etiamſi debite fuiſſet filtratum, fiebat turbidum, et

colore bolum Armeniæ, vel lateres contuſos referebat, pelluciditatem tamen ac priſtinum colorem ſub evaporatione recuperabat; manifeſto documento, ſubſtantiam gummoſam valde terream eſſe, et hujus commatis partes craſſiores ſub ſolutione in aqua frigida quodammodo quidem partium unguinoſo acidarum conſortium deſerere, accedente nihilominus calore, arctius denuo cum iis combinari.

§. III.

Radix bistortæ maioris, ſeu *Radix Serpentariæ rubræ*, rothe Natter-oder Schlangen-Wurtzel, eſt radix oblonga, pollicem craſſa, tuberoſa quaſi, atque nonnihil geniculata, ſaporis intenſe auſteri, odoris nullius, coloris extrinſecus ſpadiceo-nigricantis, intus vero pallide rubentis.

§. IV.

Particulis volatilibus odoratis deſtituitur, quoad *fixa* autem *principia terreo-reſinoſo-gummea* cum radice tormentillæ convenit, præterquam, quod longe majori virtute adſtrictoria prædita reperiatur. Uncia una radicis, cum aqua ſimplici digeſta, infuſum brunneo-nigricans, intenſe ſtypticum, et illud poſtea extractum ſuppeditavit, quod tres propemodum drachmas pendebat, et colore e rubro-nigricante, jucunde ſplendente, maxi-

maximaque vi adſtrictoria donatum erat. Particulæ reſinoſæ, e reſiduo vini ſpiritu extractæ, vix aliquot grana pondere ſuo æquabant: Unde pateſcere opinor, principii reſinoſi nullam ſingularem habendam eſſe rationem, ſed virtutes hujus radicis primario ad gummoſum principium redundare.

§. V.

Radix biſtortæ inter *fortiſſima adſtringentia* referri meretur, tormentillæ autem radix paullo remiſſioribus in hoc paſſu viribus gaudet, et aliquam inſuper virtutem *diſcutiendi* obtinet. A plerisque quidem ſcriptoribus radices hæ in vomitu, diarrhoeis, fluore albo, dyſenteria, hæmoptyſi, aliisque profluviis præternaturalibus, tam ſeroſis, quam ſanguineis, nec minus in febribus intermittentibus, præſertim quartana (α) varioſis. morbillis, peſte, ceterisque febribus malignis, itemque in herniis, ulceribus, vulneribus &c. ſimpliciter commendantur: Verum, pro mea ſententia, in morbis indicatis, et ſimilibus non promiſcue, ſed admodum circumſpecte exhibendæ erunt, immo, in non-

 nul-

(α) Nonnulli medicorum radicem biſtortæ et tormentillæ cortici Peruviano viribus non diſſimilem judicant, et utriusque pulverem, cum extracto quodam amaro, v. g. abſinthii, trifolii fibrini &c. in pillulas redactum, in rebellibus febribus intermittentibus parem effectum edidiſſe teſtantur.

nullis, v. g. dyſenteria &c. nunquam fere cum deſiderata ſecuritate propinari poſſunt. In ejusmodi quippe caſibus ſolummodo locum inveniunt, in quibus medicus rationalis, debite prius exploratis veris morbi cauſſis, et præmiſſis præmittendis, valida ad-et conſtringentia, proprie talia, proficua non minus, quam neceſſaria judicat. Nullam ſufficientem quoque virtutis bezoardicæ rationem cognoſco, niſi ea forſan in leni fibrarum atque vaſorum conſtrictione, et in debili inſimul apud radicem tormentillæ diſcuſſione, indeque derivanda virtute diapnoica, fundamentum habeat. In malignis enim febribus ſolidorum contractio ordinario valde languida, et perniciosiſſimo fermento febrili expellendo impar, deprehenditur, adeoque moderata ac blanda conſtrictio non plane inutilis videtur. Cavendum ſaltem, ne inducta nimia conſtrictione, pori cutanei, et tubuli capillares magis occludantur, et certius ideo impuritates eliminandæ, in ſummam ægri perniciem, retineantur. Ingrediuntur tincturas, infuſa aquoſa et vinoſa, et biſtortæ radix ſubinde pariter inter pulveres recipitur, ita tamen, ut doſis aliquot grana non facile excedat. Externe in ulceribus, vulneribus, hæmorrhagiis, rupturis, fracturis, herniis &c. interdum uſum inveniunt, et decoctis atque infuſis travmaticis et ſtypticis adduntur.

* *

CAPVT IV.

DE CORTICE AC FLORIBVS GRANATORVM.

§. I.

CORTICES MALI GRANATI ſive *Pomi Punici*, Granaten-Schaalen, vulgo *Malicorium* dicti, ſunt duri, coriacei, nonnihil rugoſi, coloris extrinſecus e luteo-ſpadicei, intus flaveſcentis, ſaporis auſteri, odoris nullius. Maxime ad nos mittuntur ex *Hiſpania*, *Luſitania* et *Gallia*, in quibus regionibus uberrimus horum fructuum proventus eſt. Creſcunt quidem hinc inde in hortis noſtrarum quoque regionum mali Punicæ, aſt poma rariſſime, etiamſi arbores frigido tempore in hibernaculis collocentur, ad debitam magnitudinem, atque maturitatem perveniunt.

§. II.

Solo propemodum, eoque copioſo, *principio terreo-gummoſo* inſtructi ſunt: Una enim uncia dimidiam fere unciam extracti gummoſi, brunneo-nigricantis, ſplendentis, valde auſteri, inodori, et pauca duntaxat grana ſubſtantiæ reſinoſæ reddit. Infuſum aquoſum ſaturate brunnum colorem obtinet, et,

adhuc

adhuc calidum, debilem odorem ingratum ſpirat, qui poſt evaporationem tamen in extracto prorſus perit, ut ideo ſatis pateat, activa malicorii principia ſolummndo fixa terreo-gummoſa eſſe.

§. III.

Satis potenti *virtute adſtrictoria* pollent, et in ſingulis proinde morbis, in quibus adſtringentia, proprie talia, proficua cenſentur, in uſum vocari poſſunt. Nonnulli iiſdem ſingularem quoque virtutem anthelminticam tribuunt, quam ego tamen ſerio defendere vix audeo, quum parum rationis circa eam ſubeſſe videatur. Nam licet leniora adſtringentia, digeſtionis et chylificationis organa nonnihil roborando, aliquid ad minuendas cruditates putrido-mucidas, quæ vermibus inteſtinalibus nidum ac pabulum largiuntur, conferre valeant, nondum tamen proprie ita dicta virtus anthelmintica inde fluit. Exhibentur in infuſo et decocto, tam aquoſo, quam vinoſo, a ſcrupulo dimidio ad drachmam integram et ultra, et externe decocta ſtyptica, nec minus gargariſmata, collyria, et clyſteres adſtringentes ingrediuntur.

§. IV.

Cum corticibus granatorum, quoad indolem, principia activa, et vires medicas, conveniunt **BALAVSTIA** ſive **FLORES MA-**

LI PVNICAE, et iis igitur in caſu quocunque ſubſtitui poſſunt. Pertinent quoque huc GALLAE, quæ nunquam tamen ob principia terreo-reſinoſo-gummea rudiora, ac nimium ſtyptica, interne adhibentur, ſed ſaltem externe uſum inveniunt.

* *

CAPVT V.

DE TERRA IAPONICA.

§. I.

TERRA IAPONICA ſive CATECHV, ſiccitate, duritie, et reliquo habitu externo nonnihil quidem terrea concreta æmulatur, nullum tamen locum inter veras terras obtinet, ſed inſpiſſatus, induratus, nigricans, vel ex rubro-fuſcus, inodorus, valde auſterus, ſuccus vegetabilis, reſinoſo-gummeus eſt. Non naſcitur quoque, uti quondam medici ac pharmacopoei noſtrates crediderunt, in Japonia, ſed, teſtantibus viris fide dignis, ex adſtringentibus variarum arborum, maxime autem *acaciæ orientalis*, vel certius ſecundum HELLWIGII relationem (*a*), *arboris arecæ* ſeu *palmæ arekiferæ* ac *fauſeliferæ* fructibus, in *Cambodia*, *Coromandelia*, aliisque *Indiæ*

(*a*) In Miſc. A. N. C. G. ann. IX. et X. Obſ. 196.

diæ orientalis regionibus exprimitur, ad ſolem inſpiſſatur, et inde poſtea ad Japonenſes, ceterasque gentes transmittitur.

§. II.

Non unius ſemper, ejusdemque bonitatis eſt: Nunc quippe fruſta occurrunt puriora, quæ foris ſplendente colore ex ruffo-nigricante, intus e rubro-fuſco, vel itidem e ruffo-nigricante, gaudent; ac citius in ore liqueſcunt; nunc vero impuriora inveniuntur, multis recrementis terreis, aliisque remixta, et colore brunneo ac ſubrubente dilutiori, neutiquam ſplendente, prædita. Differentia hæc præcipue dependere videtur a præparatione: Alia quippe terra Japonica e ſucco, ſimpliciter ex fructibus memoratis expreſſo, alia, eaque ignobilior, ex infuſo aut decocto eorundem, inſpiſſando paratur.

§. III.

Maximam partem hoc concretum, præſertim purius, *gummoſæ indolis* eſt. Aqua ſimplex enim totam pene maſſam, adjuvante leni digeſtione, ſolvit, et *paucæ* duntaxat *particulæ reſinoſæ*, terreis impuritatibus mixtæ, relinquuntur, quæ vini demum ſpiritu ſolvendæ ſunt, et ſubinde in integra uncia terræ Japonicæ vix quatuor vel quinque grana pondere æquant: Notari tamen debet, ſpiritum vini rectificatiſſimum, vulgari methodo paratum,

tum, notabilem pariter quantitatem hujus terræ, ſi primum ſcilicet eidem ſuperfunditur, ſolvere. Infuſum utrumque valde ſtypticum eſt, intuitu tamen coloris aliquantulum differt, et ſpirituoſum colore ex rubronigricante ſaturatiſſimo, aquoſum vero obſcure brunno, ad nigrum nonnihil inclinante, tinctum conſpicitur.

§. IV.

Viribus *adſtringentibus* non minus, quam *antiputredinoſis* atque *travmaticis* terra Japonica ſeſe commendat, et frequentiſſime proinde ab Indiæ incolis ad fluxum alvi cohibendum, dentes firmandos, et corrigendas oris exulcerationes adhibetur. Apud nos inter valida adſtringentia et vulneraria militat, et in herniis inprimis, præſertim varicoſa, vacillatione dentium, tumore ac cruentatione gingivarum ſcorbutica, aphtis infantum, diabete, et vitiis ſimilibus proficua exiſtit. Ingreditur pulveres, electuaria, bolos, pilulas, tincturas, gargariſmata, emplaſtra, pulveres dentifricios, et liquores travmaticos. Per ſe ad pauciſſima duntaxat grana interne exhibetur.

CAPVT

CAPVT VI.

DE VITRIOLO.

§. I.

VITRIOLVM ſive CALCANTHVM aut *Chalcanthum* in genere eſt concretum minerale, metallico-ſalinum, ex *aqua*, *acido ſulphureo ponderoſisſimo*, et *terreo-metallicis*, nunc *martialis*, nunc *venereæ*, nunc *utriusque* &c. proſapiæ, *particulis*, acido, corroſionis beneficio, ſatis arcte unitis, compoſitum.

§. II.

Reſpectu coloris quinque vel ſex vitrioli ſpecies reperiuntur, nimirum *viride*, *coeruleum*, *ex viridi coeruleſcens*, *ex coeruleo-virideſcens*, *rubrum*, et *album*. Vitriolum viride, quod ex *acido memorato*, et *terra metallica martiali*, ſeu ferro, inflammabili ſuo principio plus minusve ſpoliato (*a*), componitur, vel pallide

(*a*) Accidit indicata principii inflammabilis ſeparatio etiam ſub vitrioli martialis mere chymici confectione: Quando pura enim ferri limatura in oleo vitrioli, aqua nonnihil diluto, ſolvitur, ſedimentum prodit nigricans, quod elutriatum verum ſulphur

pallide viride eſt, ut *vitriolum Romanum*, vel obſcure viride, aliquantiſper ad nigredinem inclinans, ut *Anglicanum*. In crucibulo calcinatum, primo gryſeum, deinde flavum, tandemque rubrum colorem adquirit, et aquoſa ejus ſolutio, injecto gallarum pulvere, confeſtim purpureo-nigricantem, immo, ſi major pulveris quantitas immiſſa fuerit, nigrum colorem induit. Rariſſime perfecte purum reperitur, ſed plerumque terra metallica venerea nonnihil remixtum eſt. Speciem conſtituit communiſſimam ac frequentiſſimam, et nonſolum in *Anglia*, et *Italia*, ſed magna pariter copia in *Bohemia*, *Sileſia*, *Saxonia*, *Haſſia*, *Suecia*, *Dania*, *Hiſpania*, *Hungaria*, *Tranſylvania* &c. e terris vitriolicis, pyritis et marcaſitis ſulphureis martialibus, et venereo-martialibus, mediante toſtione, calcinatione, extractione, evaporatione, coagulatione, aut cryſtalliſatione, præparatur (*a*). Si marcaſitæ videlicet nimium pingues ſunt, alibi ſublimationis ope in capacibus retortis ferreis, alibi mediante toſtione

phur exhibet, et cum mercurio vivo, adhibita certa encheireſi, in cinnabarim ſublimari poteſt. Magma hoc ferro nondum ſub ſulphuris mineralis forma inhæſit, ſed ſub corroſione demum ex ſubtili principio martis inflammabili et acido vitrioli generatur.

(*a*) Conf. Henkelii Pyritologia.

toſtione ſub coelo libero, prius ſuperfluo ſuo ſulphure orbantur, et, in magnos poſtea latosque acervos congeſtæ, per aliquot menſes in aere relinquuntur, ut vitriolum ſenſim effloreſcat. Acidum ſulphureum enim, inflammabili ſubſtantiæ antea involutum, nunc autem, poſt paullatinam ejus, ſub incaleſcentia inteſtina, vel citiorem, ſub violentiori toſtione, ablationem, evolutum, terram metallicam martialem, aut veneream promte adgreditur, eandemque corrodendo, vitriolum format. Succurrit aer, et nonſolum motu ſuo, et ſubtili humido pyritarum reſolutionem, et phlogiſtæ portionis exhalationem, et diſſipationem adjuvat, ſed aliquid etiam acidi introducit, ut ideo plus vitrioli generari queat.

§. III.

Vitriolum coeruleum ex *eodem acido ſulphureo*, et *terra metallica venerea*, ſeu cupro, inflammabili ſuo principio nonnihil orbato, conſtat, ac vulgo, ſolutionis, et cryſtalliſationis beneficio, e cupro, et oleo vitrioli, vel per cæmentationem quoque, ut vitriolum Cyprium vulgare, ex lamellis cupri, cum ſulphure pulveriſato ſtratificatis, vel ex cupro etiam, et pyritis conficitur. Aquoſa hujus vitrioli ſolutio, addito gallarum pulvere, turbida evadit, et pallide flaveſcentem ſeu lutoſum colorem conſequitur, ipſum quo-

quoque vitriolum, in crucibulo calcinatum, non perfecte rubrum, ſed in parte inferiori ex fuſco-nigrum, in parte ſuperiori ex flavo-rubentem colorem induit. Si, præter *acidum*, et *ferrum*, portio quoque *cupri* mixtionem vitrioli ingreditur, color e viridi et coeruleo mixtus, qualem in *Hungarico*, *Salisburgenſi*, et *Goslarienſi* obſervamus, oritur, ita tamen, ut pro differenti proportione martis, ac veneris modo viridis, modo coeruleus prædominium obtineat. Vitriolum *rubrum* martialis naturæ eſt, et ex viridi, mediante forti calcinatione, ab artifice, vel ab ipſa etiam natura in montibus ignivomis, inſtituta, naſcitur.

§. IV.

Album denique vitriolum *Goslariæ* e ſingulari minera ſaturnina, quæ Rammelbergiſches Bley-Ertz dicitur, et, præter plumbum copioſum, etiam cincum, cuprum, argentum, aurum, ſulphur, itemque, poſt ulteriorem præparationem, vitriolum, lapidem calaminarem, et terram ochreaceam continet, paratur. Minera hæc e monte Rammelsberg effoditur, et vitriolum, ſub prævia mineræ toſtione præcipue generatum, aqua extrahitur, lixivium, aliquamdiu in quiete relictum, et ſpontanea præcipitatione depuratum, in cacabis plumbeis coquendo inſpiſſatur, et poſt aliquam moram cryſtalliſatur. Cryſtalli

concretæ de novo leniter calcinantur, aqua ſolvuntur, lixivium, impuritatibus paullatim ſubſidentia ulterius liberatum, decantatur, evaporatur, tandemque in certis vaſis triangularibus, quibus poſt ſufficientem coagulationem infunditur, in ſolidas maſſas ſalinas exſiccatur. Albedinem ſuam maxime *cinci* ac *plumbi* admixtioni debet: Præter *acidum ſulphureum* enim et *aquam*, varia corpora mineralia, *ferrum* videlicet, *cuprum*, *cincum*, *plumbum* et *terra quædam cretacea*, qualem in alumine deprehendimus, mixtionem ejus ingrediuntur. Martiale et venereum principium facile redditur manifeſtum: Aquoſa enim vitrioli albi ſolutio, aliquamdiu in quiete relicta, ſenſim terræ ochreaceæ martialis portionem, quæ ſiccata magneti adhæret, ad fundum deponit, cinco autem præcipitata materiam dimittit, quæ, aqua edulcorata, ſpiritum ſalis ammoniaci ſub temporaria digeſtione colore coeruleo imbuit. Cinci, et plumbi præſentia paullo difficilius quidem demonſtratur, ex quibusdam nihilominus obſervationibus, et experimentis quodammodo innoteſcit. Aquoſa v. g. hujus vitrioli ſolutio, inſtar ſachari ſaturni, ſaporem ex dulci auſterum linguæ imprimit, et caput mortuum ejus, cum cupro tractatum, metalli flavi ſpeciem, orichalco, aut metallo *Robertiano* haud diſſimilem, producit. (*a*).

§. V.

(*a*) Conf. Neumanni Prælect. chem. p. 1828.

§. V.

Acidi corrodentis, et metalli corroſi proportio in diverſis vitrioli ſpeciebus notabiliter differt. Nam *vitrioli Cyprii venerei* libra una ex duabus circiter unciis cupri, unciis duabus, drachmis ſex, et granis quinquaginta ſex acidi ſulphurei, et unciis undecim, et drachma una aquæ componitur. In libra una *vitrioli martialis Anglicani* libra dimidia, et uncia dimidia aquæ, uncia una cum ſemiſſe acidi puri, et unciæ ſex terræ martialis metallicæ hærent, et compoſitionem denique libræ unius *vitrioli Goslarienſis* unciæ ſeptem aquæ, unciæ tres acidi puri, unciæ quinque ac drachmæ ſex ferri, et duæ drachmæ cupri, cui parum tamen cinci ac plumbi mixtum eſt, ingrediuntur. Notatu quoque dignum eſt, acidum tenacius cupro, quam ferro adhærere, et longe majorem proinde ignis gradum ſub deſtillatione vitrioli venerei, quam martialis, neceſſarium eſſe.

§. VI.

Quanquam varia, eaque præſtantisſima, medicamenta interna e vitriolis præparantur, quorum deſcriptio in ſcriptis chemicis, et pharmaceuticis quærenda erit, per ſe tamen, ob principia mineralia rudiora, et vires ſumme ſtypticas, immo, cauſticas, (quod poſtremum inprimis de vitriolo venereo valet), nunquam uſum internum inveniunt, ſi puriſſimum martiale, ſolutionis et cryſtalliſationis

ope e ferro et oleo vitrioli paratum, exceperis, quod *pulverem abſorbentem* WEDELII exigua quantitate ingreditur. Externe autem frequentiſſime inter pulveres, et liquores ſtypticos, collyria, emplaſtra, aliasque compoſitiones, in vulnerum hæmorrhagiis, ophtalmia ſeroſa, a fibrarum, ac tubulorum laxitate maxime oriunda, et morbis ſimilibus externe adhibendas, recipiuntur, immo, vitriolum album ſubinde medicamentis errhinis additur.

CAPVT VII.

DE ALVMINE.

§. I.

ALVMEN CRVDVM VULGARE ſeu ORDINARIVM, alias etiam *alumen rupeum* dictum, eſt concretum ſalinum minerale, candidum, ſplendens, cryſtallinum, intenſe auſterum, atque ſtypticum, ex *acido ſulphureo* ſive *vitriolico*, *phlegmate copioſo*, et *ſpecifica terra minerali limoſo-cretacea*, vel *lutoſo-calcaria*, aut rectius *argillacea*, compoſitum, ita tamen, ut ſola terra partem dimidiam, acidum vero et aqua conjunctim alteram ponderis partem dimidiam conſtituant.

§. II.

§. II.

Memorata aluminis elementa ſyncriſeos æque, ac diacriſeos ope redduntur manifeſta: Alumen quippe, ex retorta deſtillatum, primo *phlegma copioſum*, deinde *debilem liquorem aqueo-ſalino-acidulum*, tandemque *ſpiritum concentratum*, qui cum vitrioli ſpiritu convenit, in receptaculum transmittit, et in retorta *terram candidam* relinquit, quæ habitu externo terram cretaceo-calcariam æmulatur. Quando ſpiritus evocatus rurſus cum limatura martis, aut terris cretaceis, limoſis, lapide ſciſſili &c. corroſionis beneficio combinatur, in caſu priori vitriolum, in caſu poſteriori autem concretum ſalinum, alumini analogum, inde naſcitur. Terra, acido, extrema calcinatione in crucibulo, penitus ſpoliata, uti dictum, candidiſſima eſt, inſipida, et terris cretaceis ſimillima. Ex aluminis quoque mixtione hæc terra præcipitatur, quamprimum ſolutioni ejus aquoſæ oleum tartari per deliquium inſtillatur, et acidum cum alcali puro, excluſa terra, in novum ſal medium, tartarum nempe vitriolatum, concreſcit.

§. III.

Alumen vulgare et ordinarium in *Suecia*, *Anglia*, *Italia*, *Gallia* et *Germania* vel ex mineris terreo-ſalinis, vel lapideo-aut metallico-ſulphureis, vel terreo-ſalino-bituminoſis, prævia plerumque mineræ durioris, vel ni-

mium ſulphureæ calcinatione, aut temporaria expoſitione ſubdiali (α), aqua extrahitur, et deinde coctione, evaporatione, coagulatione, aut cryſtalliſatione ad corporis ſalini compacti, atque ſplendentis formam deducitur.

§. IV.

(α) Prope pagum *Schwemſel*, non procul ab urbe *Düben* in Saxonia, referente B. HOFFMANNO in *Obſ. phyſico-chym. p. 273.*, immenſæ latitudinis terræ bituminoſæ, trium vel duarum ulnarum profunditate, reperiuntur. Hæc terra nigricantis coloris, et ſaporis adſtringentis aluminoſi eſt, et in ignem injecta accenditur, ac fortem odorem foetidum, inſtar ſulphuris mineralis accenſi, ſpargit: Relicta poſt exuſtionem maſſa, ſpongioſa, inſipida, cinerei coloris eſt. Minera hæc eruta in ingentes ibi cumulos congeritur, qui libero aeri per menſem exponuntur; poſtea immittitur in dolia, aqua adfuſa ſal per aliquot dies extrahitur, tum lixivium, per canales, in plumbeos lebetes laboratorii ducitur, et coctio inſtituitur. Poſtea cum jam ad dimidiam partem inſpiſſatum fuit, ſolutio cinerum clavellatorum admiſcetur, ita mox vehemens, cum ſpumeſcentia, oritur ebullitio, et copioſus pulvis granulatim ad fundum ſecedit. Poſtquam omnia refrigerata ſunt, liquor ſupernatans flaveſcens removetur, et farina alba aluminoſa, in fundum dejecta, ſolvitur in aqua, ac denuo coquitur, et aqua probe ſaturata in magna dolia infunditur, quæ occluſa per aliquot ſeptimanas in uno loco perſiſtunt. Vaſis apertis, eorum lateribus ingentis magnitudinis, et figuræ octoedriæ cryſtalli appoſitæ cernuntur. Memorati acervi mineræ aluminoſæ, quod hoc loco addendum

§. IV.

Inter *valida adſtringentia externa* hoc concretum militat, et ſæpiſſime proinde liquores, epithemata, decocta, gargarismata, in vulnerum hæmorrhagiis, vacillatione dentium, ophtalmia, laxitate uvulæ &c. adhibenda, ingreditur, immo uſtum inter cathæretica, carni luxurianti ulcerum, vulnerum, fonticulorum &c. abſumendæ apta, locum obtinet. A quibusdam quoque interdum ad profligandas febres intermittentes interne, a ſcrupulo dimidio ad integrum, propinatur; aſt tutis, me ſentiente, atque ſelectis medicamentis internis nullo prorſus modo accenſeri meretur.

dum erit, accedente æſtu ſolis, ſponte accenduntur, et apertam flammam eructant, quam omni cura extinguere debent. Notabile interim eſt, quod minera iſta, ſale ſuo orbata, ſi rurſus in acervos congeritur, iidemque per integrum annum aeri libero exponuntur, de novo ſale aluminoſo imprægnetur, ut præparationi aluminis denuo, et quidem per tres annos, inſerviat. Unde patet, acidum ſulphureum non una vice evolvi, ſed ſenſim, per paullatinam ſcilicet ac blandam exhalationem, a ſuperflua ſubſtantia inflammabili liberari.

SECTIO VII.

DE ACRIBVS ALTERANTIBVS.

CAPVT I.

DE NATVRA ET DIFFERENTIA ACRIVM ALTERANTIVM.

§. I.

Cuncta hujus ſectionis ſimplicia, ſi cantharides exceperis, ex regno vegetabili deſumuntur, et recentia adhuc, præſertim raſa leviter, aut contuſa, tenerrimum emittunt halitum, qui in oculis non minus, quam naribus ſingularem titillationem, et dolorificum pruritum, cui confeſtim involuntaria illachrymatio, et largior muci confluxus, quin ipſa nonnunquam ſternutatio, ſuccedunt, excitat; linguæ præterea, nonnihil ſaltem manducata, ſubtilem, aſt valde penetrantem, ſaporem acrem, atque pungentem, vel purum omnino, vel aromatico, amaro, aut ſubdulci mixtum, imprimunt.

munt. Pulveriſata denique, et naribus attracta, validam vim errhinam, atque ptarmicam exſerunt, immo, cuti teneriori adplicata, pruritum, puncturam, ruborem, tandemque, præſertim fortiora, veſiculas, lympha turgidas, cum eminenti ardore, ſuſcitant.

§. II.

Duplici principio activo hæc pharmaca inſtructa ſunt, altero ſcilicet *fixiori*, altero *volatili*, *mobili*, *exhalabili*. Prius, docente ſcrutinio chymico, triplicis iterum generis eſt, in aliis videlicet *mere gummoſum*, in aliis *reſinoſo-gummeum*, aut *gummeo-reſinoſum*, et in aliis denique *gummeo-reſinoſo-oleoſum*, adeoque partim in menſtruo aqueo, partim in ſpirituoſo-inflammabili ſolubile; poſterius autem, exhalabile nimirum, oculos atque nares feriens, in quibusdam *ſalino-oleoſum* exiſtit, in aliis ſaltem *phlogiſto-ſalinum*, h. e., nullo oleo ſubſtantiali, ſed tenerrima duntaxat materia inflammabili, contemperatum.

§. III.

Memoratum *ſal acre*, partim intimius, ac arctius cum reliquis ſubſtantiæ gummoſæ, reſinoſæ, aut gummeo-reſinoſo-oleoſæ elementis combinatum, partim per motum inteſtinum perennem ſenſim evolutum, detritum, attenuatum, volatile redditum, et cum olei, aut inflammabilis ſubſtantiæ portione

te-

tenerrima arcte copulatum, non alcalico-urinoſæ, uti medicorum plerique hactenus crediderunt, ſed *acidæ indolis* eſt. Prioris ſententiæ patroni ad ſimilitudinem quidem, quæ hunc et ſpiritus ſalis ammoniaci, cornu cervi, ſimiliumque halitum intercedere creditur, nec minus ad ſpagirica quædam examina, aliaque experimenta, cum plantis hujus commatis, earundemque partibus ſuſcepta, provocant, et inter alia ſinapi ſemen, quod contuſum cum aceto efferveſcit, et, igne ſicco ac violentiori e retorta deſtillatum, teſte BOERHAAVIO (*a*), non tantum liquores, cum ſpiritu cornu cervi comparandos, ſed ſiccum pariter ſal volatile alcalicum ſeu urinoſum, cum acidis, tum per ſe, tum in laudatis liquoribus ſolutum, in fortem efferveſcentiæ motum ruens, in excipulum transmittit, probandi fine adducunt: Verum enim vero, parum allegata, me ſentiente, probant. Nam halitus plantarum acrium, uti alibi (*b*) pridem retuli, non convenit cum halitu ſpirituum urinoſorum, ſed illi potius valde analogus eſt, quem recens ſachari ſpiritus emittit. Noto quoque notius eſt, acida ſubinde etiam cum oleoſis, et ſpirituoſo-inflammabilibus liquoribus efferveſcentiæ motum ſubire, uti hoc videre licet, quoties ſpiritus nitri fumans, vel rectificatum vitrioli

oleum

(*a*) In Chimiæ Tom. II. p.m. 122.

(*b*) Sect. de Alcal. Volat. cap. 3. §. 6. ſequ.

oleum alcoholi aut oleis æthereis modica quantitate infunditur. Nulla præterea ratio, ſi ſemen ſinapi in naturali ſua mixtione ſal alcali gereret reconditum, foret manifeſta, cur contuſum aceto, debili, vappido, in corruptionem abeunti, integritatem redderet, et eminentiorem conciliaret acorem. Alkalia profecto acidas partes ſemper deſtruunt, et corruptionem magis promovent, quam cohihent, adeoque pulveriſata etiam ſinapi ſemina, ſi alcalico ſale revera eſſent inſtructa, non corrigendo aceto; ſed magis deſtruendo, idonea forent.

§. IV.

Severiorem adhuc cenſuram argumenta merentur, ab ipſis examinibus deſumta: Multa enim, immo pleraque, ſubjecta hujus cenſus, ſi rite fuerint tractata, non alcalicos, ſed acidulos liquores, qui ſpecificum halitum acrem adhuc ſpirant, emittunt, uti hoc luculentiſſime ex ſubjunctis deſtillationibus, et experimentis conſtat:

I. *Radix ſcillæ marinæ* jam vetuſtior, ſicca, et nonnihil quoque, uti moris eſt, toſta, ex retorta vitrea, arenæ balneo non adeo alte impoſita, ſubſtrato igne moderato, ac ſenſim aucto, deſtillata, in adplicatum excipulum ſucceſſive 1) *aquam pellucidam*, 2) *liquorem flaveſcentem*, 3) *liquorem brunnum*,

num, cui nihil prorſus olei innatabat, transmiſit, et in fundo retortæ *nigerrima at levis materia carbonaria* relicta fuit. Aqua limpida nondum manifeſta pollebat acredine, ſed ſaporem duntaxat, atque odorem nauſeoſum obtinebat, qui poſterior odori polentæ haud diſſimilis erat. Liquor flaveſcens, qui aquæ limpidæ ſuccesſerat, ſubtilem atque penetrantem odorem acrem, qui fortem ac vividam in naribus excitabat titillationem (ein Krüblen) ſpirabat, et linguæ acrem pariter, pungentem, et acidiuſculum ſaporem, immo, cuticulæ inſtillatus, puncturæ ſenſum, et maculam flaveſcentem, pertinaciter inhærentem, imprimebat. Cum ſalis cujusdam alcalici fixi ſolutione aquoſa mixtus, manifeſtum efferveſcentiæ motum provocabat. Liquor brunnus cum præcedente, quoad ſaporem et odorem, conveniebat, præterquam, quod halitum, nares ferientem, parcius emitteret, et acido ſapore priorem longe ſuperaret. Vehementiorem proinde efferveſcentiam excitabat, cum liquido alcalico infunderetur, immo, tam arctum cum moleculis alcalinis connubium ſubibat, ut die ſequenti perfectæ cryſtalli ſalinæ, ſaporis ſalſi, in conſpectum venirent. Ex capite mortuo, etiamſi fortiſſime adhuc in crucibulo aperto calcinatum fuiſſet, nihil amplius

amplius ſalis fixi educi potuit, ſed mera terra iners eſſe videbatur.

II. Raſura *radicis armoraciæ recentis*, deſcripta methodo deſtillata, ſucceſſive reddidit a) *aquam pellucidam odoris acerrimi* ac *penetrantisſimi*, qui æque, ac ipſa armoracia raſpata, fortem in naribus et oculis pruritum excitabat, b) *liquorem limpidum*, qui præcedenti quoad omnia ſimilis erat, præterquam, quod halitus pungens debilior eſſet, et empyrevma nonnihil redoleret, c) *liquorem flaveſcentem*, *odoris pungentis*, *empyrevmatici*, *ſaporis acris*, *ſubacidi*, ac paullulum pariter *empyrevmatici*, leniſſime cum alcalicis liquoribus efferveſcentem, e) *liquorem ſaturate flavum* atque *nonnihil rubicundum*, *odore valde nauſeoſo*, *empyrevmatico*, ac *leniter* ſaltem *acri*, nec minus *ſapore acidulo* præditum. Huic *exiguæ aliquot miculæ oleoſæ nigricantes* innatabant, idemque in longe fortiorem efferveſcentiæ motum cum mixtis liquoribus alcalicis ruebat. Relictum caput mortuum, quoad colorem, et proprietates reliquas, cum inerti ſcillæ reſiduo conveniebat.

III. Eadem propemodum, quæ radices ſcillæ et armoraciæ dederunt, etiam *radix ari recentius effoſſa*, ac ſimili deſtillationi ſubjecta, ſuppeditavit. Primo enim prodiit aqua

aqua pellucida, quæ acrem atque pungentem halitum eructabat: Huic ſucceſſit liquor, colore flaveſcente, magis paullatim magisque ad brunnum vergente, præditus, cui parum olei empyrevmatici ex brunno-nigricantis innatabat. Liquor hic, ſeparato oleo deguſtatus, debilem quidem ſaporem acidum linguæ, et moderate vellicantem, atque empyrevmaticum odorem naribus imprimebat, vivide nihilominus cum liquoribus alcalicis efferveſcebat. Caput mortuum nigerrimum, leve, atque inſipidum, nil, niſi terram inertem, ſiſtebat.

§. V.

Præcipuæ vires medicæ, quibus acria hæc ſimplicia prædita inveniuntur, a volatili principio phlogiſto-ſalino-acidulo derivandæ ſunt, et cum iſtud paullatina exhalatione valde imminuatur, ratio protinus manifeſta eſt, cur vetuſtiora, aut fortius poſt collectionem exſiccata, vel toſta, longe torpidiorem, quam recentia, operationem exerceant, nec ſingularem amplius, atque ſenſibilem halitum pungentem emittant. Apud pleraque nihiloſecius memorata virium imminutio neceſſaria reperitur: Dantur enim, quæ recentia, ob nimiam acredinem, et vellicationem impetuoſam, corpori noxam inferunt, et exſiccatione proinde ac diuturniori adſervatione, ut radix ari &c., vel ipſa etiam toſtione, ut radix

dix ſcillæ, neceſſario corrigenda, ac debilitanda ſunt. Temperatius quoque eorundem principium activum, in nonnullis pene cauſticum, redditur per addita mucilaginea, olea unguinoſa, nitrum &c. Priora enim partes acres nonnihil obtundunt, et involvunt, nitrum autem effectus noxios, quos acria violentiori actione ſua producere conſueverunt, mitigat.

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ATQVE VIRTVTE ACRIVM.

§. I.

Quanquam acria quævis, partim *ſolida viva elaſtica valide pungendo* ac *vellicando*, partim *fluida craſſiora paullulum incidendo* ac *commovendo*, operationem ſuam abſolvant, primario nihilominus ſpicula ſua, quod ex inſigni eorum, parva etiam quantitate exhibitorum, efficacia patet, in partes nervoſo-membranaceas vibrant. In calidum quippe ventriculum delata, non tantum volatile oleoſum, et acidulo-inflammabile ſpirituoſum principium, elapſo brevi tempore, dimittunt, ſed fixiorem quoque ſubſtantiam reſinoſo-gummeam,

adjuvante inprimis motu ventriculi periſtaltico, liquori gaſtrico communicant: Quare utriusque etiam principii particulæ, ante translationem ſuam in vaſa ſanguifera, et lymphatica, ventriculi tunicas, tum allidendo duntaxat, tum tenacius aliquamdiu adhærendo, ad vegetiorem contractionem puncturis ac ſtimulis, multoties iteratis, cogunt, et hac ratione adpetitum augent, digeſtionem promovent, et flatuum non minus, quam collectarum cruditatum discuſſionem, reſolutionem et expulſionem adjuvant.

§. II.

Actionem eandem, vel tamen valde analogam, laudatæ particulæ exercent, quamprimum, per vaſa bibula, partim inhalationis, partim filtrationis ope, ad humores circulantes delatæ, et per totam eorum maſſam diſſeminatæ, ad exilisſimos tubulos capillares, quorum parietibus acuta ac rigida ejusmodi corpuſcula ſub tranſitu non minus, quam temporaria hinc inde adhæſione, facilius, quam vaſis amplioribus, ſtimulos eminentes imprimere valent, perveniunt: Hinc non mirandum, quod, exigua etiam doſi oblata, vividum, ac ſubinde ſatis vehementem, generis nervoſo-vaſculoſo-membranacei contractionem excitent, et hac mediante non humores ſolum, ſi ſpiſſitudinem contraxerint, et ſtagnare incipiant, ad decentem fluiditatem,

et

et vegetiorem circulum reducant, ſed ſingulis quoque ſe-et excretionibus, vel imminutis ſaltem, vel plane ſuppreſſis, priſtinam libertatem reſtituant.

§. III.

Intenduntur memorati ſtimuli, et adplicati aculei altius imprimis in canalibus ſanguiferis, præſertim arterioſis, non tantum per ipſam vaſorum contractionem naturalem, ſenſim ſenſimque ſub acrium actione creſcentem, ſed per fluida quoque celerius provoluta, et fortius, ut cum BOERHAAVIO loquar *(a)*, arietantia, adiguntur. Valent itaque hoc loco, ſub debita tamen adplicatione, quæ LINDESTOLPIVS *(b)* de veneni acris operatione differit: „Ubi igitur, *inquit*, talis acredo per „vias dictas viſcerum, vel externa adplicatione, „aut morſu animalis venenati in corporis receſ„ſus pertingens, alicui canali ſanguifero in„ſinuatur, plures lineæ liquidi ſanguinei præ„terfluentis, in acrem exſtantem particulam „incurrentes, determinant actionem ejus in „unam partem, duoque ſic puncta fibræ mo„tricis diſtantia in propiorem contactum adi„gunt, unde convulſio oritur et contractio, „ita, ut quo vis liquidi incumbentis major „fuerit atque impetuoſior, quoque vis vitæ

 „ela-

(*a*) Vid. Tract. de Viribus medicamentorum in Proleg. Cap. 5. p. 24.
(*b*) Lib. de Venenis p. 41.

„elaſtica major et rigiditas, ac pertinacius in „aculeo robur, eo effectus ejusdem erit va„lidior, ferociorque. Non tamen hoc ſic ac„cipi volo, quaſi liquidis intra vaſa contentis „aliquis a me motus aſſignetur, qui ex ipſa „liquidi natura dependeat. Omnis enim, „quem liquida habent, motus, a motoribus „ſolidis dependet. Et vis illa incurrentium „liquidorum in ſpiculum acre, extra canalis „ſuperficiem eminens, debetur unice vi ac „robori contrahentium ſe ſolidorum, cordis „et arteriarum. Id tamen vere affimari pot„eſt, acria iſta, cujuscunque ſint indolis, „Mechanicæ, Acidæ, vel Alkalinæ in venis „ſive vaſis cylindricis, ab anguſto in latum de„ſinentibus, non tantam vim exſerere, quan„tam in conicis, contraria ratione, a lato in „anguſtum exeuntibus, ſive arteriis, exer„cent, propter majorem horum motum oſcil„latorium in motricibus fibris, incurſusque „liquidorum in venis ſenſim atque ſenſim „elangueſcentes; poſtquam anguſtos arteria„rum conos, venarumque exorientes cylin„dros pertranſierunt, acribus hac ratione in „tranquillius flumen delatis &c.

§. IV.

Ex adducta operatione generali ſpecialiores fluunt virtutes, *aperitiva* nempe, *reſolvens*, *attenuans*, *diuretica*, *pectoralis*, *antiſcorbutica* ac reliquæ omnes, quibus acria hujusmo-

modi inſtructa reperiuntur: Immo, inde pariter manifeſtum evadit, activa et heroica hæc pharmaca in iis præcipue morbis auxilium ferre efficaciſſimum, qui, præter ſolidorum atoniam et languidam contractionem, etiam humorum inertiam, viſcoſitatem, ac juſto tardiorem circuitum, quin ipſas ſtagnationes et ſtaſes, itemque vaſorum obſtructiones, et imminutas, aut plane ſuppreſſas quasdam ſe- et excretiones cauſſas agnoſcunt præcipuas; cujus cenſus v.g. ſunt adfectus ſoporoſi, apoplexia pituitoſa, paralyſis, coryza diuturna, cephalalgia catarrhalis, angina ſpuria, tumores frigidi glandularum, tuſſis pituitoſa, aſthma, catarrhus ſuffocativus, dyſorexia ac dyspepſia, a copioſius collecta ſaburra mucida, et acido-pituitoſa inprimis oriunda, icterus chronicus, febres intermittentes, præſertim quartana, refractariæ meſenterii, hepatis, lienis, uteri, atque vaſorum hæmorrhoidalium obſtructiones, nephritis ſabuloſo-pituitoſa, cachexia, tumores partium oedematoſi, ſcorbutus, et complures alii, quos pathologiæ gnarus facile determinare poterit. Silentio quoque prætermittere nequeo, acria medicamenta inter ſtimulantia *aphrodiſiaca* locum pariter obtinere, et, facta quoque cruoris extravaſatione, eximias plane vires reſolventes exſerere. Externe inter *ſtimulantia*, *rubefacientia*, *veſicantia*, *errhina*, atque *ptarmica* militant

§. V.

Acrium uſus vel plane exulet, vel eadem admodum circumſpecte, et parca quantitate, adhibeantur apud ſubjecta ſicca, calida, bilioſa, cholerica, fibris ſiccioribus, atque ſenſibilioribus prædita, nec minus apud plethorica, ne nimium in prioribus motuum incrementum, nimiamque humorum diſſolutionem, in poſterioribus autem, inducta nimirum vehementi commotione, exorbitantes, atque periculoſas hæmorrhagias, apoplexiam ſanguineam, et ſimiles adfectus provocent. Penitus pariter ab uſu eorum abſtinendum eſt in morbis calidis, ab orgaſtica humorum expanſione, tenuitate, fervida indole bilioſa, penuria ſeri blandi gelatinoſi, ſiccitate, atque ſtrictura partium ſolidarum, et motibus juſto fortioribus præcipue oriundis, nec minus in adfectibus quibusvis, qui hujus, vel illius partis eroſionem, muci naturalis meatuum atque canalium defectum, aut prægreſſam abſterſionem nimiam ſupponunt, uti v. g. ſunt dyſenteria, ſtranguria, inflammatio, atque eroſio ventriculi, et ſic porro.

§. VI.

Paradoxon, et dictis prorſus contrarium, videtur, radicem ſcillæ, ceu medicamentum acre fortiſſimum, etiam in aſthmate ſicco convulſivo nonnunquam opem tuliſſe præſentaneam;

neam: At, probe hoc loco conſiderandum erit, præſente hoc morbo plerumque in pulmonibus, ob circulum valde ſufflaminatum, ſtatum quaſi oedematoſum naſci, eidemque proprie, nec ipſi proinde aſthmati, profligando, ſciliam, et acria ſimilia inſervire. Conſentientem in hoc paſſu habeo B. SCHVLTZIVM, qui ſequentem in modum de ſingulari hac ſcillæ virtute ſcribit (*a*): „Aſthma, „quamcunque cauſſam habeat, liberum ſan„guinis per pulmones trajectum lædit, et „ipſi officit. Sub hoc difficillimo trajectu „enaſcitur aliquod quaſi oedema pulmonum, „ſecedentibus aquoſis fluidioribus partibus „ſanguinis, per ipſa latera venarum transſu„dantibus, et in veſiculis membranaceis cir„cum venas hærentibus, Si quis oculis ſuis „arbitrari hanc rem velit, facili negotio hoc „poterit, ſi arteriæ pulmonali aquam per ſi„phonem injiciat, aut flatum fortiter impel„lat. Videlicet brevi interjecto temporis „ſpatio circum vaſa ſeſe extollens, veſiculo„ſum quid, a lymphaticis vaſis diverſum, ma„gis ac magis turgeſcens: quod vix alio no„mine, quam oedematis particularis pulmo„num juſtius denotes. Id ſi maneat paroxyſ„mo aſthmatis ceſſante, non ſinit liberam re„ſpirationem reddi, et niſi expediatur, vel „novo paroxyſmo occaſionem, vel hydropi

(*a*) In Epiſt. gratulat., Diſſ. de Scilla marina, anno 1739. habitæ, annexa.

„pectoris anſam præbet. Exiſtimo itaque, „remedia illius generis ex ſcilla, antimonio, „nicotiana, colocynthide, elaterio, illum „effectum oedematis particularis removendo, „adeoque ipſius aſthmatis effectum, plus va„lere, quam aſthmatis cauſſas tollendo; adeo„que ad ſummam rei non pertingere: Uſu „tamen tempeſtive repetito, malum levare, „longioresque inducias facere, ut medico in„terim arcem cauſæ liceat impugnare &c.

CAPUT III.

DE RADICE SCILLÆ.

§. I.

Radix scillæ, Meer-Zwiebel, eſt radix bulboſa, e lamellis craſſis, ac valde ſucculentis compacta, quæ, æque, ac aliæ radices bulboſæ, in parte inferiori multas fibras craſſas emitit, et perſæpe capitis infantilis magnitudinem conſequitur. Lamellæ vel rubente, vel albicante colore gaudent, qui poſterior tamen poſt exſiccationem et toſtionem in albido-flaveſcentem mutatur. Sapor mucilagineus, acris, intenſe amarus, ac nauſeoſus linguæ diu inhæret pertinaciſſime, et largam ſalivæ excretionem provocat. Recens

cens atque contrita ſubtilem atque acrem odorem ſpirat, qui armoraciæ contuſæ, aut ceparum vulgarium inſtar, nares fortiter ferit, ac ſeri lachrymalis confluxum excitat (*a*); per exſiccationem vero tenerrimo hoc principio exhalabili maximam partem orbata, odore ſenſibiliori deſtituitur. Credibile pariter eſt, majorem volatilis, atque ſubtilis hujus ſubſtantiæ portionem cum phlegmate ſub exſiccatione, præſertim paullo fortiori, in auras abituram eſſe, niſi craſſa, qua ſcatet, mucilago multas particulas, altius ipſi involutas, retineret.

§. II.

Planta, quæ a Botanicis *Scilla*, itemque *Squilla*, *Cepa maritima*, *Ornithogalum marimum*, *Pancratium* et ſic porro vocatur, folia admodum craſſa habet, pedalis longitudinis, ſaturate viridia, ſucco viſcoſo, acri, amaro turgida, quæ quoad formam externam cum foliis liliorum alborum aliquam ſimilitudinem gerunt. In medio plantæ exſurgit caulis rotundus ac glaber, ad unius et dimidii pedis altitudinem; cujus apicem flores albi, vel ex albido-flaveſcentes, hexapetali, in ſpicis longa ſerie diſpoſiti, cingunt, quibus marceſcentibus, ac defluentibus capſulæ ſeminales triangulares, ſeu rectius, orbiculares ſuccedunt, in tres loculos diviſæ, quæ ſemina

 nigra

(*a*) Conf. Boerhaave in Chym. T. II. p. m. 122.

nigra recondunt. Sponte, ac ſine ulla cultura creſcit in locis humidis, maritimis, et uberrimus inprimis ejusdem proventus obſervatur per omnem oram mediterranei maris, præcipue autem in *inſulis Balearibus*, circa *Tripolim* in *Barbaria*, *Sicilia*, *Apulia*, *Luſitania* et *Hiſpania*; et hæc poſtrema regio in ſpecie eſt, quæ radicem hanc ad noſtros pharmacopoeos, et aromatarios mittit, unde etiam factum eſt, ut a noſtratium quibusdam *ſcillæ Hiſpanicæ* cognomine inſignita fuerit.

§. III.

Reſpectu coloris ſcillæ radix in *rubram* et *albam* diſtinguitur. Hæc, vulgo *ſcilla maſcula* nuncupata, rarioris proventus, et rarioris pariter in medicina uſus eſt, licet viribus priori, quæ *ſcilla foemina* dicitur, minime cedat. Utraque, ob ſucci aqueo-mucilaginei abundantiam, ad corruptionem putredinoſam proniſſima reperitur, et recens venenata prorſus acredine pollet; hinc ante translationem in regiones exteras exſiccatione,

(a) „Scilla, VALENTINI in *Hiſt. ſimplicium reformata Lib. II. ſect. 2. cap. 34.* inquit, vehementer calidæ exſiccantisque naturæ eſt, tantæque „acrimoniæ, ut manibus ſe crudam, recentemque „tractare volentibus veſiculas inurat. Quæ cauſa „eſt, quamobrem recens a quibusdam viroſa habeatur, propatereaque in fruſta inciſa, et in aere „ſiccanda putetur, quo aliquid acrimoniæ deperdat ante, quam trahatur in uſum.

tione, ac leni toſtione indiget. Ordinario eam in clibano leniter aſſant, vel maſſæ panis involvunt, et, nonnihil in furno aſſatam, denuo eximunt, purgant, in laminas dividunt, atque penitus exſiccant. Veteres, uti DIOSCORIDES (*a*) teſtatur, nonſolum memoratas, ſed etiam alias præparandi methodos obſervabant: „Plurimos, „loco citato ſcribit, habet cremata (ſeu re„ctius aſſata) uſus: ideoque cruſta ex paneſi„cio, et opere piſtorio, aut luto involvitur, „involutaque in furnum conjicitur, aut carbo„nibus obruitur, donec circumlita cruſta illa „abunde toſta ſit. Quod ſi amota cruſta illa, „nondum cocta penitus, ſcilla tenerior facta „flacceſcet, nova ex panificio et piſtorio ope„re cruſta aut luto circumlita, iterum cre„mabitur: quæ enim ſic cremata non fuerit, „gravi periculo, præſertim interraneis da„bitur. Torretur hæc ipſa etiam in opercu„lato fictili, in furnum conjecta. Sumitur „ex ea, abjectis extimis cunctis partibus, „quod maxime intimum eſt. Coquitur ea„dem conciſa etiam, effuſa priore aqua, no„vaque ſuperinfuſa, usque dum neque ama„ritudo, nec acrimonia in aqua ſentiatur. „Siccatur in umbra etiam, in taleolas ſecta „ſcilla, tum funiculo trajecta ſic, ne taleolæ „invicem ſe tangant, per intervalla ſuſpen„ditur. Utimur ſic ſecta et ſervata ſcilla, ad „oleum,

(*a*) In Operib. p. m. 305.

„oleum, vinum, acetumque, quæ a ſcilla „ſcillitica nominantur &c.

§. IV.

Fovet hæc radix in naturali ſua mixtione triplex principium activum, nimirum 1) *volatile, pungens, phlogiſto-acidulum (a)*, 2) *fixum, valde acre, urens, et intenſe amarum, gummoſum ſive mucilagineum*, et 3) *fixum reſinoſum, magno pariter amaritie et acredine præditum.* Gummoſum reliqua quantitate longe ſuperat, et in uncia radicis ſiccatæ una ultra ſex drachmas adſcendit, reſinoſum ex adverſo, a parte mucilaginea perfecte ſeparatum, aliquot duntaxat grana pondere æquat. Infuſum aquoſum pallide flaveſcens eſt, intenſe amarum, acre, et particulis mucilagineis, quæ, ſaponis inſtar, manuum impuritates abſtergunt, valde refertum. Sub evaporatione odorem emittit, odori raparum coctarum, aut potius radicis apii hortenſis latifolii eſculenti haud diſſimilem. Extractum inſpiſſatum colore flaveſcente quidem, ad bruneum tamen nonnihil vergente, odore ferme ut rob ſambuci, nec ingrato, et ſapore ſumme amaro et ſimul acri urente pollet. Infuſum ſpirituoſum aurei coloris eſt, et, præter ingentem amaritiem, urentem prorſus acredinem linguæ ac faucibus imprimit. Easdem proprietates extractum poſſidet, præ-

(a) Vid. Sect. hujus Cap. 1. §. 4.

præterquam, quod colore brunneo donatum ſit.

§. V.

Quando extractum gummoſum in retorta vitrea, arenæ balneo impoſita, deſtillationi ſiccæ ſubjicitur, primo copioſa *aqua*, pellucida, inſipida, odoris nauſeoſi, deinde *liquor*, flaveſcens, acidulus, acris, exhalationibus ſuis nares feriens, tandemque *liquor* brunnus, eminentiori acore præditus, prodeunt. Superiori retortæ parti fornicatæ, ut et collo materia fuliginoſa ex brunno-nigricans adhæret, quæ oleum empyrevmaticum exſiccatum forma externa æmulatur. Caput mortuum, quod adhuc dimidiam ferme deſtillatæ mucilaginis partem pondere æquat, materiam ſiſtit nigram, poroſam, friabilem, ſplendentem, et contactu nonnihil pinguem, odoris non ingrati, fere ut caput mortuum, a ſpiritus ſachari deſtillatione reſiduum. Igne paullo fortiori in aperto crucibulo calcinatum, fumos eructat, et interdum flammam concipit, tandemque, exhalatione prorſus ceſſante, terram quidem adhuc nigricantem, inodoram tamen et plane inſipidam, relinquit.

§. VI.

Salina alcalia quidem, neutiquam vero acida, uti multi hactenus crediderunt, amaritiem,

ritiem, acredinem, reliquasque ſcillæ proprietates mutant. Nam, quoties hæc radix aqua alcaliſata infunditur, infuſum præbet brunnum, leni duntaxat amaritie præditum, et extractum, inde evaporando paratum, non amari amplius et acris, ſed ingrati lixivioſo-amaricantis ſaporis, et odoris nauſeoſi eſt. Sin eadem vero aceto deſtillato digeſtionis ope extrahitur, infuſum prodit, coloris brunneo-flaveſcentis, ſubtilis odoris aciduli, et ſaporis ſatis amari, et incidentis. Simili ſapore etiam extractum pollet. Unde diſcere poſſumus, acetum, ſuccum citri, et ſimilia minime, ſecundum vulgarem opinionem, adæquatum ac verum ſcillæ corrigens eſſe.

§. VII.

Præcipua ſcillæ virtus, quod ex præmiſſis manifeſtum eſt, in gummoſa igitur, ſive mucilaginea parte, volatili principio valde adhuc turgida, latet, eademque, debite in corpore humano, vel extra illud ſoluta, maxime impetum facit in ſolida elaſtica, et, impreſſis ſtimulis fortioribus, non tantum contractiones antea torpidas denuo vegetiores, ſed, iis quoque mediantibus, liquidorum circuitum celeriorem reddit, adeoque efficaciſſime ſtagnationes et ſtaſes eorum tollit, humores ſpiſſos ac mucidos diſſolvit, ſe-et excretiones promovet, et potentisſime vaſorum ac viſcerum obſtructiones reſerat, ſi juſto

ſto ſcilicet tempore, juſta doſi, et ſub debitis circumſtantiis exhibetur. Valent itaque memorata ſolummodo de uſu congruo, et circumſpecto: Intempeſtive enim, aut nimia doſi ægris exhibita, noxios edit effectus, et, veneni acris, ac cauſtici inſtar, motus impetuoſos, ac plane convulſivos, vomitus enormes, et ſimilia provocat.

§. VIII.

Egregiam inprimis, et ſpecificam omnino opem hoc medicamentum præſtat in adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, epilepſia cacochymica, catarrhis refractariis, paralyſi, catarrho ſuffocativo, aſthmate tam pituitoſo, et cachectico, quam ipſo etiam ſicco convulſivo (a), nec minus in tuſſi chronica rebelli, cachexia vulgari et icteritia, hydrope aſcite nondum inveterato, leucophlegmatia, oedemate membrorum, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, obſtructionibus pertinaciſſimis hepatis, lienis, vaſorum meſeraicorum, menſium, hæmorrhoidum, febre quartana, ſanguine extravaſato, ac congrumato, ſcorbuto, et morbis ſingulis, qui atoniam ſolidorum, aut fluidorum inertiam, viſcoſitatem, impuritatem acido-tartaream, indeque reſultantes ſtagnationes, ſtaſes, et juſto ſegniorem circuitum cauſſas præcipuas agno-

(a) Conf. hujus Sectionis Cap. 2. §. 6.

agnoſcunt (*a*). Notari tamen debet, uſum illius evadere tutiorem, ſi eidem blanda laxantia præmittantur, et ſaburra primæ culinæ debite prius educatur. Neglecta enim hac cautela, heroicum hoc remedium, una cum commotis ventriculi impuritatibus, magnas in corpore turbas excitat, et plus ſæpe nocet, quam prodeſt.

§. IX.

(*a*) „Additur, DIOSCORIDES *l. c. ſcribit*, ſcilla potionibus, medicamentisque, quæ rarefaciendo „ſint. Daturque his, in quibus urinam ciere vo„luerimus. Facit ad cutem ſubeuntes aquas: „ciborum in ſtomacho incontinentiam: et ſto„macho innatantes cibos. Prodeſt ſuffuſis felle, „torminibus, diutinis tuſſibus, ſuſpirioſis, ægre „rejicientibus, quos Græci anaphoricos dicunt, „trium obolorum pondere cum melle in eclegma„te. Coquitur eadem cum melle etiam, ſumi„turque in cibo ad eadem, concoctionem præci„pue adjuvans. Glutinoſa per alvum ducit. Eli„xa itidem iisdem pariter ſumta prodeſt: caven„da tamen, nec danda his, quibus exulceratum „interaneum aliquod erit. Inunguntur cremata „utiliter perniones et verrucæ &c. Legi etiam merentur, quæ B. FRID. HOFFMANNUS in *Diſſertatione de Ægro aſthmatico uſu radicis ſcillæ ſublevato, ut et in Medicina Syſt. rat. Tom. IV. Part. III. Sect. II. Cap. 2. Obſ. 2.*, nec minus *Clariſſ.* D. WAGNERUS in peculiari libello, ſub *Obſervationum Clinicarum* titulo ante novem circiter annos edito, aliique complures, quorum BARTH. ZORNIUS in *Botanologia medica p. 618.* mentionem fecit, de eximia ſcillæ virtute tradiderunt.

§. IX.

Olim ſolummodo *acetum*, *oxymeli*, ac *vinum ſcilliticum* in praxi uſum invenerunt, quoniam medici, additamentis hiſce vim ſcillæ cauſticam mitigari, ac emendari, credebant. De oxymelite ſcillitico hoc concedendum eſt, ob additas partes dulces mucilagineas, acribus obtundendis et involvendis aptiſſimas: an verò etiam de aceto ſcillitico ſimpliciter valeat, dubitare omnino licebit, quoniam, docente experimento ſupra allegato, principium acre acidum aceto neutiquam debilitatur, ſed nonnihil ſaltem phlegmate abundante diluitur, atque diſtrahitur; quare, doſi majori oblatum, tam potenter procul dubio, quam ipſa radix, in pulvere, aut infuſo aquoſo propinata, operabitur. Acetum datur a drachma una ad unciam integram, et oxymeli ab uncia ſemiſſe ad unciam unam, immo duas; majori enim doſi data, vomitum concitant. Sin ſcillam vero in infuſo aquoſo, aut pulvere, quod noſtra ætate valde quoque ſolenne eſt, præſcribere placet, ſufficiunt in caſu priori grana 3. 4. 5. 6., in poſteriori autem tria, vel quatuor. Adduntur ordinario, præſertim in pulvere exhibendæ, radix vincetoxici, et nitrum, ita ut tria, vel quatuor ſcillæ pulveriſatæ, quinque, ſex, vel octo grana nitri depurati, et ſcrupulus unus, vel dimidius radicis vincetoxici conſuetam pro adulto doſin conficiant.

* *

CAPUT IV.

DE RADICE ARI.

§. I.

Radix ari ſive aronis, Aron-Wurtzel, teutſcher Ingwer, eſt radix rotunda, nucem avellanam magnitudine circiter æquans, ſubſtantia alba farinacea, et ſapore, præſertim recens, valde acri pungente prædita. Planta, quæ duplicis generis eſt, et *Arum vulgare* vel *maculatum*, vel *non maculatum* dicitur, in locis paluſtribus, aut humidis, atque umbroſis ſylveſtribus creſcit. Quo humidior, atque umbroſior locus natalis eſt, eo acrior etiam radix deprehenditur. Folia plantæ reſpectu acredinis parum a radice differunt, rarius tamen in uſum vocantur.

§. II.

Ex quadruplici principio hæc radix componitur, nimirum *ſubtili terreo farinaceo, reſinoſo, gummoſo*, et *tenerrimo* atque *volatili phlogiſto-ſalino-acidulo*. Principium poſtremum, cui acredo eminentiſſima radicis recentis præcipue in acceptis ferenda eſt (*a*), parti

(*a*) Infuſum radicis ari ſylveſtris, jam vetuſtioris, cum ſpiritu vini factum, ſubflavi coloris eſt, odore

parti reſinoſæ majori, gummoſæ minori copia immerſum hæret; hinc prior etiam linguam ac fauces paullo vehementius, quam ſola gummoſa, urit, pungit, vellicat. Uncia una radicis vix ſedecim grana ſubſtantiæ puræ reſinoſæ, et binas ferme drachmas ſubſtantiæ gummoſæ continet. Oleum ſubſtantiale empyrevmaticum, quod ſub deſtillatione ſicca radicis prodit, in mixtione utriusque ſubſtantiæ fixæ latet, et, recepta una ſaltem radicis uncia, circiter ſcrupulum unum vel grana viginti quatuor pendet. Principium volatile atque ſpirituoſum ſub exſiccatione diuturniori maximam partem inſenſibiliter avolat, et radix proinde ſenſim ſenſimque mitior, adeoque uſui ſecuriori aptior redditur. Cavendum tamen, ne fortior exſiccatio nimium protrahatur: Nimis vetuſta enim, aut juſto fortius exſiccata, ob plenariam principii pungentis jacturam, acredinem, et cum acredine vires ſuas medicas prorſus amittit. Simile

re ſolum menſtruum prodit, et moderato ſaltem, valde tamen ſubtili, ſapore acri gaudet. Extractum flavum, leniſſima inde evaporatione paratum, in principio ſubdulcem duntaxat ſaporem linguæ imprimebat, et lenioris ardoris ſenſus poſt aliquam demum moram in palato ac faucibus excitabatur: Unde ſatis patet, eminentem hujus radicis acrimoniam unice, uti dictum, particulis acribus volatilibus, quæ ſub evaporatione maximam partem exhalando abeunt in auras, adſcribendam eſſe.

etiam judicium de ſic dicta *Fæcula* ferendum erit, quæ, ſub expreſſæ partis liquidæ atque ſubtilioris exſiccatione, activa portione volatili maximam partem orbatur, ac valde iners redditur.

§. III.

Radix mediæ ætatis, modice exſiccata, neque vetuſta nimis, neque nimium recens, et ſimplici ſaltem tritura præparata, tutum non minus, quam activum remedium eſt, quod maxime in partes ſolidas ſtimulando agit, et iterata punctura contractiones earum, antea nimium tardas ac torpidas, iterum ſuſcitat; unde fit, ut craſſi pariter ac viſcidi humores ad motum vegetiorem, et decentem fluiditatem, immo, ſe et excretiones ad priſtinum vigorem, ac libertatem redeant. Jure igitur inter præſtantiora *aperitiva*, *ſtomachalia*, *pectoralia*, *diuretica*, *lithontriptica*, et *antiſcorbutica* locum obtinet, et ſpecifice inprimis in vitiis digeſtionis et adpetitus, quæ ſaburræ pituitoſæ, et languidæ tunicarum contractioni originem debent, nec minus in febribus intermittentibus quotidianis, et quartanis, aſthmate pituitoſo, cachexia vulgari, et icteritia, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, adfectibus catarrhalibus, ac frigidis rheumaticis, fluore albo, ſcorbuto, et morbis pluribus, recenſitis quoad cauſſas plus minusve

nusve analogis, prodeſſe conſuevit. Datur, prædicto tamen modo præparata, in pulvere, a granis aliquot ad ſcrupulum dimidium et ultra, immo perſæpe inter morſulos, rotulas, electuaria et infuſa vinoſa recipitur. Externe ulceribus impuris venereis, ſcorbuticis, aliisque, abſtergendi, mundificandi, et exſiccandi fine, ſubinde inſpergitur, dum terrea inprimis ſubſtantia farinacea humidum acre ichoroſum egregie imbibit, abſorbet, et extinguit, et pars acrior reſinoſo-gummea abſtergit, atque putredini reſiſtit. *Fæcula*, quæ in Officinis proſtat, parum utilitatis, uti antea pridem dictum, in corpore ſpondet, quoniam ſolam terram teneriorem, pauciſſimis duntaxat particulis gummeo-reſinoſis remixtam, exhibet.

* *

CAPVT V.

DE RADICE PIMPINELLÆ ALBÆ ET PYRETHRI.

§. I.

RADIX PIMPINELLÆ ALBÆ, ſive SAXIFRAGÆ MAIORIS, *umbella alba*, weiſſe Biebernell- oder Pfeffer-Wurtzel, eſt radix tenuis, hinc inde, maxime autem ex capite

craſſiori, fibras minores emittens, coloris albicantis, ſaporis acerrimi. Nullo quidem odore gaudet, recens tamen contrita, halitum inviſibilem emittit, qui nares, et oculos notabiliter ferit, adeo, ut liquidum lachrymale, et feroſo-mucida narium humiditas largius exprimantur. Planta, quæ a Botanicis etiam *Tragoſelinum, Apium hircinum*, itemque *Petroſelinum hircinum* vocatur, in pratis, vineis et campis arenoſis creſcit, et paſſim quoque in hortis colitur. Plures dantur ſpecies, quarum radices deſcriptæ radicibus multo ignobiliores ſunt, et rarius proinde in cenſum medicaminum veniunt.

§. II.

In naturali hujus radicis mixtione, præter inertes *partes terreas* rudiores, *principium activum gummoſum, reſinoſum, oleoſum*, et *phlogiſto-ſalinum halituoſum* reperitur. Subſtantia reſinoſa, quæ in una radicis uncia circiter drachmam dimidiam pondere æquat, ſubſtantiam gummoſam, quæ quantitate quinquies propemodum majori inhæret, acredine, ac fervida indole longe ſuperat; quare in ea quoque, et ſociato principio oleoſo, atque tenerrimo phlogiſto-ſalino-acidulo præcipua radicis virtus quærenda erit. Oleum eſſentiale æthereum, quod majori adhuc acredine, quam pars reſinoſa, donatum eſt, non facile ſeorſim obtinetur, niſi notabilis radicis,

eis quantitas humidæ deſtillationi ſubjiciatur, et volatile denique principium phlogiſto-ſalinum acidulum, quod ſingulis ſubſtantiis reliquis acredinem, et ſpecificam activitatem conciliat, paullatina et inſenſibili exhalatione magis magisque conſumitur, et ſenſim ideo acrimonia radicis cum viribus decreſcit; Unde patet, 1) radicem vetuſtam recentiori longe debiliorem eſſe, et 2) fortiorem operationem ab eſſentia ejus, et infuſo vinoſo, quam decocto exſpectandam eſſe.

§. III.

Eodem modo, quo ari radix, in corpore operatur, et easdem quoque virtutes, tam generales, quam ſpecificas, obtinet, præterquam, quod potentior ſit, et in adfectibus catarrhalibus, aliisque frigidis pituitoſis, nec minus in calculo, ſtrumis, et lue venerea, in qua cariori ſarſaparillæ longe præferenda eſt, effectus plane ſingulares edat. Creberrime infuſa vinoſa, rarius decocta, ingreditur, optimum tamen præparatum eſſentia eſt, quæ a guttis 10. ad 20. in largiori vehiculo propinatur. Externe inter gargariſmatum ingredientia pertinet, dum mucum in angina ſpuria, laxitate uvulæ, intumeſcentia glandularum ſalivalium, et ſeroſo-mucidis faucium, oculorum, aurium, cerebri, ac narium adfectibus valide educit per glandularum oſcula, et motuum inſuper vigorem, fibras ſtimulan-

 do,

do, reſtituit. Nonnunquam etiam per ſe manducatur, quoties ſcilicet fortiora ſalivantia neceſſaria judicantur, immo, inter clyſteres ſtimulantes, in adfectibus ſoporoſis et apoplexia pituitoſa injiciendos, minori tamen quantitate, recipitur.

§. IV.

Cum radice pimpinellæ albæ multa habet communia RADIX PYRETHRI, Bertram- oder Speichel-Wurtzel. Hæc tenuis quoque eſt, longa, colore foris fuſco, intus albicante aut pallide flaveſcente, ſapore fervido atque acerrimo, odore nullo, prædita. Verum pyrethrum regiones calidas amat, et optima igitur ſpecies in *Africa* creſcit. Huic ſuccedit *Italicum*, Italico *Gallicum*, *Helveticum* et *Bohemicum*, et hiſce denique *Germanicum*, quod in hortis colitur: Quod paſſim enim in locis montanis, et ſylveſtribus Germaniæ progerminat, ptarmicæ ſpecies eſt. Noſtra ætate veri pyrethri radix in Officinis noſtris rarius occurrit, et quæ pro illa venditur, plerumque memoratæ ptarmicæ radix eſt.

§. V.

Acrimonia fervida maximam partem in *principio reſinoſo* latet, etiamſi integra radicis uncia vix unicum ſcrupulum reddat. Portio *gummoſa* remiſſior eſt, atque, extractione perfecte ſeparata, ad trium fere drachmarum

pon-

pondus adſcendit. Infuſum radicis aquoſum, ac ſordide brunnum, odore et ſapore valde nauſeoſo pollet, acredine tamen penitus ferme deſtitutum videtur. Extractum inde paratum brunnei quoque coloris eſt, ingratum ſpirat odorem, et ſatis acrem ac fervidum ſaporem, cujus leviſſima ſaltem in infuſo veſtigia aderant, linguæ imprimit, ita, ut ſaliva copioſius propemodum, quam manducato extracto reſinoſo, in ore confluat. Infuſum ſpirituoſum, quod colorem ex flaveſcente-rubellum obtinet, ſapore gaudet ſubtili, valde pungente atque urente, odore autem ſolum duntaxat vini ſpiritum prodit. Peracta evaporatione, extractum pallide brunnum reſultat, quod odore nauſeoſo polentam nonnihil æmulatur, et reſpectu ſaporis fervidi et acris cum ipſa radice, eaque adhuc integra, convenit

§. VI.

Quoad vires et operandi modum pimpinellæ radici analoga eſt, rarius nihilominus, ob nimiam acrimoniam, et fervidam indolem, interne præſcribitur, ſed inter potentiora duntaxat *ſalivantia maſticatoria*, in aphonia, guſtu deperdito, refractaria odontalgia rheumatico-catarrhali, et morbis ſimilibus utilisſima, tutum invenit locum, et ſubinde pariter, quanquam exigua quantitate, clyſteribus ſtimulantibus et excitantibus, nec minus gargariſmatibus additur. Si uſus internus

placet, a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem, decoctis et infuſis, cum aqua, ſero lactis aut vino parandis, additur.

CAPVT VI.

DE RADICE RAPHANI RVSTICANI ET HELLEBORI ALBI.

§. I.

RADIX RAPHANI RVSTICANI, alias *Armoracia*, Meer-Rettich, dicta, in noſtris terris unicuique tam nota eſt, ut nulla formæ externæ deſcriptione indigeat. Sapore pollet valde acri, atque pungente, ſubdulci tamen remixto, et raſa, aut contuſa ſubtilem atque copioſum halitum emittit, qui oculos, et tunicam narium pituitariam adeo vellicat, ut illachrymatio involuntaria et largior muci confluxus, cum dolorifico in parte utraque pruritu, protinus ſequantur. Planta in vineis et hortis colitur.

§. II.

Præter inertes *partes terreas* et *aquoſas* copioſisſimas, mixtionem hujus radicis *principium mucilagineum*, *reſinoſum* et *ſubtile oleoſo-ſpirituoſum* ingreditur. Phlegma in radicis

cis recentis uncia una ultra quinque drachmarum pondus adſcendit: Subſtantia mucilaginea, et reſinoſa, debite ſeparata, acredine deſtituitur, ac dulcem ſolummodo ſaporem obtinet. Prior in una radicis uncia circiter drachmam unam, poſterior vix grana duo vel tria pondere æquat. Subſtantiale denique, et eſſentiale oleum æthereum ſpirituoſo principio pungente valde gravidum eſt; hinc in eo quoque eminens acredo unice propemodum quærenda eſt, etiamſi exigua ſaltem quantitate, grana duo vel tria nunquam ſuperante, inhæreat. Inde cæteroquin ſufficientem cognoſcimus rationem, cur radix fortiter exſiccata aut diutius coƈta, adeoque volatili et aƈtivo ſuo principio oleoſo-ſpirituoſo orbata, nulla amplius acredine inſtruƈta reperiatur, ſed linguæ ſubdulcem duntaxat ſaporem imprimat.

§. III.

Quanquam hæc radix magis inter *alimenta* ac *condimenta* locum obtinere videtur, non contemnendis tamen viribus medicis, præſertim *diureticis*, et *antiſcorbuticis*, donata eſt. Pungente enim principio ſpirituoſo-oleoſo adhuc turgida, partium ſolidarum contraƈtiones, et oſcillationes vellicando egregie excitat, et hac igitur ratione, præter majorem circuli vigorem, ſe-et excretiones, maxime per vias urinarias, valide auget. Cum fruƈtu

proin-

proinde in adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, aſthmate, catarrhis, calculo, nephritide pituitoſa, dyſorexia, hydrope, cachexia, chloroſi, obſtructione menſium chronica, ſcorbuto &c. interne adhiberi poterit. Optime in infuſo, cum aqua, vino aut ſero lactis parando, præſcribitur, non in taleolos ſecta, ſed raſa paullulum. Succus expreſſus, et ſacharo nonnihil edulcoratus, commode pariter, ad unum alterumve cochleare, propinatur. Externe *rubefacientium* numerum auget.

§. IV.

RADIX ELLEBORI ſive HELLEBORI ALBI, weiſſe Nieß-Wurtzel, cujus planta *Helleborus* ſive *Veratrum album flore ſubviridi roſaceo* vocatur, eſt radix craſſa, oblonga, multis fibris minoribus inſtructa, coloris extrinſecus ex fuſco nigricantis, intus albi, ſaporis acris, nauſeoſi, amaricante et ſubadſtringente nonnihil remixti, odoris nullius.

§. V.

Reſinoſis æque, ac *gummoſis partibus* prædita eſt, præcipua tamen activitas in ſubſtantia reſinoſa latet. Infuſum aquoſum colore gaudet flaveſcente, ingratum ſpirat odorem, et debilem duntaxat acredinis ſenſum in lingua excitat. Extractum inde paratum, quod, recepta una radicis uncia, dimidiam

ferme

ferme unciam pendet, flaveſcens eſt, parum odoratum, et debiliſſima acredine inſtructum. Infuſum ſpirituoſum colorem obtinet ex flavo-brunnum, nullum quoque odorem ſingularem ſpirat, et ſaporem amaricantem et acrem linguæ imprimit. Poſt evaporationem extractum relinquit, coloris ſaturate brunni, ad nigredinem nonnihil inclinantis, quod, prædicta radicis quantitate extractioni adhibita, ad trium ferme drachmarum pondus adſcendit, etiamſi vix grana ſedecim veræ ac puræ ſubſtantiæ reſinoſæ in una radicis uncia hæreant. Extractum hoc rob ſambuci ſapore æmulatur, et longe debiliorem amaritiem atque acredinem, quam ipſum infuſum, poſſidet: Unde patet, multas particulas volatiles, quibus acredo unice adſcribenda eſt, ſub evaporatione abire in auras. Notatu cæteroquin dignum eſt, acres hujus extracti particulas adeo ſubtiles, ac penetrantes eſſe, ut diu durantem acredinis ſenſum, et aliquam ſalivationem in ore excitent, licet ſub deguſtationis initio maſſa parum activa eſſe videatur. Cognoſcimus inde operandi modum, et clare diſcimus, quod radix hæc ob acredinem ſuam, primo vix ſenſibilem, deinde autem ſatis penetrantem, ac nervis diu pertinaciſſime inhærentem, omnino ſuſpecta ſit.

§. VI.

§. VI.

Quondam hæc radix inter purgantia militabat et emetica, noſtra autem ætate, ob fraudulentam ſuam indolem, et operationem violentam, cujus ratio vera ex præcedentibus facile intelligitur, excluſa, et ad ſola *errhina*, atque *ptarmica* relegata eſt, eorundemque ingrediens primarium conſtituit. Adeo enim, præſertim ſub forma pulverulenta, uti moris eſt, adplicata, Schneiderianam naſi tunicam ſtimulat, ut protinus, licet exigua ſaltem pulveris quantitas attracta fuerit, vehemens contractio cum violenta aeris exploſione, uno verbo, ſternutatio ſequatur. Quare caute admodum cum externo quoque uſu mercandum erit, ne nimia vellicatione ſua juſto crebriorem, ac violentiorem ſternutationem, adeoque valde noxiam cerebri, aliarumque partium concuſſionem efficiat. Cavendum inprimis, ne ſub tritura ſubtiliſſimæ pulveris moleculæ nares, atque pulmones copioſius ingrediantur, et tuſſim convulſivam, cum difficillime ſopienda ſternutatione, excitent. Quod monitum plethorici inprimis, ad hæmorrhagias narium, hæmoptyſin, et apoplexiam ſanguineam proclives, nec minus foeminæ gravidæ obſervare debent. Nonnunquam pulvis *veſicatoriis* etiam et *rubefacientibus* additur.

CAPVT

CAPVT VII.

DE COCHLEARIA, NASTVRTIO ET CARDAMINDO.

§. I.

COCHLEARIA MAIOR ROTVNDIFOLIA ſive COCHLEARIA FOLIO SVBROTVNDO OFFICINARVM, Löffel-Kraut, apud nos in hortis colitur, in *Batavia* autem, *Anglia*, *Norwegia*, *Grönlandia*, *Nova Zemla*, aliisque regionibus, et inſulis borealibus circa littora maris ſponte, et quidem maxima copia, progerminat. Exotica, ſylveſtris, maritima, ſeptentrionalis, hortenſi noſtra longe præſtantior eſt, quoniam fortiori, ac ſubtiliori acredine, nonnihil quaſi aromatica, gaudet; quum in noſtrate ex adverſo cum obtuſiori, ac rudiori acrimonia major amarities mixta deprehendatur.

§. II.

Uſum in medicina invenerunt folia et ſemina. Folia, præter *partes reſinoſo-gummeas*, *multas* etiam *oleoſo-ſpirituoſas* poſſident, quibus primaria virtus ingenita latet. Eſſentiale hoc oleum, licet exigua ſaltem quantitate ſub humida deſtillatione prodeat, ſingulari pla-

plane indole donatum reperitur. Pertinet ad olea ætherea, ſimplici aqua ſpecifice graviora; tanta nihilominus mobilitate, ac volatilitate pollet, ut in vitris, optime etiam operculo munitis, diu cuſtodiri nequeat, niſi in cella ſubterranea, aut alio loco frigido collocentur, vel frigidæ aquæ immergantur. Odor hujus olei penetrantisſimus eſt, et nares fortiter ferit, immo, omnes capitis partes interiores afficit. Unica guttula integram ſpiritus vini unciam forti ſapore imbuit, quid? quod, unica guttula ſoluta integræ vini menſuræ odorem, et ſaporem cochleariæ conciliat. In Anglia, ubi uberrimus hujus plantæ proventus eſt, perſæpe deſtillando educitur, valde tamen pretioſum eſt, et uncia una octo imperialibus venditur (*a*).

§. III.

Herba recens egregium medicamentum *aperitivum*, *ſtimulans*, *diureticum* et *antiſcorbuticum* eſt, ac multum utilitatis in calculo præſtat, hydrope, obſtructione viſcerum, affectibus capitis, ventriculi, pectoris, renum et uteri pituitoſis, ceterisque morbis, qui mucidæ humorum dyſcraſiæ, et partium ſolidarum atoniæ præcipuam originem debent. Recens per ſe commeditur, acetariis additur, vino aut ſero lactis infunditur, et ſuccus expreſſus quoque, nunc ſolus, nunc ſero lactis mixtus,

(*a*) Conf. B. Frid. Hoffm. Obſ. Phyſico-chym. p. 17.

mixtus, nunc ſacharo nonnihil edulcoratus, exhibetur. In regionibus et inſulis quibusdam ſeptentrionalibus, teſte BARTHOLINO (*a*), juſculis avenaceis, hordeaceis, et carnium, una cum acetoſa, quæ ibidem cum cochlearia in eodem plerumque ſolo uberrime creſcit, quæque optimum ejusdem corrigens creditur, ordinario additur. Iuſcula hujusmodi alvum laxant, et humores egregie a quisquiliis ſcorbutico-mucidis purgant. Externe ſuccus expreſſus in ſtomacace cum fructu in uſum vocatur, et gingivarum putrilaginem, præſertim melle roſarum aliquantulum remixtus, valide corrigit. Cum Herba *Semen* maximam partem, intuitu naturæ ac virium, convenit, præterquam, quod virtute paullo debiliori inſtructum ſit, et, aliquamdiu adſervatum, ſolam amaritiem, prorſus amiſſa acredine, retineat.

§. IV.

Cum cochlearia, ob magnam principiorum, proprietatum, ac virium ſimilitudinem, NASTVRTIVM HORTENSE, Garten-Kreſſe, NASTVRTIVM AQVATICVM, Brunnen-Kreſſe, et CARDAMINDVM, alias *Naſturtium Indicum*, Indianiſche Kreſſe, dictum, eodem loco collocari merentur. Simile quoque judicium de SEMINE NASTVRTII, et

(*a*) In Act. Haffn.

et CARDAMINDI FRVCTIBVS MINORIBVS ferendum eſt. Eodem prorſus modo, quo cochlearia, interne et externe uſurpantur, immo, cardamindi fructus minores, ac juniores, qui reliquis, ob majorem activitatem, et ſaporis gratiam, merito præferendi ſunt, per ſe commeduntur. Præter vires *antiſcorbuticas*, aliasque, cochleariæ adſcriptas, etiam virtutem *anthelminticam*, *ſtimulantem* et *expellentem* obtinent, adeoque ad variolas expellendas, et adpetitum venereum excitandum nonnunquam commendantur. Semina naſturtii ſubinde *ſinapiſmos* et *rubefacientia*, aliaque externa ingrediuntur. Hactenus recenſitis ERYSIMVM FLOSCVLIS LVTEIS, quod alias etiam *Eruca nobilis*, *Verbena foemina*, &c., wilder- oder Wege-Senff vocatur, jungere nullus dubito, quoniam iisdem, non ſapore tantum, ſed natura pariter, principiis activis, ac viribus, valde analogum eſt. Specificum remedium in raucedine, tuſſi, et aſthmate pituitoſo creditur; aſt in reliquis quoque morbis allegatis commode præcedentibus addi aut ſubſtitui poteſt. Plerumque ſub forma ſyrupi, jam pridem officinalis, præſcribitur, rarius infuſa ingreditur.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE ARNICA.

§. I.

Arnica recte in *Veram* et *Spuriam* diſtinguitur. Prior *Doronici* ſpecies eſt, ac vulgo a Botanicis *Doronicum plantaginis folio, Chryſanthemum latifolium* DODONÆI, *Calendula Alpina*, itemque *Aliſma, Damaſonium* &c. Groß-Lucians-Kraut, Wolverley &c. dicitur; poſterior autem, quæ rudioribus principiis inſtructa reperitur, adeoque in operando longe deterior, quæque in locis humidioribus progerminat, ad *Aſteres* pertinet, et *Aſter pratenſis autumnalis, conyzæ folio*, nec non *Conyza media, aſteris folio, Conyza media Mathioli, flore magno luteo, humidis locis proveniens*, germ. Ruhrkraut, Dummerian, vocatur.

§. II.

Arnica vera, eaque optima, de qua hoc loco unice ſermo eſt, in *Helvetia, Bohemia, tractu Miſniæ montano ac metallifero*, in *territorio Variſcorum Plauenſi*, et alibi, paſſim in montibus, ſylvis ac pratis creſcit, et menſe Julio atque Auguſto floret. Radix ejus fibroſa, et nonnihil aromatica, caulem protrudit hir-

ſutum, bicubitalem, cui rami ac folia, plantaginis foliis non diſſimilia, longiora tamen, et dilutiori colore prædita, innaſcuntur: Flores ſaturate lutei ſunt, radiati, et aliquantulum, inſtar chryſanthemi, crenati, tandemque in pappos, ſeminibus inſtructos, abeunt. Folia, et petala floris recentia, contrita, et propius admota naribus, pruritum ac ſternutationem excitant; hinc nonnulli etiam plantam hanc non *arnicam*, ſed *ptarmicam* dicendam eſſe, exiſtimant.

§. III.

Flores ipſa herba potentiores judicantur, ac præſtantiores, quoniam paullo copioſiori principio reſinoſo, cui major activitas ingenita hæret, inſtructi ſunt. Nam uncia una florum circiter drachmam unam cum ſemiſſe extracti reſinoſi, et drachmas duas, ac ſcrupulum unum extracti gummoſi, æqualis autem herbæ quantitas ſaltem drachmam unam et ſcrupulum dimidium extracti reſinoſi, et drachmas duas cum ſemiſſe extracti gummoſi largitur. Infuſum aquoſum florum poſt filtrationem colore pollet e flavo-brunneo, odorem ingratum herbaceum ſpirat, et guſtu ſatis amarum deprehenditur. Poſt blandam inſpiſſationem extractum inde reſultat, ſaturate brunnum, odore debili balſamico, et amaro, auſteriuſculo, et ſubacri ſapore præditum. Infuſum ſpirituoſum colore elegantiſ-

ſime

ſime aureo ſeſe commendat, et, præter ſubtilem atque nonnihil urentem ſaporem acrem, leniſſima ſaltem ac vix ſenſibili amaritie remixtum, halitum acriuſculum tenerrimum, menſtruo tamen ex parte adſcribendum, emittit. Extractum inſpiſſatum, remiſſiori, quam infuſum, acredine gaudet, et auſteriuſculum duntaxat et ſubacrem ſaporem linguæ imprimit.

§. IV.

Operationem ſuam herba ac flores, immo radix, quæ in caſibus nonnullis una cum foliis ac floribus, non ſine inſigni emolumento, in uſum vocatur, (*a*) proxime in ſolas duntaxat partes ſolidas exercent, unde poſtea ad fluida redundat; Adeo nimirum ſolidorum oſcillationes ac contractiones valido quodam ſtimulo excitant, ut humores quoque celerius provolvi, fluida craſſa, viſcida, coagulata, congrumata, ſubſiſtentia, extravaſata, denuo reſolvi, promoveri, excuti, et paſſim per congrua loca excerni debeant. Præſcribuntur herba ac flores, ad unum vel duos pugillos, in infuſo, aut decocto. Prius, quod tutius atque præſtantius eſt, cum aqua fervente, poſterius cum cereviſia aut aqua, paratur. Adſumtioni maximi circa partem affectam crucia-

 tus,

(*a*) Vid. GEORG. AVGVST. *de la* MARCHE Diſſ. de Arnicæ veræ uſu, ann. 1719. Halæ hab. §. 10. et 11.

tus, quid? quod, magna plerumque ventriculi anxietas cardialgica, cum nauſea et vomendi conatu, vel vehementia ventris tormina, ſuccedunt, adeo, ut inſcii ægrotantes mortem jam inſtare credant. Turbas haſce tandem largior diureſis, aut ſudor, vel ſubinde etiam vomitus, aut dejectio alvina ſequuntur.

§. V.

Multum valent, tanquam remedia heroica, ad ſanguinem, poſt prægreſſas contuſiones, caſus ab alto, ſimilesque graviores violentias externas extravaſatum, ac congrumatum, denuo reſolvendum, diſcutiendum et eliminandum, (*a*). Excretio in hoc paſſu modo diureſi ac larga diaphoreſi abſolvitur, modo cruor extravaſatus, et ad ventriculum delatus, vomitu ejicitur, modo, in inteſtina nempe effuſus, per alvum excernitur, modo per ipſam partem læſam, ſi aperta ſit, excluditur.

§. VI.

Non in ſolo interim ſanguine congrumato, et extravaſato, ſed in aliis pariter morbis, calculo v. g., nephritide ſabuloſo-pituitoſa, rebelli dolore lateris punctorio, arthritide,

(*a*) Plura de hiſce videantur in Act. Med. Berolinenſ. Vol. I. No. 4. p. 46. ſequ., nec minus in Miſcell. Acad. N. C. G. ann. IX. et X. Obſ. 2.

tide, paralyſi, incipiente hydrope humido, cachexia, diuturnis febribus quartanis, refractariis ſanguinis ſtagnationibus, ac ſtaſibus, obſtructionibus uteri, lienis, aliorumque viſcerum, et ſubinde etiam in aſthmate pituitoſo &c. miram efficaciam monſtrant, etiamſi, ob violentiæ cujusdam formidinem, a medicis rarius paullo in morbis memoratis præſcribantur. Quoties uſus herbæ aut florum placet, vel absque additamento, ac doſi completa, h. e., a pugillo uno ad duos, præmiſſis tamen lenioribus laxantibus, in decocto, aut infuſo propinantur, vel in poſterioribus morbis refracta ſaltem doſi, quod nonnulli tamen improbant, adpropriatis aliis adduntur. Si doſi completa exhibentur, præſtat, ægrum, permittentibus nempe viribus, poſt hauſtum decoctum aut infuſum, leniter in conclavi obambulare, quam decumbere in lecto, quoniam cruciatus, qui utplurimum ſuccedere ſolent, ſub ambulatione longe mitiores, quam ſub decubitu, deprehenduntur.

CAPVT IX.

DE SEMINE SINAPI ET GVMMI EVPHORBIO.

§. I.

In Officinis duplicis generis SINAPI SEMINA proſtant, SEMINA nimirum SINAPI SATIVI, *rapi folio*, ſchwartzer Senf, et SEMINA ERVCÆ, ſive SINAPI HORTENSIS, *apii folio*, weiſſer Senf. Illa parva ſunt, rotunda, colore ruſſo, vel nigricante, ſapore valde acri ac fervido prædita; hæc autem ex flavo albicantia reperiuntur, et temperatiora principia, adeoque remiſſiorem quoque acredinem poſſident.

§. II.

Ex *oleoſis*, *reſinoſis*, *gummoſis*, ac *terreis* partibus conſtant: Acrimonia tamen magis in portione fixa gummeo-reſinoſa, quam oleoſa, latet. Solum quippe oleum, expreſſione ſeparatum, tum ſaporis, tum virium intuitu, ſatis temperatum deprehenditur (α). Principium ſalinum, quod ſubſtantiæ

(α) „Sane, BOERHAAVIVS *ſcribit in Chem. Tom. II.* „*p. m. 83.*, mirabar olim, bono ſucceſſu præſcribi Oleum

tiæ gummeo-reſinoſæ mixtionem ingreditur, eidemque acredinem præcipue conciliat, non alcalico-urinoſum eſt, uti BOERHAAVIUS, chymico quodam examine deceptus, credi-

 dit

„Oleum preſſum ſeminum Sinapi contra acerri-„mos a calculo dolores. Mirari deſii, quando „oleum illud exploratum adeo dulce et mite ſe „daret, quod in deſtillatione eorundem ſeminum „tam acre apparet, et igneum vere. Et ſane ne „jam quidem mirari hanc rem ſatis poſſum, ut-„cunque toties conſideraverim. Cur enim hoc „in oleo preſſo non adeſt acer odor, acutus ſapor, „qui ita excellit in oleis ſtillatitiis? cur acrimonia „Spiritus Rectoris, qui hoſpitatur in oleo, hic ſe „non manifeſtat? ſive aquam ſpectes, ſive ſalem, „ipſumve ſpiritum, et ejus oleum, forte non tam „appoſite, ut Tibi promiſeras ipſe, reſpondebis. „Utique parum valde ſalis in hoc oleo reperitur. „Et tamen de plantæ ſingulari ingenio habet „multum, ut ſenſus docent. Recens interim „quamdiu habetur miſcela ſui acre involvit, mi-„tificat, obtundit in humoribus; fibras, membra-„nas, vaſa, viſcera, affrictu ſui laxat, flexilia red-„dit, emollit, duritiem, fragilitatem, tollit. Eſcha-„ras mortuas, aridas, humectat, lenit, reddit ſe-„parabiles a vivis per actiones vitales. Defen-„dit in vulneribus nudatas partes, ne aer ſiccus il-„lis noceat arefaciendo, Prohibet quoque tenues „humores, ne per oſcula aperta vaſculorum nimis „exhalent, ſicque extrema vaſcula corrumpant. „Hinc eſt optimum ad recentia, vivaque, vulne-„ra auxilium, quo conſolidentur brevi. Quin „etiam anodynum habetur ſummum, acria demul-„cendo, laxando ſtricta &c.

dit (*a*), ſed æque, ac in acribus hujus commatis reliquis, ſubtile acidulum (*b*); hinc pulveriſatum quoque ſinapi vappeſcentiam aceti corrigit, et nonnihil pridem corrupto, priſtinum ſaporem, priſtinamque integritatem reddit.

§. III.

Activum principium volatile copioſius gummoſæ, quam oleoſo-reſinoſæ ſubſtantiæ immerſum hæret. Infuſum enim aquoſum ſinapi nigricantis, quod pallide flavi coloris eſt, valde acrem halitum, vividam in naribus titillationem excitantem, emittit, et acri pariter ſapore ipſum ſemen æmulatur. Laudatus halitus acris tempore evaporationis nares adhuc aliquamdiu ferit, deinde autem, expulſis nempe particulis volatilibus, non amplius ſentitur, et flavum proinde extractum nullum prorſus priſtinæ acredinis veſtigium in ore relinquit, ſed debilem potius ſaporem ſubdulcem linguæ, debilemque odorem balſamicum naribus imprimit. Infuſum ſpirituoſum, colore viridiuſculo et ſimul flaveſcente præditum, ſolius ſpiritus vini odorem ſpirat, et debiliori, quam prius, ſapore acri ſpecifico pollet. Peracta evaporatione decenti, duplex ſubſtantia remanet, altera ſcilicet reſinoſa brunneo-flaveſcens, altera

(*a*) Loc. cit. p. 55. 122. ſeq.
(*b*) Conf. Sect. IV. Cap. I. p. 258. ſequ.

tera oleoſa ſubviridis. Prior deguſtata acredine aliqua, quanquam leviſſima, adhuc prædita eſt; poſterior autem ſemiliquida ac valde pinguis exiſtit, et temperatiſſimum, ac dulce amygdalarum, aut olivarum oleum ſapore ſuo perfecte æmulatur. E quibus omnibus, conjunctim penſitatis, abunde conſtare exiſtimo, 1) quod acredo ſpecifica a ſolis particulis volatilibus derivanda ſit, quodque 2), ablatis hiſce, ſapor acris in ſubſtantia gummoſa, reſinoſa et oleo, quod poſtremum, ſolum videlicet, purum, ac ſibi relictum, manifeſta dulcedine et perfecta temperie pollet, penitus, vel maximam tamen partem, evaneſcat.

§. IV.

Frequentiſſime hæc ſemina, cum muſto prius, aceto, vel liquido utroque, in embamma redacta, muria conditis, infumatis, aliisque difficilioris concoctionis eſculentis adponuntur, nec raro pariter integra deglutiuntur, aut contuſa inter electuaria, aliasque compoſitiones recipiuntur. Locum enim inter activa *ſtimulantia*, *ſtomachalia*, *carminativa*, *aperitiva*, *attenuantia*, *diuretica*, *aphrodiſiaca*, et *antiſcorbutica* obtinent, ac multum igitur auxilii ab uſu eorum tempeſtivo, et moderato exſpectandum eſt in variis adpetitus et digeſtionis vitiis, a cruditatibus mucidis, et tunicarum flacciditate oriundis, nec minus in ventriculi

triculi et inteſtinorum inflatione, febre quartana, obſtructione urinæ, aliorumque viſcerum, ſuppreſſione urinæ, ab atonia fibrarum, aut materia ſabuloſo-mucida pendente, ſterilitate muliebri, torpore venereo, apoplexia pituitoſa, et ſimilis naturæ aſthmate, adfectibus ſoporoſis, catarrhalibus, frigidis rheumaticis, atque cachecticis, ſcorbuto, et ſic porro. A nimio tamen uſu abſtinere debent ſubjecta plethorica, et bilioſa macilenta, quoniam in prioribus humores plus juſto exagitant, adeoque hæmorrhagiis anſam præbent, in poſterioribus autem bilem valde acrem, ac fervidam reddunt, et excedens motuum augmentum provocant. Externe præcipuum *ſinapiſmorum* ingrediens conſtituunt, quorum adplicatio in membrorum paralyſi proficua deprehenditur; ſubinde etiam pulvere eorum lingua paralytica fricatur, ut ſenſum aut motum amiſſum recuperet.

§. V.

GVMMI EVPHORBIVM eſt concretum gummeo-reſinoſum, pro differenti ſua puritate, nunc flaveſcens, nunc ex flavo-nigricans, ſaporis cauſtici acerrimi. Planta, quæ concretum hoc largitur, *Tithymali* ſpecies eſt, et *Tithymalus Mauritanicus ſpinoſus, ſarmentoſus, ſemine tricocco,* itemque *Euphorbium* DODONÆI dicitur. Creſcit in *Lybia* et *Mauritania,* aliisque *Africæ* locis, et trunci

ejus

ejus craſſiores, provide ab incolis ſauciati, copioſum atque acerrimum ſuccum lacteum fundunt, qui, ſenſim ac ſponte inſpiſſatus, gummi laudatum conſtituit. Optimum creditur flaveſcens, quoniam non adeo, quam nigricans, arenulis et impuritatibus terreis remixtum eſt.

§. VI.

Partes *reſinoſæ* ac *gummoſæ* in euphorbio, puro, flaveſcente, quod arena nempe, moleculis terreis, aliisque quisquiliis caret, quantitate ferme æquali adſunt; cauſtica tamen acredo maxime, quin forſan unice, parti reſinoſæ adſcribenda eſt. Infuſum ſpirituoſum enim tam fervida acrimonia gaudet, ut, piperis acerrimi inſtar, licet minima ſaltem portiuncula deguſtetur, linguam, palatum, fauces, immo labia, vehementiſſime urat ac pungat, et facile, niſi demulcentia mucilaginea, atque oleoſa adhibeantur, partium memoratarum inflammationem producat. Tanta præterea pertinacia inhæret, ut ardor, adhibitis etiam obtundentibus laudatis, intra horæ ſpatium vix aut ne vix extingui queat. Extractum ſpiſſum colore pallide aureo, et pari, immo majori, quam infuſum, acredine præditum eſt. Infuſum aquoſum, quod debili odore balſamico, et colore, pro diverſa euphorbii puritate, modo flaveſcente, modo brunneo-rubeſcente pollet, longe remiſſius

eſt,

eſt, et linguæ ſaporem amarum, leni duntaxat acredine mixtum, imprimit. Sub evaporatione conſtanter ſubtilem halitum acrem emittit, qui, naribus exceptus, pruritum et ſternutationem provocat; unde pariter patet, acre hoc principium ex parte volatilis naturæ eſſe. Extractum, ad juſtam conſiſtentiam redactum, et prorſus refrigeratum, odore deſtituitur, et moderata duntaxat amaritie, leni acredine mixta, gaudet. Sub deguſtationis initio acredo vix ſentitur, deinde autem fortior evadit, et linguam ac fauces ſatis diu, ardore quodam et ſubtili punctura, quanquam longe mitiori, quam infuſum et extractum reſinoſum, torquet. Vero quoque ſimillimum eſt, acrimoniam ejus a mixtis paucis moleculis reſinoſis præcipue derivandam eſſe.

§. VII.

Ob indolem cauſticam, erodentem, inflammantem, concretum hoc interne nunquam tuto poteſt exhiberi, immo, uſus externus omnem poſtulat circumſpectionem. Nonnulli quidem venenatam ejus acrimoniam amygdalis dulcibus, aceto, ſucco portulacæ &c. corrigere ſtudent; aſt parum huic correctioni, ſi de exhibitione interna ſermo eſt, fidere licet. Externe ſolummodo inter unguenta et emplaſtra *rubefacientia* et *veſicantia*, membris paralyticorum et ſoporoſorum nonnunquam adplicanda, nec minus, quanquam

valde

valde exigua quantitate, inter pulveres *errhinos*, qui in pertinaci narium obſtructione, viſciditate muci, et pituitoſis capitis adfectibus chronicis, atque rebellibus haud raro proficui deprehenduntur, ſecure recipi poteſt. Non contemnendam quoque utilitatem in carie oſſium et tumoribus ſcirrhoſis, a cancroſa malignitate adhuc immunibus, quandoque præſtat. In caſu priori cum pulvere radicis iridis Florentinæ, et maſtichis miſcetur, in caſu poſteriori autem in oleo lini, olivarum, aut amygd. dulcium ſolvitur.

CAPVT X.

DE CANTHARIDIBVS.

§. I.

CANTHARIDES, Spaniſche Fliegen, ſunt inſecta oblonga, pedata, alata, vagipinnia, magnitudine muſcarum majorum, colore ſplendente aureo ac viridi, ſapore oleoſo, acri, erodente, cauſtico, odore, recentia nimirum, foetidiſſimo. Alibi *majores* ſunt, alibi *minores*. Maxime in *Italia*, *Hiſpania*, *Gallia*, aliisque regionibus calidioribus, paullo rarius in *Germania* noſtra, ubi magis peregrina, quam indigena, animalcula ſunt, repe-

riuntur. Amant præ plantis reliquis frumenta, cynosbatum, liguſtrum, cynogloſſam, ſambucum, ulmum, fraxinum, quercum, et oleaſtrum, indeque ſuum victum petunt. Captæ aceto calido necantur, poſteaque ad ſolem exſiccantur. Minores præferuntur majoribus, iisdemque acriores eſſe cenſentur.

§. II.

Paucas in mixtione ſua fovent *partes reſinoſas*, plures *gelatinoſas*, et copioſisſimas *terreas*. In una quippe cantharidum uncia ſubſtantia gelatinoſa drachmam unam, et dimidiam gravitate æquat, ſubſtantia reſinoſa vix ſcrupulum pendet dimidium, et terrea denique portio reliquam ponderis partem ſupplet. In parte reſinoſa, etiamſi minima quantitate inhæreat, acredo cauſtica, et virtus unice propemodum quærenda eſt, eademque *implicito principio ſalino* valde turgida reperitur. Specifica laudati ſalis natura nondum ſatis detecta eſt, et alii iſtud ad acida, alii ad alcalia volatilia ſive urinoſa referunt: Quæ incertitudo ſeparationis difficultati præcipue adſcribenda eſt. Nam, quoties cantharides integræ, aut pulveriſatæ ſeorſim aqua, et ſpiritu vini extrahuntur, et infuſa evaporando inſpiſſantur, ſolummodo gelatinoſa, et reſinoſa extracta prodeunt, et ſal acre iisdem, præſertim reſinoſo, quod gelatinoſo longe acrius, adeo involutum hæret, ut ſufficienter explorari

rari nequeat: Sin citra aquæ autem, aut ſpiritus vini additionem violentæ deſtillationi in retorta ſubjiciuntur, *ſpiritum* quidem *urinoſum*, *oleum empyrevmaticum foetidisſimum*, et *ſal volatile ſiccum*, ejusdem cum ſpiritu naturæ, reddunt; aſt, cum ſingula hæc producta ſub Vulcani tortura majorem, vel minorem metamorphoſin paſſa fuerunt, inter genuina educta numerari nequeunt, ac parum ideo lucis circa cognoſcendam veram, atque nativam ſalis impliciti naturam foenerantur.

§. III.

Deficiente igitur certitudine, locus ſolis relictus videtur opinionibus probabilibus, et lubens fateor, me eorum amplecti ſententiam, qui, ſal iſtud *acidæ* quidem *naturæ* eſſe, nonnihil tamen, æque, ac apud formicas, ad *urinoſam* inclinare, exiſtimant. Argumenta probantia in hoc paſſu non plane deſunt: Iterata nimirum chymicorum experientia comprobatum eſt, 1) inſecta multa, præſertim volatilia, ſubtili quodam acido, in nonnullis, v. g. apibus (α), valde cauſtico, in-

(α) Lvdovici, uti in *Miſcell. A. N. C. G. ann. IV. Obſ.* 67. refert, aliquando liquorem, qui apum aculeo, dum pungunt, adhæret, quemque ſimul in vulnus immittunt, deguſtavit, et ſaporem ejus tam mordacem deprehendit, ac ſi aquæ fortis, aut ſoluti mercurii ſublimati quidpiam linguæ incidiſſet.

inſtructa eſſe, 2) ad formandas reſinas veras nunquam ſal alcalicum, ſed ſemper acidum concurrere, et 3) acida virtutem veſicatoriam pulveris cantharidum intendere. Scio quidem, nonnullos circa argumentum ultimum contrariam tueri ſententiam, et acetum corrigentibus adnumerare; aſt ſcio etiam, opinionem eorum experientiæ repugnare, quæ dudum docuit, acetum, emplaſtris veſicantibus additum, activitatem non minuere, ſed potius majorem reddere.

§. IV.

Cantharides, alis, quæ parum virtutis poſſident, abjectis, pulveriſatæ, ad ſola duntaxat externa *rubefacientia*, et *veſicantia*, quorum primariam conſtituunt ſpeciem, tuto referri poſſunt. Cum fermento panifico, terebinthina, cera, aliisque ad emplaſtri formam redactæ, et cuticulæ impoſitæ, acutiſſima ſua ſpicula oleoſo-ſalina (*α*) facillime emit-

(*α*) OLAVS BORRICHIVS, cum virtutis veſicatoriæ rationem in ſpiritu, oleo, et ſale volatili, e cantharidibus igne ſicco, et violenta deſtillatione expulſis, poſt inſtituta experimenta minime inveniret, tandem cantharides tota ſubſtantia ſua, et rudiori prorſus modo mechanico operari, ſtatuit: „Viſus, inquit, *Galenus* non imprudenter ſcribe„re, *pharmaca quædam agere tota ſubſtantia*, non ita „in particulas divulſa. Verum quia oraculum il„lud *Pergameni* non ſatis evidentem animo notionem

emittunt, altiusque, præſertim corporis calore animata, fibris, ac vaſculis capillaribus cutis ſubjectæ infigunt, et valida, ac pertinaci punctura violentam non minus vaſculorum conſtrictionem, largioremque humorum confluxum, quam ipſam denique tubulorum

Ee 2 quo-

„nem imprimit, quæſita a microſcopio evidentior. Igitur ſubjecta huic exploratori cantharis „integra corpuſculum ſuum monſtravit mille „ſpinis inhorreſcere, quarum aculeis cuticulæ „impactis neceſſe eſt, eandem pati; non aliter „atque urticæ folia ſimilibus armata ſpinis manum „eodem propemodum modo adurunt. Ut pro„inde, quo in minutiores contundantur particu„las corpuſcula catharidum, antequam cuticu„læ applicentur, hoc ſegnius eadem operari cre„dibile ſit, cuſpidibus nimio attritu diffractis. „Sed cur cantharides afficiunt veſicam admotæ „etiam brachiis? Non iniquum fuerit ſuſpicari, „excitatiſſimas cuſpidum pervadere cuticulam, „ibique ne regrediantur, a ſero attineri, rapique „una cum ejusdem ſeri portione, ut per alias cor„poris partes, ita tandem per veſicam, ibique, „quia illa delicatior et minus oblita nativo mu„co, novis punctiunculis creare moleſtiam, quod „utique in cæteris partibus non ita promptum, „tum quia in illis cuſpides in perpetuo fluxu ſunt „tendentes cum ſero ad veſicam, ubi nonnihil „conquieſcunt, tum quia in reliquis partibus non „vehuntur in ſolo ſero, ſed in via permiſtæ ſan„guini et pituitæ, eoque acæterorum miſtura re„preſſæ a pungendo avocantur. Non alienum „tamen fortaſſe fuerit exiſtimare, vim cuſpidum „a ſale earundem volatili increſcere, atque auctio„rem reddi &c. &c. Vid. BARTHOLINI *Acta* „*Haffnienſia Vol. IV. p. 186.*

quorundam lymphaticorum rupturam, adeoque lymphæ extravaſationem, et hac mediante veſicam excitant.

§. V.

A quibusdam cantharidum pulvis interne pariter ad ciendum urinæ fluxum, calculum veſicæ, ac renum exturbandum, et venerem ſtimulandam commendatur, ac propinatur: Sed abſit, ut rationalium ullus anceps eorum conſilium, & periculoſa veſtigia ſimpliciter ſequatur: Venenum omnino cauſticum eſt, quod, interne ſumtum, facillime renes et veſicam, quibus maxime infeſtum reperitur, erodit, exulcerat, mictum cruentum producit, et memoratarum, aliarumque partium ſpasmos, atque dolores diriſſimos provocat, niſi tempeſtive congrua, et adæquata antidota, pinguia nimirum, et unguinoſo-aut aqueo-oleoſa, cujus cenſus ſunt lac tepidum, vel ſolum, vel cum foeniculi ſeminibus coctum, juſcula pinguia, emulſiones, oleum amygdalarum dulcium, ſperma ceti &c., opponantur. Facile cæteroquin concedere poſſum, uſum cantharidum internum, præſertim ſi mitioris indolis ſint, apud ſubjecta robuſta, et durioris vitæ generis non ſemper graviorem, et conſpicuam noxam inferre, (α) inde tamen

(α) Incolæ *Hungariæ ſuperioris* ultra fluvium *Tibiſcum*, uti in *Miſc. A. N. C. G. Obſ.* 133. relatum legimus, ſingularem ac valde acutam *hydrophobiæ* ſpeciem

men ad uſus ſecuritatem ſolidam concluſionem formari poſſe, nego, ac pernego, et in hoc paſſu ſingulos medicos conſcientioſos memet conſentientes habiturum eſſe, credo. Valent tamen memorata præcipue de uſu cantharidum ſolitario, ac paulo mitius itaque judicium ferendum erit, quando pulvis earum valde refracta doſi oleoſis, mucilagineis, pinguibus, gelatinoſis, aliisque corrigentibus additur, et torpidioris duntaxat naturæ hominibus, quibus potentiora ſtimulantia minus nocent, exhibetur.

larga cantharidum adſumtione iterum profligare ſolent. Superveniente hoc morbo, collum ſubito intumeſcit, poſtea ſuccedit æſtus ingens in capite, qui mox in univerſum diffunditur corpus, ita ut ægri intra quatriduum, niſi citata feratur medela, pereant. Ad curandum igitur hunc morbum decem cantharides pulveriſatas adſumunt; quo pulvere cum vehiculo hauſto, largi plerumque ſudores erumpunt, interdum etiam, citra ullum tamen dolorem, copioſus urinæ fluxus inſequitur. Incolæ hujus territorii natura admodum robuſta gaudent, et cantharides, ſi integræ ſumantur, nihil detrimenti creare poſſe, ſed pedes venenati potius corporis antidotum eſſe, opinantur. Probabile præterea eſt, cantharides, quæ in tractibus hiſce degunt, ob clima ſingulare, mitiora principia, quam noſtrates, continere; quemadmodum varietatem hanc apud alia quoque animantia, et vegetabilia, ſub diverſis climatibus reperiunda, frequentiſſime obſervamus.

SECTIO VIII.

DE DVLCIBVS.

CAPVT I.

DE NATVRA ET DIFFERENTIA DVLCIVM.

§. I.

DVLCIA, habita ratione diſtincti principii activi, ad quinque claſſes genericas redigenda ſunt, quarum prima *mucilaginea*, ſecunda *reſinoſo-gummea*, tertia *unguinoſo-ſalina*, quarta *oleoſa*, et quinta *aqueo-ſalino-oleoſa* complectitur. Binas claſſes poſtremas ad aliam Sectionem reſervabo, de tribus prioribus autem uberius hoc loco agere placet.

§. II.

Simplicia primæ claſſis ſola propemodum *ſubſtantia gummoſa*, ſive *mucilaginea*, cui pauciſſimæ ſaltem *miculæ reſinoſæ* intime permixtæ inveniuntur, inſtructa ſunt, quæ tota igitur in aqua ſolvitur, ac to-

tota pariter eodem menſtruo extrahitur, præſertim, ſi digeſtioni temporariæ lenior tandem coctio ſuccedat. Subſtantia hæc temperata quidem, lubrica, demulcens, ac nutriens eſt, leni nihiloſecius acredine, quæ ſeſe in receſſu manifeſtat, donata reperitur, et ideo etiam, ſaponis inſtar, abſtergit. Huic in dulcibus ſecundæ claſſis *reſinoſa* quoque *ſubſtantia*, quæ vini demum ſpiritu perfecte ſolvitur, largius ſociata eſt, et dulcedinem, uti ſpecies clarius docebunt, valde auget.

§. III.

Quando cum memorata ſubſtantia mucilaginea, aut reſinoſo-mucilaginea *plus terræ* et *pauxillum principii ſalini alcalici* intime combinatur, paullulumque præterea abundans materia ſpumido-unguinoſa auffertur, concreta dulcia tertiæ claſſis, *ſicca* nimirum, *ſaliniformia*, *ſacharata*, quæ ſalia pingvia æmulantur, et longe majori acredine gaudent, inde naſcuntur (*a*). De eminentiori

 acre-

(*a*) Succus dulcis, ex arundine ſacharifera expreſſus, absque additamento terreo-ſalino alcalico ad ſiccam, atque ſalinam conſiſtentiam, qua ſacharum vulgare pollet, redigi nequit, et citius, uti B. STAHLIVS *in Fund. chymiæ dogmaticæ et experiment. p. 69.* refert, empyrevma, quam ſiccitatem contrahit, ſi igne urgeatur. Quando ſolis quoque calore, vel ſimili mediante, inſpiſſatur, aut omnino exſiccatur, tunc minime purior, et mere ſalina

acredine non tantum ſapor, et forma ſalina cryſtallina, ſed notiſſimi quoque effectus teſtantur: Sacharum enim pulveriſatum, fonticulis et ulceribus inſperſum, luxuriantem carnem fungoſam erodendo abſumit, dentes ſucceſſive arrodit, et apud illos, qui eodem impenſius delectantur, nigros reddit, cuti-

culam,

ſalina ſubſtantia, ſed magma herbaceum, mucilagineum, extractiforme, inde emergit. Neceſſe igitur eſt, ut heterogenea a puriori ſucci portione ſeparentur, eidemque lixivii terreo-alcalici additione ſoliditas, ac ſicca conſiſtentia concilietur. Ex arundinibus, *Mambu* dictis, ſuccus, quo turgent, in ſingularibus molis conquaſſatoriis exprimitur, et ſtatim, ob propriam ſibi corruptibilitatem, in ahenis æneis coquitur; ubi craſſiores ejus feculentiæ oleoſo-ligneæ leviores ad ſuperficiem liquoris, ſub ſpumæ forma, adſcendunt, craſſiores terreæ autem præcipitantur. Adjuvant utrarumque ſeparationem per lixivium, e cineribus aut calce viva, vel utrisque paratum, dum infuſum cum acidis, iisque potentioribus ſucci ſacharini partibus coit, et rudiores terreas, ab illis antea corroſas, una cum craſſioribus oleoſis e mixtione extrudit, unde fit, ut priores fundum, poſteriores ſuperficiem petant. Ablatis hiſce ope cochlearis ferrei cribroſi, liquor ſpiſſiuſculus ad debitam usque conſiſtentiam incoquitur, poſteaque, vaſis figulinis pyramidalibus infuſus, in loca ſubterranea bene frigida defertur, et, aliquam ibi ſoliditatem nactus, æſtui ſolari exponitur, ut penitus exſiccetur. Pro refinando, ſeu ulterius depurando hoc ſacharo coctio, deſpumatio, ac memorati lixivii admixtio vel ſemel, vel ter

quater-

culam, tunicæ oculorum corneæ, aut albugineæ adnatam, abſumit iterum, in aqua diſſolutum, inſtar ſaponis, abſtergit, clyſteribus additum, ſtimulat, eorumque virtutem abſterſoriam auget, et apud illos denique, qui ſau-

quaterque repetitur: Sic magis magisque tum ſolidum, tum candidum enaſcitur ſacharum, coagulatione ſimplici in pyramidalem, cryſtalliſatione in eam formam abiens, qua ſacharum candum dicitur. Simili propemodum modo ex aliarum plantarum ac fructuum ſuccis dulcibus mucilagineis ſicca ejusmodi concreta ſaliniformia, ſeu ſachara parari poſſunt; immo interdum citra principii cujusdam terreo-ſalino-alcalini introductionem, ſola interveniente materiæ unguinoſo-oleoſæ exſuperantis ſeparatione, ſuccedit, uti hoc inter alia confectione *ſachari lactis* probari poteſt, quod ſequenti methodo, quam LVDOVICVS TESTI, *medicus Venetus*, in *peculiari de hoc ſacharo et arthritide libello* anno 1709. primum communicavit, præparatur: Lacti, menſe Junio, vel Julio collecto, ac communi methodo cocto, tot ova adduntur, ut in coagulum abeat, (auf die Art, wie hier zu Lande die Eyer-Käſe gemacht werden); ſerum a coagulo ſeparatum, ſtatim coquitur, ne aceſcat, et nonnihil inſpiſſatur, ſæpiusque inter inſpiſſandum per linteamina trajicitur, ut viſcoſitas hac ratione penitus ſequeſtretur. Quamprimum, magis magisque incoctum, cuticulam in ſuperficie contrahit, ab igne removetur, et in loco frigidiuſculo collocatur; ſic intra breve tempus cryſtalli ſalinæ, dulcisſimi ac gratisſimi ſaporis, in eo concreſcunt. Conf. *Teichmeieri Inſtit. Chemiæ dogmat. et experiment. p.* 200.

cium eroſione et angina ſpuria laborant, manifeſtum acredinis ac roſionis ſenſum excitat.

§. IV.

Moleculæ illæ, quæ ſub aggregatione ſua maſſas dulces formant, ex *terra teneriori*, in aqua, quamdiu mixtio durat, ſolubili, nec minus *acido ſubtili*, *mobili*, *volatili*, et *ſubſtantia oleoſo-unguinoſa*, aut *tenerrima* ſaltem *phlogiſta* compoſitæ ſunt, quibus in ſacharo vulgari, et concretis ſimilibus, arte paratis, ordinario *ſalinum alcalicum*, cum acido nativo in ſal medium degenerans, accedit. Principium oleoſo-unguinoſum, aut inflammabile tenerius portionem ſalino-terream, per ſe in naturalibus auſteram ac ſtypticam, involvit ac temperat, adeoque concurſu ſuo, et intima ad-et immixtione dulcedinem primario producit. Nam ſacharum, manna, mel, et quævis dulcia nativa reliqua, ſive ſint mucilaginea, aut reſinoſo-mucilaginea, ſive ſicca ſaliniformia, in arenæ balneo, e retorta igne ſicco deſtillata, transmittunt 1) *phlegma flaveſcens*, *debili odore* et *ſapore acidulo-balſamico* præditum 2) *ſpiritum flavum*, vel *ex flavo-rubicundum*, *pinguem*, *phlogiſto-acidulum mobiliſſimum*, qui recens tenerrima effluvia copioſe ſpargit, quæ naribus excepta, inſtar armoraciæ contritæ, violentum pruritum excitant. Ipſe quoque ſpiritus, cuticulæ inſtillatus, leviter eam arrodit, et flavam producit maculam, ali-

aliquamdiu pertinaciter inhærentem: Hiſce 3) *pauxillum olei ſubſtantialis ex brunno-nigricantis* ſuccedit, quod, ceu ſpiritu ſpecifice gravius, fundum petit, et in fundo retortæ *caput mortuum nigrum, terreum, iners, fixisſimum* relinquitur, et quidem copioſisſimum poſt ſiccorum ſaliniformium, parcius poſt mucilagineorum deſtillationem.

§. V.

Non diacriſeos tantum, ſed etiam ſyncriſeos exemplis prædicta dulcium principia conſtitutiva probantur. Noto v. g. notius eſt, fructus plantarum dulciſſimos in principio fuiſſe auſteros, ac ſtypticos, et ſucceſſiva demum, eaque intimiori, principii unguinoſi, aut oleoſi immixtione, cooperante tamen calore ſolis, dulcedinem adipiſci. Uvæ primo auſteri ſaporis ſunt, deinde acidum puriorem, ſubtilioremque, poſtea acidulo-dulcem, tandemque dulcem perfectiſſimum conſequuntur. Chymus animantium, præſertim illorum, quæ ſolis radicibus dulcibus, granis, herbis, foliis, gramine &c. veſcuntur, in ventriculo adhúc crudus, craſſus, terreo-acidus eſt, mutatur tamen poſtea in duodeno, ſuperveniente intima olei admixtione, in chylum dulcem, et ſenſim magis magisque alteratur, donec in ſanguine priſtina aciditas penitus evaneſcat, adeo, ut

ut in ſanorum ſanguine ne micula acidi expliciti, niſi tædioſum ac multiplex artificium chymicum accedat, demonſtrari queat.

§. VI.

Præter acidum iſtud, quod intimam ſubſlantiæ dulcis reſinoſo-mucilagineæ mixtionem ingreditur, et absque deſtructione ejus ſeparari nequit, aliud *ſal acidum eſſentiale*, moleculis reſinoſo-mucilagineis ſolummodo interjectum, adeoque e quibusdam, v. g. fructibus pulpoſis, citra mixtionis deſtructionem, ſeparabile, in corporibus dulcibus hujus commatis latet. Quando ſuccus v. g. paſſularum majorum, recenter expreſſus, et ad tertiæ partis remanentiam blande evaporatus, aeri frigidiuſculo aliquamdiu exponitur, ſal eſſentiale acidiuſculum cryſtallinum in eo concreſcit, et parti adhuc liquidæ oleum dulce ac gratum, cui ſalina hæc materia antea nonnihil involuta erat, ſeorſim innatat. Simile quid exſpectandum eſt, quando pulpoſa tamarindorum, caricarum et ſimilium ſubſtantia, poſt expreſſionem aqua paullulum dilutior reddita, eadem methodo tractatur.

CAPVT

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ATQVE VIRTVTIBVS DVLCIVM.

§. I.

Dulcia mucilaginea, ob blandam et unguinoſam ſuam indolem, animantium corpora non tantum nutriunt, ſed ſicca pariter, ac rigida nonnihil humectant, et emolliunt, partes eroſas demulcent, acrimoniam humorum obtundunt, involvunt, ac temperant, meatus lubricant, materias craſſas, ac mucidas blande reſolvunt, et, ſaponis inſtar, abſtergunt: Hinc ſatis eximium auxilium in ſiti nimia, eroſione, et aſperitate faucium, raucedine, angina ſpuria, tuſſi, aſthmate pituitoſo, calculo, ſtranguria, ſegnitie, ac ſiccitate alvi, edulcoranda acrimonia ſanguinis ſcorbutica, arthritica, rheumatica, et morbis ſimilibus præſtant. Crebro præterea, lubricandi et abſtergendi fine, clyſteres ingrediuntur, immo nonnulla, v. g. caricæ, mel &c. inter cataplasmata et epithemata emollientia, partibus inflammatis, tumidis, duris, dolentibus, ſpasmodice conſtrictis, adplicanda, nec minus inter gargariſmata recipiuntur.

§. II.

§. II.

A mucilagineis, reſpectu operationis, dulcia ſicca ſacharina, quæ ſalia media natura quodammodo æmulantur, et in corpore in minores quidem moleculas ſimilares, neutiquam vero in elementa diſſolvuntur, notabiliter diſtincta ſunt. Nutriendi enim facultate deſtituuntur, et minorem lubricandi, ac demulcendi, longe majorem ex adverſo incidendi, abſtergendi, ac ſtimulandi virtutem obtinent: Quare alimentorum quoque reſolutionem in ventriculo, nec minus aquæ, et olei unionem (α), adeoque chylificationem adjuvant, alvum officii ſui blande admonent, putredinem humorum avertunt (β), et

(α) Olea deſtillata ætherea, ſacharo inſtillata, et cum eodem in mortario trita, facillime a liquoribus aqueis, ſi agitatio quædam accedat, ſolvuntur, etiamſi alias unio oleorum cum aqua per ſe fieri nequeat. Sacharum itaque, tanquam corpus ſalino-unguinoſum, ob hermaphroditicam ſuam indolem copulatoris munere perfungitur, et contrariorum hujusmodi liquidorum miſcelam, atque connubium procurat. Notiſſimum quoque experimentum eſt, fruſtum ſachari, mixturæ lactis, atque cremoris injectum, olei ſeparationem, adeoque butyri confectionem impedire; quod plus vice ſimplici apud ignaros illati faſcini ſuſpicionem excitavit.

(β) „Quæ ſacharo præſervantur, BECHERUS *in Phy-„ſica ſubt. p. 143. ſcribit*, craſin ſuam ſervant, ut-„pote quæ a ſacharo non alteratur. Nam cum id „in partibus ſuis temperatum exiſtat, nullam in

et excretiones quaſcunque, maxime autem expectorationem, et diureſin promovent. Externe ad leniora cathæretica, et ſtimulantia clyſmatum ingredientia pertinent.

§. III.

Quanquam medicamenta dulcia non adeo activa ſint, multum nihilominus detrimenti, ſi

„corporibus, prout ſal commune, *reactionem* aut „*intrinſecam mixtionem* facit, ſed tantum ea præ„ſervat, *humiditati* reſiſtendo, et internum balſa„mum confortando, quod a ſacharo optime qui„dem et ſufficientur præſtatur; nam experientia „docet, integras *nefrendes*, cum ſacharum co„quunt, et in officinis ſachārariis in magnis cati„nis depurant, *intinctas*, et quaſi in momento *ex*„*tractas*, ita tamen ſacharo *penetratas eſſe*, ut nun„quam amplius putreſcant, cum a ſacharo partes „ita obducantur, ut etiam *in ipſis oſſibus* invenia„tur, eaque condiat, alias valde putreſcibilia. „- - - Vidimus quoque, carnem *cervinam* ſacharo „condiri, quæ *ſumma in æſtate putredini reſiſtebat.* „- - - - Immo experientia demonſtrat, ſacharum „longe melius et fortius a putredine, quam ſal „præſervare; nam licet fructus, *poma* et ſimilia, „plurimo ſale condias, tamen putreſcent; cum „e contra *ſacharo* obducta, in qua re *Genuenſes* ex„cellunt, diutiſſime perſiſtant. Et hæc eſt ratio, „quod multa loca in Indiis ſint, ubi ſachari „copia eſt, et incolæ nullo unquam ſale veſcun„tur; Europæos pro ſtultis æſtimantes, quod „tam *acerbam* materiam intra corpus ſumant: „Nam ſacharum *dulce ſal* vocant. Hi ergo, cum „loco *ſalis ſacharo* utantur, nunquam deprehen„duntur ſcorbuto laborare.

ſi uſus ſcilicet nimius admittatur, et intempeſtivus, ſanitati inferre valent. Nam vermium inteſtinalium geneſi, ac multiplicationi anſam præbent, præſertim apud infantes, qui adhuc ventriculi debilitate, et naturali bilis inertia laborant: Dulcia mucilaginea præterea facile mucum gignunt, et ſpiritu ſylveſtri fermentante, quem largius adſumta, et diutius in primis viis retenta, evolvunt, motus turbant, ac genus nervoſo-membranaceum valde debilitant. Mucus, quem generant, vel *inſipidus*, vel ſimul *acidus* eſt, et duplici modo in ventriculo et inteſtinis ex dulcibus mucilagineis naſcitur, nimirum 1) quando, largius atque frequentius ingeſta, partes quasdam terreo-mucidas poſt ſui reſolutionem, ac tranſitum ad ſanguinem relinquunt, quæ mora diuturniori, et aliarum cruditatum concurſu, ſpiſſiores non minus, quam acriores, evadunt, atque magis magisque corrumpuntur, 2) quando recrementa memorata, et adhuc integræ moleculæ dulces in ſubjectis, ventriculi imbecillitate laborantibus, in motum fermentativum ruunt, et hac ratione acidum, antea involutum, et unguinoſa ſubſtantia contemperatum, plus minusve evolvitur, et copioſæ inſuper partes fæculentæ extruduntur ac deponuntur. (*α*)

§. IV.

(*α*) De poſſibilitate *fermentationis incompletæ* in ventriculo, et inteſtinis nullo modo dubitandum eſt, ſi

§. IV.

Non deſtituuntur quoque pura, ſicca, ſaliniformia, ſacharina, peculiari nocendi facultate, ſed, nimium adhibita, homines macilentos reddunt, et ideo cholericis inprimis, et hecticis nocent. Sacharum cryſtallinum enim, uti antea memoratum fuit, ſatis validam ſtimulandi, et incidendi virtutem poſſidet, aquæ et olei unionem egregie promovet, adeoque butyri ſeparationem impedit; quæ ſingula in corpore humano adplicari poſſunt. Ad pinguedinis nempe generationem lar-

ſi dulcia nimirum fermenteſcibilia largius ingerantur, ibidemque moras longiores nectant. Adeſt enim ſpatium ſufficiens, adeſt calor blandus ac humidus, adeſt denique materia ad fermentationem apta. Satis præterea de incipiente et aliquamdiu protracta actuali fermentatione teſtantur flatus, ructus, borborygmi, dulcium fermenteſcibilium adſumtioni largiori in plerisque, præſertim debilibus, ſupervenientes, nec minus intumeſcentia abdominis, tormina, diarrhoeæ, et ſimilia, itemque ſpiritus fermentans, qui, nervos et vaſa ſanguifera intrans, primo perturbationem ac dolorem capitis, poſtea ſomnum turbulentum, tandemque univerſi corporis imbecillitatem, per integrum ſubinde diem inſequentem, et ultra, perſeverantem, producit; quemadmodum effectus hujusmodi plus ſimplici vice apud illos obſervavi, qui dulciſſimos fructus horæos, aut cereviſiam dulcem recentem, halitu ſylveſtri adhuc refertam, copioſius adſumſerunt.

largior olei unguinoſi temperati e ſanguine, et a partibus reliquis ſecretio requiritur; hanc autem impedit ſacharum purum, juſto largius adſumtum, et magis potius aquæ et olei unionem in ſanguine adjuvat: Unde ſatis conſtare exiſtimo, quod dulcia hujusmodi pinguedinis incremento parum faveant, ſed geneſin ejusdem atque ſecretionem potius impediant, adeoque ſubjectis ſiccis ac macilentis minus, quam ſucculentis et obeſis, proficua ſint.

CAPVT III.

DE RADICE POLYPODII ET GLYZYRRHIZÆ.

§. I.

Nodoſo-geniculata POLYPODII RADIX, Engelſüß, Steinwurtzel, craſſitie mediocri, colore foris ruffeſcente, intus ſubviridi herbaceo, odore debili ingrato, ſapore nauſeoſo, ex dulci, acriuſculo et ſubadſtringente mixto, donata eſt. Planta inter fiſſuras rupium, muſco obductarum, progerminat, et hinc inde pariter ſemiputridis atque vetuſtis ſalicum, fagorum, ac quercuum trun-

truncis adcreſcit. Polypodium optimum creditur, quod inter quercuum annoſarum radices adoleſcit, vel ipſis truncis muſcoſis adcretum reperitur.

§. II.

Longe majorem *principii gummoſi*, quam *reſinoſi* quantitatem poſſidet, et prius in uncia una circiter drachmas tres, poſterius ſcrupulos duos pondere æquat. Dulcedo in utroque latet principio, acredo autem, et moderata virtus adſtrictoria præcipue in parte reſinoſa quærenda eſt. Infuſum ejus aquoſum colore gaudet ſaturate aurantio, ad brunnum nonnihil vergente, odorem ſpirat nauſeoſum, et linguæ dulcem duntaxat ſaporem imprimit Extractum inde paratum brunnei coloris eſt, ſaporis dulcis, ac parum adſtringentis, odoris nullius. Infuſum ſpirituoſum colore flavo, odore ingrato, et majori, quam aquoſum, dulcedine, debili acredine mixta, pollet. Poſt inſpiſſationem extractum largitur, colore brunno, ad rubrum nonnihil inclinante, odore debili nauſeoſo, ſapore auſteriuſculo, adſtringente, ſubacri, ac parum amplius dulci, præditum; quod poſtremum notatu utique digniſſimum eſt, quoniam infuſum valde erat dulce, immo, infuſum aquoſum dulcedine longe ſuperabat.

§. III.

Virtute *laxante*, *abſtergente*, *diuretica*, et *expectorante* inſtructa eſt. Virtus laxans partibus ſubacribus et auſteriuſculis ſubadſtringentibus adſcribenda eſt. Inde etiam dependet vis diuretica: Quod abſtergentem vero et expectorantem attinet, illa a dulcibus inprimis partibus derivanda erit. Specifice igitur in tuſſi, et aſthmate pituitoſo, ſcorbuto, dyſuria, et calculo prodeſt: An vero in ſtrumis quoque, uti ſcriptores tradunt, malo hypochondriaco, melancholia, ſcabie, febre quartana, et lue venerea ſingulare quid præſtet, certo adfirmare nondum audeo. Varias ingreditur compoſitiones, optime nihilominus in decocto, et infuſo, tam aquoſo, quam vinoſo, a drachma una ad unciam dimidiam, exhibetur.

§. IV.

Multa cum radice polypodii, intuitu ſcilicet uſus ac virium, communia habet RADIX LIQVIRITIÆ ſive GLYZYRRHIZÆ SILIQVOSÆ. Hæc oblonga eſt, ſarmentoſa, coloris flavi, odoris ſubtilis mellei, et ſaporis grati dulciſſimi. Copioſe creſcit in *inſulis Canarienſibus*, *deſertis Tartariæ ſeptentrionalis*, *Hiſpania*, *agro Bambergenſi*, *Anglia*, *Gallia Narbonenſi*, et alibi. Optima cenſetur, quam inſulæ Canarienſes, Hiſpania et Tartariæ deſerta gignunt, reliquæ tamen ſpecies vix inferiores ſunt, et quæ in noſtris Officinis

nis pharmaceuticis venditur, maximam partem ex agro Bambergenſi transmittitur.

§. V.

Principium activum potiſſimam quidem partem in aqua ſolubile, adeoque *gummoſum* ſive *mucilagineum* eſt, præcipua nihilominus dulcedo *paucis* atque *tenerrimis moleculis reſinoſis*, per gummoſam ſubſtantiam diſperſis, et intime cum ea mixtis, ingenita reperitur. Reſinoſa hæc portio difficillime ſeparatur, et tota propemodum cum parte mucilaginea ſub infuſione aquoſa, præſertim ſi aliqua duntaxat coctio accedat, extrahitur. Ex uncia una radicis dimidiam ferme unciam extracti aquoſi obtinui, quod colore ſaturate brunno, ad nigredinem nonnihil vergente, tinctum erat, et fortem ac gratam dulcedinem, linguæ imprimebat. Infuſum ſpirituoſum ſaturate aureum colorem obtinet, et eminentem dulcedinem, notabili tamen acredine mixtam, poſſidet; Extractum inde paratum drachmam unam et grana quinquaginta pendebat, et coloris ex flavo-rubentis, ſaporis dulciſſimi erat, ita tamen, ut mixta acredo ſub deguſtatione ſatis quoque ſenſibilis eſſet.

§. VI.

Quoad vires polypodio valde analoga eſt, minori tamen virtute laxante, majori ex adverſo *demulcente, abſtergente, lubricante* et *pectorali* pollet. Magnopere ſeſe in adfectibus

pectoris, a tenui materia acri, aut ſalſo-pituitoſa tenaci oriundis, nec minus in ſcorbuto, ſtranguria, ardore urinæ, eroſione faucium, aliarumque partium, raucedine, et ſimilibus morbis commendat. Frequentiſſime infuſa, et decocta aquoſa atque vinoſa, a drachmis duabus ad integras uncias, ingreditur, et ſubinde quoque inter pulveres, morſulos, electuaria, aliasque compoſitiones recipitur.

CAPVT IV.

DE SILIQVA DVLCI ET CASSIA FISTVLA.

§. I.

SILIQVA DVLCIS, *Siliqua edulis*, *Ceratonia*, *Panis S. Johannis*, Johannis-Brodt, eſt arboris *Ceratiæ*, apud Arabes *Carneb* ſive *Carob* dictæ, fructus ſiliquoſus, craſſus, oblongus, compreſſus, nonnihil intortus, digito longior, pollice latior, ſaporis dulcis, coloris obſcure fuſci, odoris nullius ſingularis. Copioſe hæ arbores in *Syria*, *Palæſtina*, *Sicilia*, *Italia*, *Hiſpania* &c. adoleſcunt, ac tanta fructuum ubertate in orientalibus regionibus gaudent, ut hominibus non minus, quam variis animantibus aliis, alimentum largiantur.

Sub

Sub inerti cortice externo fructus hi dulcem ſubſtantiam pulpoſo-carnoſam fovent, quae aliquot nucleos duros, planos, compreſſos, orbiculares, laeves, fuſcos, loculis membranaceis incluſos, continet. Subſtantia dulcis pulpoſo-carnea, in qua virtus unice latet, facile carioſa, adeoque inutilis evadit; hinc ſemper ad uſum ſiliquae integrae, ac recentiores eligendae, corruptae autem, dulcedine dudum orbatae, prorſus rejiciendae ſunt.

§. II.

Laudata ſubſtantia pulpoſa maximam partem *mucilagineae* ſive *gummoſae indolis* eſt, et *paucis* duntaxat *reſinae granis*, quae difficilius ſeparantur, et vix annotationem merentur, remixta deprehenditur. Extractum aquoſum colorem ex flavo-brunnum obtinet, et mel apum ſapore ſuo valde aemulatur. Ex ſiliquarum uncia una drachmas quinque, et ſcrupulum unum obtinui. Peracta hac extractione, reſiduum plane iners reperitur, et inſipidum, ac paullulum ſaltem ſubadſtringere videtur.

§. III.

Militant deſcriptae ſiliquae dulces, praeſertim recentiores, inter mitiſſima *laxantia*, *abſtergentia*, ac *demulcentia*, et in dyſuria proinde, ſtranguria, ardore ventriculi, eroſione faucium, tuſſi, aliisque ſalſo-pituitoſis pectoris

ri; adfectibus, nec minus in ſcorbuto, ſiccitate alvi &c. auxilium non contemnendum ferunt. Per ſe quidem haud raro comeduntur, melius tamen ſub decocti, aut infuſi aquoſi, vel vinoſi forma adhibentur.

§. IV.

Ceratoniæ merito longi, rotundi, cylindracei, nigricantes, fructus ſiliquoſi CASSIÆ FISTVLÆ ALEXANDRINÆ, ſeu PVRGATRICIS ARABVM, Caßien-Röhrlein, jungendi ſunt. Hi ipſi enim in ſingularibus ſuis et ordine diſpoſitis loculamentis, præter dura, compreſſa, ac fulva ſemina, pulpam dulcem ac nigricantem reconditam gerunt, quæ ſola, a ſeptis ſeu intergerinis loculamentorum parietibus, quibus maxime adhæret, detracta, et in majorem maſſam redacta, uſum medicum invenit. Arbores, quæ hos fructus ferunt, in *India orientali*, et *occidentali*, maxime autem in *Ægypto* creſcunt, et fructus memoratos quotannis maxima copia largiuntur.

§. V.

Pulpa a menſtruis aqueis promptiſſime, in ſpiritu vini rectificatisſimo autem paullo tardius ſolvitur. *Tota* propemodum *gummoſa* ſive *mucilaginea* eſt, et æque, ac pulpoſa ceratoniæ ſubſtantia, *pauciſſimas* duntaxat *reſinæ veræ*, quanquam tenerrimæ, et gummoſæ portioni intimius immerſæ, *moleculas* poſ-

ſi-

ſidet: Solutio igitur, quae in ordinario ſpiritu vini contingit, partium aquearum adhuc inhaerentium actioni unice adſcribenda eſt. Quoad uſum, ac vires haec pulpa cum ceratonia convenit, alvum tamen paullo fortius, quam illa, movere conſuevit. Datur, a drachmis duabus ad unciam integram, in infuſo aut decocto, cum aqua, vino, ſero lactis, vel juſculo quodam parando. Perſaepe etiam bolos, electuaria et clyſteres ingreditur.

CAPVT V.

DE PASSVLIS MAIORIBVS, PRVNIS DAMASCENIS ET SEBESTENIS, IVIVBIS, CARICIS ET DACTYLIS.

§. I.

VVAE PASSAE ſeu PASSVLAE MAIORES ex *Hiſpania*, *Gallia* et *Hungaria* magna quotannis copia ad nos transvehuntur, et ob uſum culinarem communiſſimum tam notae ſunt, ut nulla prorſus deſcriptione indigeant. Vulgo in *Damaſcenas*, quae *Zibebae* dicuntur, et maximae non minus, quam optimae ſunt, *Maſſilioticas coeruleſcentes*, et

Majores ordinarias ſive *vulgares* diſtinguuntur; quæ differentia tamen tempore uſus medici non adeo magni momenti eſt.

§. II.

PRVNA DAMASCENA non tantum ex *Syria*, ſed ex *Hungaria* pariter, et *Hiſpania* adferuntur; PRVNA SEBESTENA autem, Sebeſten, ſchwartze Bruſt-Beerlein, quæ prunis Damaſcenis minores, aridioresque ſunt, in *Syria*, *Ægypto*, aliisque *Aſiæ* et *Africæ* regionibus colliguntur, et plerumque per portum Alexandrinum ad gentes exteras evehuntur. IVIVBÆ ſeu ZIZYPHI, rothe Bruſt-Beerlein, in *Ægypto*, *Mauritania*, *Hiſpania* et *Italia* creſcunt, colore ex nigro-rubente gaudent, et ſaporis dulcedine pruna Sebeſtena ſuperant. CARICÆ ſeu FICVS Feigen, in omnibus ferme regionibus calidis, ac temperatis proveniunt, multumque diſcriminis reſpectu bonitatis, pro varietate climatum, ac loci natalis, oſtendunt, optimæ tamen *Gallicæ Provinciales* cenſentur. DACTYLI denique, ſeu *Fructus Palmæ majoris dactyliferæ*, (a) Datteln, in variis regionibus orientalibus, maxime autem in *Perſia*, copioſe naſcuntur, et incolis plerisque in victum pene quotidianum cedunt. Singuli hi fructus eligendi ſunt recentius exſiccati, rejiciendi

(a) Hujus arboris deſcriptionem uberrimam KÆMPFERVS dedit in Amoenit. Exot. Faſc. IV.

di ex adverſo nimis vetuſti, ſemicorrupti, carioſi, adeoque dulci ſua pulpa, quæ ſola in morbis uſum præſtat, jam maximam partem ſpoliati.

§. III.

Memorata *ſubſtantia dulcis pulpoſa* tota propemodum *gummoſa*, ſeu *mucilaginea*, adeoque in aqua ſolubilis, deprehenditur: *Reſinoſum* enim *principium* tam exigua quantitate adeſt, et mucilagineis partibus tantopere inmixtum hæret, ut nulla ejusdem ratio habenda ſit. Quoad naturam præterea in diverſis hiſce fructibus convenit, præterquam, quod in Jujubis, Prunis Sebeſtenis, et Caricis viſcidior, quam in reliquis, exiſtat, et in aliis minorem, in aliis majorem *ſalis acidi eſſentialis*, (cujus mentio uberior jam alibi facta *(a)*), quantitatem foveat.

§. IV.

Lubricando, *abſtergendo*, ac *demulcendo* operationem ſuam abſolvunt, nec contemnendi proinde uſus ſunt in raucedine, aſperitate faucium, eroſione ventriculi, et inteſtinorum, ſiccitate alvi, tuſſi ſalſo-mucida, aliisque pectoris adfectibus acribus, et pituitoſis, nec minus in ardore urinæ, calculo, et ſcorbuto. Ingrediuntur decocta, et infuſa theiformia, et caricæ denique, cum validius, quam

(a) Vid. Cap. I. §. 6.

quam reliquæ ſpecies allegatæ, emolliant, perſæpe inter clyſterum, gargariſmatum, et cataplasmatum ingredientia locum inveniunt. Abuſus internus ventriculum debilitat, et facile diarrhoeis anſam præbet.

CAPVT VI.

DE SACHARO, MANNA ET MELLE.

§. I.

SACHARVM purum, album, cryſtallinum, quod frequentiorem præ impuro uſum medicum habet, eſt concretum unguinoſo-ſalinum vegetabile, interveniente ſingulari unione, ex *terra ſolubili, acido ſubtili*, et *teneriori ſubſtantia oleoſo-inflammabili* compoſitum. Sicco nempe, ac blando igne e retorta deſtillatum, *phlegma, ſpiritum acidulum ex flavo-rubentem*, et exiguam *olei ex ruffo-nigricantis*, et in ſpiritu ſubſidentis, quantitatem reddit; in retorta autem *caput mortuum copioſum, nigricans, ſplendens, fixisſimum, inodorum*, et *inſipidum* relinquitur. Spiritus recens odorem acrem, acidulum, leniter balſamicum ſpirat, et in naribus halitu ſuo, inſtar armoraciæ raſpatæ, vividæ titillationis ſenſum excitat.

§. II.

§. II.

Originem ſuam tum naturæ, tum arti, debet: In India enim utraque, ubi, adjuvante diligenti incolarum cultura, arundo ſacharifera abunde creſcit, ſuccum ex maturis arundinibus per molas conquaſſatorias exprimunt, ac paullo poſt, ne in motum ruat fermentativum, et corrumpatur, in ahenis æneis coquunt. Sub coctione partes impuræ lignoſo-oleoſo-ſpumidæ ad ſuperficiem, ubi cochlearibus ferreis auferuntur, adſurgunt, craſſiores ac graviores mucido-terreſtres autem fundum petunt. Sequeſtrationem harum impuritatum infuſione lixivii, e *calce viva* et *cineribus*, vel ex *ſola calce viva* parati, adjuvant. Terreo-alcalicæ enim lixivii partes cum acidioribus ſucci partibus connubium ſubeunt, et terreæ ex adverſo, et oleoſæ craſſiores ipſius ſucci, ad intimiorem unionem ineptæ, partim ad ſuperficiem extruduntur, partim præcipitantur ad fundum. Ablatis ſupernatantibus impuritatibus levioribus, ſuccus reſiduus jam ſpisſiuſculus ad ſufficientem conſiſtentiam ulterius incoquitur, et in loco frigidiuſculo ſubterraneo, formis pyramidalibus infuſus, collocatur, ut aliquam ſoliditatem adipiſcatur: Quo facto, æſtui ſolari exponitur, ac penitus exſiccatur. Sub refinatione, ſeu repetita ſolutione, coctione, deſpumatione &c. prædictum lixivium rurſus infunditur, ut ſacharum tan-

tandem debitam conſiſtentiam, debitumque candorem conſequatur. Patet inde, ſubſtantiam terreo-ſalino-alcalicam teneriorem, quæ ſucceſſive majori copia immiſcetur, baſin præbere, partes acidas autem, modice tamen principio oleoſo-inflammabili obductas, et contemperatas, ita illi ipſi adunari, ut inde corpus quoddam *unguinoſo-terreo-ſalinum* cryſtallinum emergat.

§. III.

Puriores ſachari ſpecies non externa duntaxat forma cryſtallina, ſed nonnihil pariter natura ſal medium æmulantur, et magis *incidendo*, *reſolvendo*, *ſtimulando*, et *abſtergendo*, quam *demulcendo* agunt; hinc abuſus quoque macilentis nocet, et pinguedinis generationem, uti uberius pridem in capite generali explanatum fuit, impedit. Purum cæteroquin ac candidum ſacharum multis compoſitionibus pharmacevticis excipiens præbet, pluribusque, vel gratiæ, vel conſiſtentiæ, vel virtutis cauſſa, additur. Externe ad mitiora *cathæretica*, et *ſuffimigia antiputredinoſa* pertinet.

§. IV.

MANNA eſt ſuccus vegetabilis inſpiſſatus, pallide flaveſcens, ſaporis dulcis et ſubacris, odoris melliti, aſt nauſeoſi. Optima eſt *Calabrina*, ac ſola proinde a medicis

præ-

præſcribitur, prorſus reiecta ignobiliori, quæ in *Syria*, *India orientali*, *Provincia* ac *Delphinatu Galliæ*, *Epiſcopatu Tridentino*, et alibi colligitur. Calabrina, cui *Sicula* pariter, ac *Neapolitana* indole non minus, quam virtute et origine ſimillima eſt, menſibus æſtivis, ſub tempeſtate ſicca ac fervida, ex foliis, trunco ac ramis *arboris fraxini foliis rotundis* exſudat, vel rectius, e vaſculis ſucciferis, nimium repletis, expanſis, adeoque ruptis, profluit, et horis pomeridianis a ſole, et aere in granula coagulatur, quæ paullo poſt ab incolis colliguntur, et, poſt ulteriorem exſiccationem, in maſſam majorem rediguntur. Subinde incolæ, vt majorem copiam impetrent, aptis diebus arbores memoratas hinc inde cultris ligneis incidunt, et ſuccum largius effluentem poſt debitam condenſationem colligunt: attamen hæc manna ignobilior, atque impurior reperitur, et majori quoque flavedine, quam prior, gaudet. (*a*)

§. V.

Manna electa, in aqua ſimplici tota, nullis relictis partibus recrementitiis, ſolvitur, facile quoque, ſi debite fuerit exſiccata, accenditur, et, igne ſicco deſtillata, æque, ac mel et ſacharum, *phlegma*, *pinguem ſpiritum* *aci-*

(*a*) Uberrime colligendi modum, aliaque, ad mannæ differentiam ac geneſin ſpectantia, SYLVIVS BODDONE *in Obſ. Naturalibus* deſcripſit.

acidulum, et *paucum oleum ſubſtantiale* reddit, immo, ſi fermentationi committitur, *liquorem vinoſum* ſuppeditat: Unde pateſcere opinor, mixtionem ejus, praeter *terram* et *aquam copioſam*, *multum ſalis acidi*, et *paucum oleum ſubſtantiale*, *paucumque principium inflammabile tenerius* ingredi, et ipſam mannam adhuc integram, licet maximam partem *gummoſæ* ſive mucilagineæ indolis ſit, aliquam, quanquam exiguam, ſubſtantiae *reſinoſæ* portionem, intime tamen atque tenerrime gummoſis partibus intermixtam, adeoque ſimul in aqua tepida ſolubilem, continere.

§. VI.

Ad *abſtergentia*, et *laxantia mitiſſima* refertur, et infantibus proinde, adultisque ſenſibilioribus, aut debilitatis perſæpe præſcribitur ab uncia ſemiſſe ad unciam unam, vel duas. Per ſe quidem poteſt adſumi, ordinario tamen, aqua quadam deſtillata, vel vino, vel juſculo avenaceo ſoluta, in potiunculæ formam redigitur. Quum ſola quoque nimis debilis exiſtat in operando, plerumque rhabarbarum, aliaque fortiora purgantia, ut et ſalia media, adduntur. In adfectibus flatulentis, a viſcida primarum viarum colluvie oriundis, non adeo tuta creditur, in ſpasmodicis autem atque convulſvis, ob junctam demulcendi virtutem, valde proficua deprehenditur.

§. VII.

§. VII.

MEL APVM eſt corpus unguinoſum ſpiſſiuſculum, ſaporis dulciſſimi, odoris grati, et coloris nunc albicantis, nunc pallide flaveſcentis, nunc flavi ſaturatioris. In regionibus plerisque, maxime autem in *Pruſſia*, *Polonia*, *Lithuania*, et *Ruſſia* ab apibus, tam domeſticis, quam ſylveſtribus, e *nectario* florum aromaticorum et balſamicorum, ſalviæ, v.g., rorismarini, thymi, majoranæ, lavendulæ, polii, ſerpilli, origani, roſarum, tiliæ, acaciæ ſylveſtris, liliorum, violarum, lamii, trifolii pratenſis &c. colligitur, et in favorum cellulas, poſt temporariam in ſingulari corporis veſicula digeſtionem, immittitur, ubi refrigeratum decentem ſucceſſive conſiſtentiam craſſiuſculam adquirit. Magnopere, ratione *originis*, *conſiſtentiæ*, *puritatis*, *bonitatis*, immo, *coloris*, *ſaporis*, et *odoris* differt. In genere cæteroquin optimum cenſetur in regionibus collectum, in quibus uberior roſarum, liliorum, tiliarum, nec minus plantarum aromaticorum proventus eſt.

§. VIII.

Reſpectu naturæ et principiorum pleraque cum ſacharo et manna communia habet: Succus enim vegetabilis inſpiſſatus *reſinoſo-mucilagineus* eſt, qui, non obſtante parciſſima reſinoſi principii miſcela, totus in aqua ſolvitur, et ſaponacea prorſus indole gaudet.

Libræ duæ, ex cucurbita deſtillatæ, obſervante LEMERY (*a*), primo uncias ſex *aquæ claræ* dederunt. Hæc aqua odorem mellis ſpirabat, et, licet inſipida videretur, *acidi* tamen pauxillum, ex colore rubente, quem tincturæ tornæ ſolis conciliabat, manifeſti, in ſinu fovebat. Continuata deſtillatione, *aquæ pellucidæ flavæ*, *grati odoris mellei*, *ſaporis acidi*, *acris*, *urentis*, unciæ quatuor prodierunt. Aucto igne, nebulæ albicantes adſcendebant, quæ *liquorem rubrum ſpirituoſum* aggregatione ſua conſtituebant, *ſapore acido*, *acri*, *fervido*, et *odore empyreumatico* quidem, aſt *non ingrato*, præditum. Spiritum hunc, qui uncias tres pendebat, denuo unciæ duæ *aquæ aurantii coloris*, et *ſaporis acidi remiſſioris* ſequebantur; maſſa autem, in cucurbita relicta, valde expanſa erat, levis, nigra, et uncias XV. cum dimidia pondere adhuc æquabat. Exemtam igni violentiori in retorta ſubjecit, et amplius inde *liquoris rubentis*, *valde empyreumatici*, *acidi*, *acris* uncias ſeptem, et *olei craſſi*, inſtar picis, *nigri*, *acris*, drachmas duas eduxit, ita, ut *carbo* duntaxat *aridus*, qui adhuc uncias ſeptem et drachmas ſex pendebat, relinqueretur.

§. IX.

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1706. p. 352.

§. IX.

Præter *nutriendi* facultatem, quæ pleriſque dulcibus competit, egregia quoque virtute *abſtergente, demulcente, emolliente, pectorali, travmatica,* et *aphrodiſiaca* pollet. Frequentem itaque uſum in pectoris, ac faucium morbis, eroſione partium internarum, et ulcere renum invenit, multisque medicamentis pharmacevticis excipiens præbet. Externe furunculis, ſimilibusque tumoribus inflammatoriis, ad ſuppurationem deducendis, ſub cataplasmatis forma, imponitur, et frequentius adhuc, præſertim mel roſatum, in ulcera impura, demulcendi ac purificandi fine, immittitur. Perſæpe denique aqua vel aceto diluitur, et notiſſimum *Hydromeli* et *Oxymeli* paratur.

SECTIO IX.

DE AMARIS ET AMARICANTIBVS.

CAPVT I.

DE DIFFERENTIA ET NATVRA AMARORVM.

§. I.

Amara et amaricantia in genere vel *Inodora* ſunt, vel *Odorata balſamica:* Priora medium quaſi locum inter auſtera et aromatica tuentur, dum ex ſubtilioribus partibus, quam auſtera, e craſſioribus contra et obtuſioribus, quam aromatica, compoſita eſſe videntur; poſteriora, quorum uberior fiet mentio in *Sectione de Aromaticis et Balſamicis*, principium activum fovent, ex amaro mixtum, et aromatico aut balſamico.

§. II.

§. II.

Amara inodora, cujus cenſus ſunt *radix gentianæ*, *diptamni*, *trifolii fibrini*, *herba cardui benedicti* &c., nulla ſenſibilia ſpargunt effluvia, multo minus moleculas activas cum aqua ſub deſtillatione humida reddunt, ſed ſubſtantia amara *fixæ prorſus indolis* eſt, adeoque tota in cucurbita, aut veſica remanet. Radix ſcillæ v. g., ut ut amariſſima, nullam reddit aquam amaram, ſed inſipidam omnino, inodoram, nullis ſingularibus viribus præditam. Bilis cyſtica, vel evaporando in vaſe aperto, vel deſtillando in cucurbita, inſpiſſata, nil, niſi partes aqueas inſipidas, et tenerrimas quasdam balſamicas, debilem naribus ac nauſeoſum moſchi odorem imprimentes, transmittit, ipſa autem ſubſtantia amara in fundo cucurbitæ tota relinquitur, et, diluente phlegmate ſuo penitus orbata, extractum mucilagineum amariſſimum refert, coloris ex atro-viridiuſculi. Prompte iterum aqua ſimplici ſolvitur, et eximium conſtituit ſaponem, ſpiritus vini autem conſortium reſpuit, nec ſingulari eum, niſi phlegmate adhuc gaudeat, poſt iteratam etiam vaſculi agitationem, flavedine tingit. Cognoſcimus igitur ex memoratis, extracta amara quamplurima nullas ſub deſtillatione aut evaporatione aperta vires amittere, et activitatem ſuam diutiſſime retinere poſſe.

§. III.

Ab amaris inodoris, reſpectu memoratorum, nonnihil differunt amara odorata balſamica: Hæc ipſa enim ſub deſtillatione *particulas volatiles ſpirituoſo-oleoſas æthereas* dimittunt, cum quibus *tenerrimæ* pariter *moleculæ quædam gummeo-reſinoſæ*, per ſe quidem fixæ, altius tamen prædictis immerſæ, adeoque ſimul in altum abreptæ, in receptaculum transvehuntur, et ſic oleum balſamicum et aromaticum ſapore amaro, aut amaricante imbuunt. Non proprius itaque hic ſapor amarus oleis hujusmodi æthereis eſſe, ſed ab implicitis, et intime unitis, adeoque ſimul translatis, particulis amaris reſinoſis dependere videtur.

§. IV.

Confirmante deſtillatione humida, itemque extractione cum aqua, et ſpiritu vini, amara vel *reſinoſo-gummeam*, vel *gummeo-reſinoſo-oleoſam ſubſtantiam* continent, et ideo recte ad duas claſſes genericas rediguntur, quarum prior *reſinoſo-gummea*, poſterior *gummeo-reſinoſo-oleoſa* complectitur. Notandum tamen, reſinoſo-gummea ordinario inodora eſſe, gummeo-reſinoſo-oleoſa autem, æthereo tamen oleo inſtructa, nunc gratiorem nunc ingratiorem odorem balſamicum, et aromaticum ſpirare: Æthereo, inquam, oleo inſtructa; dantur enim, quæ, præter ſubſtantiam reſinoſo-gummeam, *oleum unguinoſum*

pos-

poſſident, et ideo, cum aqua trita, uti ſem. card. Mariæ et card. benedicti, lacteſcunt. (*a*).

§. V.

Elementa, ad ſubſtantiæ amaræ fixæ compoſitionem neceſſaria, materialiter eadem quidem ſunt, quæ moleculas dulces formant, *terra* videlicet, *phlegma*, *ſal acidum*, et *materia oleoſo-phlogiſta*, aut ſaltem, qualis perſæpe in mere gummoſis reperitur, *tenerior inflammabilis*; aſt longe tamen alia adeſt eorum proportio, et alius omnino mixtionis modus, qui chemicis hactenus nondum ſatis innotuit, nec unquam forſan perfecte innoteſcet. Allegata cæteroquin principia conſtitutiva adeſſe, ſpagirica analyſis abunde docet. Radix ſcillæ v. g., toſta paullulum, et exſiccata, adeoque parte volatili acriori maximam partem ſpoliata, ut et mucilago ejus, aqueo menſtruo extracta, ac denuo evaporando inſpiſſata, largiuntur, ſi igne ſicco e retorta deſtillantur, 1) *aquam*, *ſubtili* et *volatili acredine* imbutam, 2) *liquòrem flaveſcentem*, tandemque *brunnum*, *manifeſte acidum*, *parti-*

(*a*) Pleraque ſubjecta amara, quod hoc loco paucis ſubjungendum eſt, reſinoſo-gummea ſunt, et licet pars reſinoſa in quamplurimis longe minori quantitate, quam gummoſa, lateat, præcipuam nihilominus virtutem iis conciliat; uti hoc ſequentes paginæ, et ſpecialior ſimplicium contemplatio uberius docebunt.

ticulis oleoſo-inflammabilibus tenerrimis remixtum, et 3) in retorta *terra nigra iners* remanet. E rhabarbaro, ſi modo ſimili tractetur, *phlegma*, rhabarbari odorem aliquantulum adhuc ſpirans, nullius tamen pene ſaporis, deinde *liquor magis magisque acidus*, tandemque *pauxillum olei*, expellitur. E capite mortuo *parum ſalis fixi alcalici*, igne violento demum geniti, aqua extrahi poteſt. Eadem impetrantur ex amaris reliquis, eorundemque extractis, præterquam, quod apud pleraque aqua elicita prorſus inſipida ſit, et inodora, et nonnulla quoque plus olei ſubſtantialis reddant.

§. VI.

Multum pariter lucis in hoc paſſu varia ſyncriſeos exempla foenerantur: Ex anatica v. g. nitri et ſulphuris communis pulveriſati portione, detonationis ope, ſal medium emergit, arcano duplicato ſimillimum, et ſatis cæteroquin amaricans. Eminentior inprimis amarities in iis ſentitur particulis, quæ in ſuperficie hærent, et, ob largiorem ſubſtantiæ inflammabilis miſcelam, dilutiori quadam flavedine tinctæ conſpiciuntur. Majoris momenti experimentum eſt, a B. FRID. HOFFMANNO (*a*) aliquando inſtitutum; „Sumſit „nimirum unam partem olei lavendulæ, et „duas partes aquæ fortis generoſæ, eaque ambo

(*a*) Vid. Obſ. phyſico-chym. p. 55.

„bo in vitro amplioris orificii confudit. Pri-
„mo nullius plane commutationis, aut con-
„flictus ediderunt ſignum: Deinde vero, cum
„calidæ fornaci vas eſſet impoſitum, non ita
„multo poſt ingens, cum ſpumeſcentia, et
„tetro vapore exeunte, coorta eſt efferveſcen-
„tia, atque mixtura, antea liquida, et dia-
„phana, ſubflaveſcens, turbida, et ſpiſſa eva-
„ſit, ejusque ſuperficiei reſinoſus, et ſpiſſus
„liquor, als wie ein Harz, ſupernatavit. Af-
„fudit ſufficientem aquæ quantitatem, ad aci-
„dum illud, ab aqua forti relictum, eluendum
„et abſtergendum, atque hinc reſina facta
„fuit purior, glutinoſa tamen. De hac por-
„tionem in cochleari argenteo flammæ can-
„delæ admovit; ita propter aqueas poris ad-
„huc inhærentes partes, primum orta eſt cum
„ſpumeſcentia ebullitio, poſtea vero, expul-
„ſa parte humidiori, reſina ſicca, ſolida et ru-
„beſcens evaſit, quæ cuſpide cultri excepta,
„ad ignem flammam exhibebat lucidiſſimam,
„quam fumus, et copioſus, et ater, qualem
„olea accenſa ſemper emittunt, comitabatur;
„in cultro autem inſignis copia terræ fixæ re-
„manebat. Poſtea iteravit experimentum,
„et ſpiritum vini fortiter alcaliſatum miſcuit
„cum priori reſina, adhuc liquida, inde qui-
„dem facta eſt ſolutio, ſed hæc tantam lin-
„guæ exhibebat amaritiem, quali propemo-
„dum colocynthis ipſi infeſta eſt; reſina vero
„poſterior ſiccior, in eodem ſpiritu reſoluta,

 co-

„colorem ſaturate rubicundum, ſed ſaporem „non adeo amaricantem præ ſe ferebat. Si „ullum, p. 56. addit, certe hoc experimen-„mentum ad cognoſcendam geneſin ſapo-„rum, et odorum januam nobis patefacit, dum „animadvertimus, quod hi ipſi a ſola inver-„ſione texturæ partium ſalinarum, et ſulphu-„rearum dependeant, et quod ad producen-„dam amaritiem acidum nitroſum, ſi miſcea-„tur cum partibus oleoſis, plurimum confe-„rat. Peti hinc ſtatim poterit ratio, quare „alcalina, probe cum amaris mixta, ingratam „illam amaritiem multum minuant &c. Ultimi adſerti veritas egregie pariter amariſſima ſcillæ mucilagine probatur, quæ amaritie ſua prorſus ferme ſpoliatur, quando aqua fortiter alcaliſata extrahitur, (*a*) vel, antea ſimplici pridem aqua extracta, cum ſaturato lixivio alcalico aliquamdiu digeritur.

§. VII.

Præter ſubſtantiam gummoſam, reſinoſam et oleoſam, amara, e vegetabili regno deſumta, perſæpe quoque *ſal quoddam mediæ naturæ*, ſucco nutritio immerſum, fovent, quod in aliis propius ad indolem *tenerrimi ſalis nitroſi embryonati* accedit, in aliis magis cum *ſale culinari* convenit. Ex herba abſinthii v. g., aliiſque plantis amaris optime extrahitur, quando prius per ſpiritum vini re-

(*a*) Conf. Sect. VII. p. 398.

rectificatiſſimum parte reſinoſa, aut reſinoſo-oleoſa ſpoliata fuerunt: „Recipiatur, B. „STAHLIVS ſcribit *(a)*, planta, notabilem „portionem ſalis fixi fundere ſolita, huic cito „in loco umbroſo exſiccatæ, inciſæ, et com-„minutæ affundatur ſpiritus vini rectificatiſ-„ſimus, digeratur, donec reſinoſam ejus „partem prorſus extraxerit; cui fini nova „affuſio ſpiritus vini, donec nullam amplius „viredinem monſtret, repeti poteſt; planta „reliqua vero in aqua decoquendo elixetur, „decoctum filtratum, et inſpiſſatum cryſtal-„los nitri exhibebit: Aut materia herbacea, „ab extractione cum ſpiritu vini reſidua, leni „igne comburatur; ita cinis elixatus non al-„cali, ſed nitrum purum, exhibebit, quia „videlicet reſinoſa illa portio, quæ cum ni-„tro deflagrando in alcali alias combinari ſo-„let, ipſi erepta eſt &c. Herba trifolii fi-fibrini, referente MATHIA TILLINGIO *(b)*, itidem ſal quoddam medium ſuppeditat, ſi ſequenti modo tractetur: Contunditur nimirum magna quantitas herbæ recentis in mortario lapideo, vel ligneo, poſtea cum largiori aquæ quantitate in alveo aeneo, vel ferreo coquitur, ad partis dimidiæ remanentiam, tandemque fortiter exprimitur, et liquor per linteum trajicitur. Co-

la-

(a) In Fund. Chem. dogm. et experim. p. 84.
(b) In Miſcell. Acad. N. C. G. Dec. II. ann. 2. Obſ. 74.

latura denuo coquitur ad conſiſtentiam mellis liquidi, et ſuccus ille deinde in vaſe vitreo per aliquot dies in loco frigidiuſculo reponitur; ſic in fundo vaſis ſal concreſcit cryſtallinum, angulare, inſtar ſalis gemmæ. Effuſo ſucco, colligitur, et aqua ſimplici, aut quadam deſtillata abluitur. Pari modo ſal ejusmodi, ex herba abſinthii, cardui benedicti, fumariæ, cent. minoris &c. ſeparari poteſt (α). Vero interim vix conſentaneum videtur, ſal iſtud, ſive ſit nitro, ſive ſali culinari

(α) Aliam adhuc ſeparandi methodum, quam pariter ſubjungere placet, DN. SPIESSIVS in *Miſcell. Societ. Reg. Berolinenſ. Cont. II. p. 91.* communicat: Si „Carduum benedictum, *ſcribit*, Abſinthium &c. &c. „anniculum, vere collectum et probe ſiccatum in „phiola recondideris, atque tantumdem rectific. „Spiritus Vini aut ſp. frumenti ſuperinfuderis, ut „herba illi innatet, aut ſpiritus digiti fere latitu„dinem ſuperemineat; ſi deinde loco modice ca„lido illud collocaveris, donec ſatis extractum, „aut eſſentia ſubviridem, uti conſtat, colorem „nacta fuerit, tum ſp. aut eſſentiam decantaveris, „eamque in balneo, aut cinere abſtraxeris, donec „fere in ſpiſſitudinem mellis abierit, ſi denique „retortam cum galea ipſius probe munita in bal„neo aut cinere collocatam non prius inde ſum„ſeris, donec probe friguerit, ut quod continea„tur ſub eo ſal in cryſtalla creſcere queat: tum „videbis, ubi vaſa aperueris, pulcerrimos, radi„atiles et pyramidales cryſtallos, qui ab omni „cucurbitæ latere ad centrum currant, vel alius „alii inſideat, prout herba bona, et eſſentia mul„ta

linari analogum, in ipſa planta gigni, atque componi, ſed maxime potius probabile eſt, quod illud cum ſucco nutritio e terra, præſertim in locis uliginoſis, umbroſis, paluſtribus, animantium ſtercore, aut alia materia putreſcente refertis &c., per tubulos radicis intret, ac reliquis principiis miſceatur.

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS AMARORVM.

§. I.

Amara, et ſolo gradu ab hiſce diſtincta amaricantia, quoad modum operandi et virtutes, quodammodo cum aromaticis, et debilioribus auſteris, decenti proportione mixtis, conveniunt, aromaticis tamen longe fixiora ſunt, et paullo tardius proinde in maſſa ſanguinea operantur, longioresque, ob dif-

„ta fuerit; difficulter vero ex retorta proferun„tur, propterea quod Extracta, quæ fiunt cum „ſpiritu vini, bituminoſa ſunt. Sapor eorum mi„rum quantum ſubtilior ſit quam Nitri, præter „frigus autem gratum atque jucundum, quod „ipſum tamen cito evaneſcit, nihil quicquam in „iis ſentitur.

difficiliorem, vel etiam, ſi totum principium activum exiſtat fixum, nullam prorſus in effluvia reſolutionem, in ventriculo, et inteſtinis moras trahunt, et egregiam ibi, multiplicemque utilitatem præſtant. Ventriculum nempe valde roborant, alimentorum digeſtionem adjuvant, mucum attenuant, et, ſaponis inſtar, præſertim mere gummoſa, abſtergunt, collectas cruditates acido-pituitoſas, ac putridas corrigunt, bili viſcidæ, et inerti fluiditatem, ac priſtinam amaritiem reddunt, vermes necant, et nidum eorum, ac pabulum deſtruunt.

§. II.

Ad ſanguinem poſtea, decenti ſcilicet peracta reſolutione, provoluta, ac ſenſim per vaſa diſſeminata, ardore leniſſimo, et ſingulari quodam ſtimulo, quem verbis vix exprimere, et exacte determinare licet, ſolidorum contractiones vegetiores, validioresque reddunt, et, hac et multiplici ratione alia ſanguinem commovendo, calorem augent, humores quoscunque reſolvunt, attenuant, ſolida confortant, viſcera obſtructa aperiunt, ſe-et excretiones, maxime per poros cutis, et vias urinarias, egregie promovent, adeoque humores etiam purificant, putredini reſiſtunt, et ulcerum, vulnerumque conſolidationem adjuvant, adeo, ut jure meritoque inter activa *tonica*, *reſolventia*, *ab-*

ſter-

ſtergentia, *purificantia*, *antiputredinoſa*, *ſtomachalia*, *carminativa*, *antifebrilia*, *aperitiva diuretica*, *diaphoretica*, et *travmatica* referenda ſint.

§. III.

Ex memorato igitur fundamento ſpecialius in ſingulis morbis commendari merentur, qui motibus languidis ac juſto tardioribus, e ſolidorum flacciditate, et atonia, fluidorumque craſſitie, mucoſitate, aliaqve impuritate reſultantibus, præcipuos natales debent: Cujus cenſus ſunt vitia digeſtionis et adpetitus quamplurima, flatulentiæ, tormina ventris, et varia pathemata, a vermibus inteſtinalibus oriunda, febres intermittentes, cachexia ſimplex, et icteritia, oedema membrorum, leucophlegmatia, refractariæ viſcerum obſtructiones, aſthma pituitoſum, apoplexia ſeroſa, adfectus catarrhales, ſcabioſi, rheumatici frigidi, arthritici, ſcorbutici, diarrhoea pituitoſa, vomitus, ſuppresſio, atque defectus menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, et urinæ, calculus, fluor albus, gonorrhoea virulenta, vulnera, ac ulcera varia, et complures adfectus alii, ex allegatis cauſſis generalioribus præcipue promanantes. Præſente vero cauſſa calida, bile nimirum fervida, ſanguine rarefacto, exagitato, ebulliente, ut et ſiccitate, criſpatura, et ſtri-

ſtrictura nimia fibrarum, cautius cum uſu eorum mercandum erit.

§. IV

Interne exhibentur optime, et majorem quoque in operando efficaciam ſpondent infuſa eorum, et decocta, tam aquoſa, quam vinoſa, nec minus eſſentiæ et extracta; ab aquis eorundem deſtillatis autem, et ſpiritibus abſtractitiis parum, immo nihil prorſus, auxilii exſpectandum eſt, niſi ſimul aromatica et balſamica exiſtant, adeoque oleoſo æthereo pariter, aut ſpirituoſo principio inſtructa ſint. Externe emplaſtra, unguenta, decocta, infuſa, aliaque præparata, vulnerariæ, antiputredinoſæ, confortantis, anthelminticæ &c. virtutis, ingrediuntur.

* *

CAPVT III.

DE

RADICIBVS GENTIANÆ RVBRÆ, DIPTAMNI ALBI ET TRIFOLII FIBRINI.

§. I.

RADIX GENTIANAE MAIORIS LVTEAE Entzian- oder Bitter-Wurtzel, eſt longa, craſſa, coloris extrinſecus fuſci, intus ex

ex flavo-ruffeſcentis, ſaporis valde amari, odoris nullius. Planta floret menſe Junio, et loca montana atque umbroſa amat. Uberior ejus in Gallia, Italia, et Helvetia, quam Germania, proventus eſt.

§. II.

Reſinoſa æque ac *gummoſa* principia eidem inhærent, et virtus medica in utraque ſubſtantia quærenda eſt. Pars reſinoſa, quæ longe minori quantitate adeſt, gummoſæ copioſiori adeo permiſta reperitur, ut plenaria ejus ſeparatio vix poſſibilis videatur. Infuſum aquoſum colore rubro obſcuriori tingitur, et ſapore intenſe amaro, odore autem nullo ſingulari, niſi debili duntaxat nauſeoſo, pollet. Ex integra radicis uncia paratum, ac debite inſpiſſatum, tres ferme drachmas extracti amariſſimi, ex rubro-brunni, relinquit. Infuſum ſpirituoſum aurantio colore ſeſe commendat, et maximam pariter amaritiem linguæ, nullum vero naribus odorem, niſi ſpiritus vini, imprimit. Extractum, recepta radicis quantitate, præcedenti æquali, drachmas duas, et aliquot grana pendet, et colorem ex flavo-rubentem, amariſſimumque ſaporem poſſidet.

§. III.

A gentianæ radice parum differunt RADICES DIPTAMNI ALBI et TRIFOLII FI-

FIBRINI Diptam- und Fieber-Klee-Wurtzel. Illa eſt *Diptamni vulgaris* ſive *Germanici*, qui alias etiam *Fraxinella* dicitur, radix albicans, inodora, valde amara, et, ſeparata ſubſtantia interiori lignoſa, cannæ inſtar, convoluta: Hæc vero eſt *Trifolii fibrini* ſive *aquatici* radix geniculata, ſpongioſa, inodora, amara, ex viridi-flaveſcens. Prior planta in tractibus montanis, poſterior autem in locis humidis paluſtribus creſcit.

§. IV.

Apud diptamni albi radicem principia *fixa reſinoſa* ac *gummoſa* ſolummodo in cortice reperiuntur; hinc ille quoque a parte interna, quæ lignoſa, inſipida ac plane iners eſt, detrahitur, ac ſolus, in cannulas, uti dictum, convolutus, ad uſum adſervatur. Menſtruum aqueum colore ſaturate aurantio, et ſapore ſatis amaro imbuit, odorem vero nullum ſingularem eidem communicat. Extractum, ex integra radicis uncia paratum, quinque propemodum drachmas pendet, et moderata amaritie gaudet. Tinctura ſpirituoſa infuſum aquoſum amaritie quidem, et activitate antecellit, longe minorem tamen extracti quantitatem, ad quatuor nempe ſcrupulorum pondus vix adſcendentem, relinquit, etiamſi integra pariter corticis radicalis uncia extractioni impendatur. In radice ſpongioſa *trifolii aquatici* principium utrumque paul-

lo

lo minori quantitate adeſt, et mitiori etiam amaritie donatum reperitur. Quid de ſale cæteroquin neutro, in trifolio et amaris ſimilibus nonnunquam obvio, ſentiendum ſit, in primo hujus Sectionis capite §vo 7. pridem indicavi.

§. V.

Reſpectu virium medicarum non adeo ſingulare diſcrimen radices haſce intercedere videtur, præterquam, quod gentianæ radix radicem diptamni albi, et hæc iterum trifolii radicem amaritie, et per conſequens etiam activitate nonnihil ſuperet. Egregiam omnino opem ferunt contra vermes inteſtinorum, nec minus in ventriculi imbecillitate, cum cruditatum viſcidarum colluvie conjuncta, febribus intermittentibus, cachexia ſimplici et icteritia, diarrhoea mucida, lienteria, coeliaca, obſtructione viſcerum chronica, hydrope aſcite, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, fluore albo, ſcorbuto, catarrhis, lue venerea, etc.; immo, in febribus catarrhalibus, et continuis malignis, ob virtutem diureticam, diaphoreticam, et antiputredinoſam, quandoque cum fructu uſurpantur. Interne ſub forma tincturæ, infuſi aquoſi ac vinoſi, et ſubinde pariter, licet ob amaritiem ſuam rarius, ſub forma decocti propinantur. Multas præterea compoſitiones pharmacevticas ingrediuntur, et activa quoque extracta inde parantur. Externe in de-

coctis vulnerariis, et anthelminticis locum inveniunt, et gentianæ radix creberrime etiam, turundæ loco, ad fonticulos, et vulnera dilatanda adhibetur, quoniam humidum ſeroſum facile imbibit, eodemque valde intumeſcit.

§. VI.

Radicibus hactenus deſcriptis analoga eſt RADIX CICHORII SYLVESTRIS, wilde Wegwart-Wurtzel, remiſſiori tamen amaritie gaudet. Numeratur inter medicamenta *aperitiva* atque *diuretica*, et vires non contemnendas exſerit in paſſione hypochondriaca, obſtructione meſenterii, hepatis, lienis, renum, atque pectoris, itemque in ictero chronico, cachexia, ſuppreſſione urinæ, fluore albo, lue venerea, adfectibus ſcabioſis, rheumaticis, et arthriticis, aliisque morbis chronicis, qui moderata abſtergentia, reſolventia, diſcutientia, ac roborantia poſtulant. Principium fixum activum magis quidem *gummoſum*, quam *reſinoſum* eſt, prius tamen a poſteriori, intime mixto, vires potiores accipit. Ordinario decocta aquoſa, rarius infuſa vinoſa, ingreditur, et frequentiſſime pariter radix condita per ſe adſumitur.

CAPVT

CAPVT IV.

DE

HERBA SCORDII, ABSINTHII, CARDVI BENEDICTI ET TRIFOLII AQVATICI.

§. I.

SCORDIVM VERVM ſive LEGITIMVM, Lachen-Knoblauch, it. Scordien- oder Knoblauchs-Kraut, quod paſſim in locis humidis paluſtribus creſcit, allium quodammodo redolet, et forti atque ingrata amaritie pollet. In mixtione ſua, præter *volatile principium oleoſo-vaporoſum, copioſas partes terreas*, et *ſalſo-reſinoſo-gummeas* continet. Principium volatile oleoſo-vaporoſum cum aqua ſub deſtillatione quidem tranſcendit, et aquæ debilem odorem, ac ſaporem communicat, in molem viſibilem tamen colligi, et ſeorſim ſiſti nequit. Subſtantia fixa reſinoſa, cui amarities, et virtus plantæ præcipua in acceptis ferenda eſt, non adeo magna quantitate inhæret, et in herbæ ſiccatæ uncia una vix drachmam ſemiſſem pondere æquat; gummoſa ex adverſo ſive mucilaginea, quæ mitiori amaritie et magis ſaponacea indole gaudet, plerumque in æquali herbæ quantitate ad unciæ di-

midiæ gravitatem adſcendit. Ob miſcelam utriusque ſubſtantiæ arctiſſimam, raro, vel nunquam, tam reſinoſa, quam gummoſa, perfecte pura obtinetur, ſed menſtruum aquoſum ordinario pauxillum reſinæ, et menſtruum ſpirituoſum ſat magnam principii mucilaginei portionem ſimul educit. Quando herba ſiccata comburitur, et lixivium, e cineribus paratum, poſt decentem evaporationem, in loco frigidiuſculo collocatur, *ſal medium*, culinari ſimillimum, in cryſtallos concreſcit, reſiduum vero, poſtea prorſus coagulatum, ſal terreo-alcalicum fixum ſuppeditat. Quantitas hujus ſalis ſalſi variat, idemque, combuſta integra herbæ libra, modo drachmas duas, modo ſcrupulos quatuor, modo drachmam unam, modo duos ſaltem ſcrupulos pendet.

§. II.

Cum ſcordio, quoad ſaporem amarum et principia activa, ABSINTHIVM LATIFOLIVM ſive VVLGARE OFFICINARVM, gemeines oder wildes Wermuth-Kraut, nec minus HERBA CARDVI BENEDICTI, Cardobenedicten-Kraut, Bitter-Diſtel, itemque HERBA TRIFOLII FIBRINI ſive AQVATICI, Fieber- oder Bitter-Klee conveniunt, præterquam, quod portio volatilis in herba trifolii aquatici, et cardui benedicti longe parcior ſit, atque debilior, in abſinthio autem re-

recenti quodammodo narcotica, et tam graveolens, ut multis plus noceat, quam proſit: Hinc diuturniori etiam exſiccatione eandem minuere præſtat.

§. III.

Egregia virtute *abſtergente*, *diſcutiente*, *calefaciente*, *ſtomachali*, *anthelmintica*, *antifebrili*, *aperitiva*, *diuretica* et *roborante* ſingulæ hæ plantæ donatæ inveniuntur, et in variis ideo morbis chronicis, maxime autem in vitiis adpetitus, atque digeſtionis, inertia bilis, febribus intermittentibus, diarrhoeis, cachexia, refractaria obſtructione menſium, fluore albo, ſcabie, lue venerea, intumeſcentiis glandularum &c. magnopere ſeſe commendant. Specifice præterea *herba ſcordii* in venenis animalibus, febribus malignis exanthematicis, et frigidis pulmonum adfectibus, *herba trifolii aquatici* autem in ſcorbuto, calculo, et aſcite incipiente prodeſſe conſuevit. Parantur ex iis tincturæ, et extracta valde activa, quæ frequentiorem inveniunt uſum, et ſubinde quoque vino, rarius aqua, infunduntur. Externe in decocta *travmatica* et *anthelmintica* recipiuntur.

CAPVT V.

DE SVMMITATIBVS CENTAVRII MINORIS ET FVMARIÆ.

§. I.

CENTAVRIVM MINVS FLORE RVBRO klein Tauſend-Gülden-Kraut, Erd-Galle, quod paſſim, quanquam parcius, in locis ſiccis arenoſis creſcit, folia parva, et anguſta habet, floribusque, uti dictum, rubicundis ſive purpureis, qui menſe Julio et Auguſto prodeunt, ornatur. In Medicina præcipue *Summitates*, h. e., foliola ſuperiora cum floribus, caulium ſummitati adnaſcentia, uſum invenerunt. Soli flores parum amari ſunt, et a mixtis proinde foliolis, quæ eminenti amaritie pollent, ſaporem et vires præcipue mutuare debent.

§. II.

Sub exploratione principiorum eadem, quæ in præcedentibus ſubjectis obvia fuerunt, reperire licet. Adſunt nempe partes *gummoſæ*, *reſinoſæ*, et *paucisſimæ exhalabiles ſalino-inflammabilis proſapiæ*. Subſtantia reſinoſa, ex uncia integra ſummitatum ſeparata, vix

vix drachmam ſemiſſem, vel ſcrupulos duos pendet, valde nihilominus amara deprehenditur, et debiliori gummoſæ, quæ ad unciam dimidiam, et ultra adſcendit, miſcela ſua intimiori activitatem conciliat. Portio volatilis, quæ ſub deſtillatione humida cum aqua tranſcendit, non adeo ſingularem annotationem meretur, etiamſi concedendum ſit, quod phlegmati aliquam, quanquam valde debilem, virtutem diſcutientem, ac ſtimulantem largiatur.

§. III.

Summitatibus centaurii minoris, ob ſaporis, principiorum, naturæ ac virium ſimilitudinem jungendæ ſunt SVMMITATES FVMARIÆ PVRPVREÆ, quæ planta, germanice Erdrauch, itemque Taubenkropf dicta, ubique in hortis, et arvis ſponte progerminat. Plures partes *reſinoſas*, quam centaurium, in mixtione ſua gerunt reconditas, et iſtud proinde amaro, et acri ſapore, calidaque indole nonnihil ſuperant.

§. IV.

Reſpectu virium medicarum a trifolio aquatico vix diſtinctæ inveniuntur, et in locum ejus commode ſurrogari poterunt; Silentio tamen minime premendum eſt, centaurii ſummitates longe remiſſiores eſſe, et tutius ea propter in caſu quocunque, ubi ſci-

licet amara proſunt, adhiberi poſſe. Operationem ſuam maxime abſtergendo, diſcutiendo, calefaciendo et roborando abſolvunt, et valide pariter putredini reſiſtunt: Aeque præterea, ac præcedentia amara ſingula, activas tincturas et ſelecta extracta largiuntur, et ejusdem quoque uſus externi ſunt.

CAPVT VI.

DE SEMINE CARDVI BENEDICTI ET CARDVI MARIÆ.

§. I.

SEMINA CARDVI BENEDICTI, et CARDVI MARIAE, ob ſummam naturæ et virium analogiam, eodem loco collocanda ſunt. Priora ſublutea ſunt, craſſiuscula, oblonga, ſtriata, in extremitatum altera multis aculeis ſatis rigidis inſtructa; poſteriora autem figuram oblonge rotundam, et colorem ſaturate brunnum poſſident, lævia præterea ſunt, et ſpinis prorſus carent.

§. II.

Pulpam includunt *amaram*, *lacteſcentem*, *reſinoſo-gummoſo-oleoſam*, copioſiorem tamen ſemina Cardui Mariæ, quam ſemina Cardui benedicti, quæ duriori ac ac craſſiori cortice gaudent. Pulpæ huic virtus medica horum ſeminum unice hæret in-

ingenita, et illa ipſa aquis deſtillatis ſub tritura in mortario colorem lacteum, lacteamque conſiſtentiam foeneratur, ita tamen, ut color albus in emulſione ſeminum cardui benedicti ad gryſeum, et in emulſione ſeminum cardui Mariæ nonnihil ad nigricantem vergat. Drachma una ſeminum decem ad minimum aquæ drachmis decentem emulſionis conſiſtentiam communicat; major tamen pinguedo oleoſa in emulſione ſeminum cardui Mariæ, quam cardui benedicti deprehenditur.

§. III.

Cum aquis refrigerantibus, diapnoicis, et diureticis in formam emulſionis redacta, *ſudorem* et *urinam* blande movent, adeoque in variolis, morbillis, peripnevmonia, pleuritide vera, aliisque inflammationibus, ac febribus continuis, nec minus in calculo, dyſuria, et ſtranguria ſatis proficua reperiuntur. Non contemnendas quoque vires in febribus intermittentibus, fluore albo, et cachexia icteritia exſerunt, immo, a quibusdam contra verminoſam primæ culinæ progeniem commendantur.

§. IV.

De amaris, ſimul balſamicis et aromaticis, ut MYRRHA et ſimilibus, hoc loco quidquam ſubjungere, ſupervacaneum duco, quoniam alibi melior de iis differendi occaſio erit.

SECTIO

SECTIO X.

DE ACRIBVS ET AMARIS PVRGANTIBVS, TAM EMETICIS, QVAM CATHARTICIS.

CAPVT I.

DE NATVRA ET DIFFERENTIA EMETICORVM ET CATHARTICORVM.

§. I.

Medicamenta, quæ adeo ventriculi tunicam villoſo-nerveam vellicant, ut contenta mobilia contractione forti, et naturali motui periſtaltico plane contraria, per oeſophagum et os ejiciat, dicuntur EMETICA ſive VOMITORIA; quum illa exadverſo CATHARTICA ſive proprie et κατ᾽ ἐξοχὴν PVRGANTIA audiant, quæ inteſtinorum tunicas ſtimulant, ut recrementa in- et adhærentia, beneficio citatioris, ac violentioris motus periſtaltici, cui neceſſario tormina quædam jungi debent, per anum extrudant.

§. II.

§. II.

Teſtante experientia communiſſima, cathartica quædam remiſſius agunt, et alvum, pauca ſaltem materia excrementitia absque ſenſibilibus propemodum torminibus educta, blande aperiunt: quædam multa quidem ejiciunt, cum moderatis torminibus ventris, aſt nihil cæteroquin, rite ſcilicet ac tempeſtive uſurpata, corpori inferunt noxæ, nec minimum in eo relinquunt incommodi; et quædam denique tam fortem ac violentam operationem exercent, vt, præter tormina vehementiora, nec non majorem humorum circulantium commotionem, juſtoque largiorem evacuationem, plerumque partium, quas tranſeunt, eroſiones, quin ipſas inflammationes, provocent, et corpori univerſo magnam imbecillitatem inducant: Unde patet, cathartica, multum activitate diſcrepantia, merito diſtinguenda eſſe in *Laxantia*, *Cathartica completa*, et *Draſtica*. Scriptores plerique, intuitu materiæ, quam præcipue adgredi, et eliminare credunt, purgantia quoque in *Panchymagoga*, *Cholagoga*, *Phlegmagoga*, et *Melanagoga* dividunt; aſt hæc diſtinctio, me ſentiente, nullius momenti eſt, quoniam quævis cathartica, proprie talia, ſtimulando agunt, adeoque mediante auctiori inteſtinorum contractione, et violentiori motu periſtaltico contenta mobilia promiſcue excludunt.

§. III.

§. III.

Principium *activum ſtimulans* in emeticis et catharticis non eſſentialiter quidem diſtinctum eſt, in emeticis tamen paullo *acrius*, quam in catharticis eſſe videtur, hinc priora etiam tunicam ventriculi nerveam fortius irritare, et potentiori hoc ſtimulo efficere valent, ut motus periſtalticus, contra conſuetum naturæ ordinem, plane invertatur, et contenta, citius nempe ſuperveniente actu excretorio, per gulam et os ejiciantur. Catharſi contra excitandæ vis minor, ac lenior ſtimulus ſufficiunt, quoniam ſub ea naturalis motus inteſtinorum periſtalticus non inverti, ſed celerior duntaxat, ac fortior reddi debet. Fortaſſis etiam major apud emetica principii activi *ſolubilitas* nonnunquam citioris operationis cauſſis accenſenda eſt: Perſæpe enim accidit, ut cathartica, præſertim ante exhibitionem congruo menſtruo jam maximam partem ſoluta, evadant emetica, et hæc vice verſa, quoties muci craſſities, et copia debitam principii activi ſolutionem, et evolutionem in ventriculo impediunt, cathartica fiant; ubi tamen negari nequit, repentinam hanc emetici in catharticum, et cathartici in emeticum transformationem perſæpe differenti, nunc majori, nunc minori, partium nervoſo-membranacearum, aliarumque, quæ ſtimulos ſuſtinere coguntur, *ſenſibilitati* adſcribendam eſſe, dum frequen-

quentiſſime pharmacum, quod apud ſubjecta ſenſibiliora fortem emeſin provocat, apud robuſta, aut minus ſenſibilia, vix alvúm blande movet.

§. IV.

Emetica et purgantia, *mineralis* proſapiæ, vel *rudiori principio ſalino vitriolico*, vel *ſulphureo-regulino-arſenicali* pollent; *vegetabilia* ex adverſo ſubſtantia activa, in aliis *gummoſa* ſeu *ſalino-mucilaginea*, in aliis *reſinoſa*, et in aliis denique *gummeo-reſinoſa*, aut *reſinoſo-gummea*, inſtructa reperiuntur. Monſtrante enim analyſi chymica, ſubſtantia illa, cui vis purgans vegetabilium ingenita hæret, e nonnullis tota per menſtrua mere aquea, ex aliis tota per ſpiritus inflammabiles rectificatiſſimos, et ex quibusdam denique partim per aquam, partim per ſpiritum vini extrahitur.

§. V.

Corpuſcula minima, quæ aggregatione ſua in molem majorem memoratas ſubſtantias purgantes, gummoſas, reſinoſas, et gummeo-reſinoſas conſtituunt, valde *ſubtilia* ſunt, ac prompte proinde in corporis vivi ſolidas non minus, quam fluidas partes penetrant, et in utrisque, illas ſcilicet valide *ſtimulando*, has *incidendo* et *attenuando*, fortem operationem exercent. Exiguum v. g. vitri antimonia-

nialis fruſtulum, vino ſolutum, in multis ſubjectis completum excitat vomitum; immo, pocula, e ſtanno, et regulo antimonii fuſione parata, vinum, per aliquot horas infuſum, potenti virtute emetica imbuunt, et poſtea tamen parum, vel nihil de pondere ſuo amiſiſſe deprehenduntur. Si infanti quoque a nutrice, poſtquam purgans adſumſit, ubera præbentur, ille pariter frequentiorem alvi ſolutionem experitur, quin purgantia nonnulla, fonticulis mundificandi fine impoſita, ſubinde, aut, quod cum elleboro ſemper ſuccedere refert WALLAEVS (*a*), per vomitum, et ſeceſſum purgant.

§. VI.

Non ſubtilia tantum laudata corpuſcula inveniuntur, ſed plus pariter minusve *volatilia:* Hinc purgantia quoque, tritura in pulverem redacta, et aliquamdiu adſervata, itemque fortius cocta, valde debilitantur, et modo utroque multum virtutis amittunt. Noto quoque notius eſt, cathartica nonnulla, cum aqua deſtillationi in cucurbita ſubjecta, particulas quasdam purgantes cum phlegmate transmittere, et abſtractam ideo aquam alvum leniſſime movere, reſiduum vero, in cucurbita relictum, priſtinis viribus nonnihil orbatum deprehendi: Ut nihil dicam de blan-

(a) In Methodo Medendi p. 42.

blanda catharſi, quae apud ſubjecta valde ſenſibilia nonnunquam excitata legitur, quando ſub purgantis cujusdam, v. g. rhabarbari, tritura ſubtiles atque volatiles moleculas, per aerem conclavis diſperſas, copioſius intra nares receperunt (*a*).

§. VII.

Praedictae ſubſtantiae gummoſae, reſinoſae, gummeo-reſinoſae, ac reſinoſo-gummeae mixtionem naturalem *ſal acre, plus minusve cauſticum*, ingreditur, idemque, ſub certa ac convenienti unione cum parte pingui oleoſa, aut ſaltem phlogiſta teneriori conſideratum, unica ſpecificae, et eminentis vellicationis cauſſa cenſendum eſt. Pleraque enim purgantia vim errhinam, et ptarmicam poſſident, immo, cuti adplicata, praeſertim apud ſubjecta teneriora, veſicas excitant. Manifeſte pariter praeſentis acredinis effectus in faucibus, ventriculo, et inteſtinis ſentiuntur: Fauces nempe ſub manducatione graviter ſubinde adurunt, et potentiora, improvide aut juſto majori doſi adſumta, ventriculi, et inteſtinorum eroſiones praeſtant; quemadmodum etiam in ſubjectis, per draſticorum abuſum interfectis, eadem fermе, inſtituta ſectio-

(*a*) Conf. D. Bergers Verſuch einer gründlichen Erläuterung merckwürdiger Begebenheiten in der Natur. Erſtes Stück p. 51. ſeqv.

ctione, in ventriculo, et inteſtinis obſervata fuerunt, quae, dato arſenico, poſt mortem in conſpectum veniunt; ſi plenariam corroſionem exceperis, quam draſtica efficere nequeunt.

§. VIII.

Laudatum ſal acre *alcalicæ indolis* eſſe, multi opinantur, et B. TEICHMEIERVS, qui eidem ſententiae addictus fuit, proinde ſcribit (*a*): „Vis purgantium primario conſiſtit „in principio ſalino-ſulphureo, magis alcali-„co, pauliſper fixato, quod non tantum ſti-„mulum exercet, ſed et viſcoſitates reſolvit, „lympham fundit, et fermentationem in in-„teſtinis praeſtat. Quod enim ſal alcali in „purgantibus ſit in praedominio, probatur „1) per experimenta cum acidulis inſtituta. „Nam omnes aquae minerales, cum ſyrupo „violarum mixtae, colorem non rubrum, ſed „viridem exhibent: Ergo ſal illud purgans „maxime alcalicum eſt. 2) Per correctio-„nem ſcammonii, quae fumo acido ſulphuris „abſolvitur. Ergo acidum ſulphuris infrin-„git vim draſticam purgantem ſcammonii; „3) Quoniam omnia fere purgantia amari-„cantem ſaporem poſſident. Amara vero „vegetabilia ſal alcali copioſiſſimum conti-„nent: 4) Quoniam ipſa bilis amara et alcalica „naturalem ſtimulum inteſtinorum praebet &c.

§. IX.

(*a*) In Inſtitut. Mat. Med. p. 19.

§. IX.

Fateri profecto cogor, ſingula propemodum, quae Auctor laudatus probandi ſine attulit, vel falſa prorſus, et experientiæ rationali contraria eſſe, vel male tamen explicata et adplicata. Omnia enim, quæ BOVLDVCCIVS (*a*) inſtituit, et quæ ipſe quoque cum purgantibus vegetabilibus ſuſcepi, examina, maxime autem blandæ deſtillationes ſiccæ, ſatis ſuperque monſtrarunt, principium ſalinum, in catharticorum naturali mixtione hoſpitans, non alcalicæ, ſed *acidæ* potius indolis eſſe, et locum pariter, præſertim cum ſubſtantia oleoſa, aut ſimpliciori ſaltem inflammabili adhuc combinatum, inter volatilia magis, quam fixa, ſalia ſibi vindicare. Nihil quoque argumenta reliqua probant: Aquæ minerales ſoteriæ enim, præter ſal alcalinum, etiam ſal medium, et ſubtilem ſpiritum acidulo-ſulphureum continent, quibus itidem, quin magis, quam ſali alcalico, vis purgans in acceptis ferenda eſt. Minoris adhuc momenti ratiocinia ſunt, a ſcammonii correctione, ſapore amaro purgantium, et bilis virtute ſtimulante, et abſtergente deſumta. Acidus enim ſulphuris fumus non deſtruit ſal alcali, quod, contra chemicam experientiam, in ſcammonio præſens eſſe creditur, ſed oleoſo-inflammabili ſubſtantiæ, cui ſal acidulum magis minusve involutum hæret,

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royale des Sciences.

ret, paullo fixiorem duntaxat indolem, et compactiorem texturam conciliat, et proinde ſalis acidi evolutionem, atque integrarum maſſularum reſolutionem in corpore difficiliorem non minus, quam tardiorem reddit. (*a*). Quod ſaporem vero amarum attinet; ille apud pleraſque, easque præcipuas, purgantium ſpecies; quas vegetabile regnum offert, v g. radicem ipecacoanhæ, jalappæ, mechoacannæ &c. vel plane nullus eſt, vel valde debilis; et ſi etiam fortior adeſſet; talis tamen concluſio, qualem auctor formavit; inde neutiquam poſſet deduci, quum noto ſit notius, ſal fixum, quod plantæ amaræ poſt combuſtionem largiuntur, in mixtione naturali mini-

(*a*) Memoratis, ceu palmarium omnino argumentum, accedit, quod allegatæ correctionis veritas nondum extra omne dubium poſita ſit, quodque ſimilis, eaque major ac certior, corrigendi virtus ſalibus alkalibus, experienta teſte, competat. Gummi gutta v. g., quod draſticum eſt, et ſcammonio adhuc potentius, ſeorſim in ſpiritu vini, aqua, et liquore quodam alcalico fixo ſolutum, differentes plane vires oſtendit: Infuſum ſpirituoſum nempe fortiſſime purgat, aquoſum lenius operatur, et ſolutio aquoſo-alcalica mitisſimam duntaxat actionem exercet: Immo, ſi gummi gutta primo vini ſpiritu rectificatiſſimo nonnihil extrahitur, et reſiduum poſtea in oleo tartari per deliquium ſolvitur, ac denuo inſpiſſatur, alvum vix amplius movet, ſed urinam duntaxat potentiſſime pellit. Conf. NEVMANNI *Prælect. chem.* p. 856.

nime latuiſſe, ſed, interveniente demum nova ſyncriſi et partium quarundam transformatione, per ignem violentum ſub combuſtione generatum fuiſſe. De bile quoque, cujus elementum ſalinum hactenus nondum ſatis detectum fuit, multa dicere ſupervacaneum duco, et poſito etiam, illud ipſum huic, vel illi clarius innotuiſſe, poſito pariter, idem ad alcalicorum accedere naturam, nihil tamen, hoc loco cum fructu adhibendum, inde ſecuturum eſſe, quilibet facile perſpiciet. Experientia enim teſtatur, acida æque, atque alcalia ſtimulandi virtute prædita eſſe, et in alio igitur concreto ſal acidum, in alio alcalinum ſtimuli auctorem exiſtere; quibus ſuppoſitis, illico manifeſtum eſt, concluſionem ab unius principio ſalino ſimpliciter ad principium ſalinum aliorum, quæ vires poſſident analogas, neutiquam formari poſſe.

§. X.

In operando ſemper mitiora, tutiora ac meliora deprehenduntur *gummoſa*, ac *reſinoſo-gummea*, quam *mere reſinoſa*, ac *gummeo-reſinoſa*; quippe quæ, quoniam difficilius et ſaltem quoad partem, a menſtruis ventriculi et inteſtinorum ſalino-aqueis temperatis ſolvuntur, et facilius atque tenacius tunicis adhærent, multa plerumque tormina ventris, et majorem ſanguinis commotionem atque æſtum producunt. Generatim quoque, ne-

que ſola pars ſalina, neque ſola pars oleoſa, aut tenerior inflammabilis, et ſpeciatim in plerisque gummeo-reſinoſis, et reſinoſo-gummeis, neque mera ſubſtantia gummoſa, neque mera reſinoſa, per congrua menſtrua extracta, et ſeparata, ſed utraque, convenienti modo, quem ipſa natura in ſimplicibus monſtravit, combinata, debite purgat. Sola quippe ſubſtantia reſinoſa tormina vehementiora excitat, et virtutis draſticæ unica propemodum cauſſa exiſtit; ſola gummoſa autem nimis debilem operationem exercet, immo, ſolam ſubinde diureſin proritat; quemadmodum ſingula hæc ex ſpecialiſſima ſimplicium contemplatione clarius patebunt.

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS PVRGANTIVM ET EMETICORVM.

§. I.

Emetica et purgantia completa, a *calore*, *aere expanſo*, *fluidis ſolventibus*, et *naturali* inprimis *ſolidorum contractione* impulſa et adacta, duplici modo in prima culina operantur, 1) nimirum *incidendo paullulum*, et *attenuando*, tum contenta cruda, ac viſcida præter-

ternaturalia, tum mucum quoque naturalem, qui tunicam ventriculi, et inteſtinorum villoſam obducit, 2) *fortiter vellicando*, ac *ſtimulando*, partim glandulas inteſtinales ad largiorem liquidi ſeroſi excretionem, partim ipſas tunicas ſenſibiles ad velociorem non minus, quam fortiorem motum periſtalticum, quin penitus in vomitu inverſum. Gummoſæ enim ac reſinoſæ particulæ, tenacius adhærentes, et villoſæ tunicæ altius immerſæ, prunæ inſtar, ardent, et, ſubtilibus, atque acutis ſuis particulis tunicam eandem perforando, ſubſtratæ tunicæ nervoſæ iteratas inferunt punctùras, quibus neceſſario auctior, atque celerior, quin ſpasmodico-dolorifica, hujus et arctius connexæ muſculoſæ tunicæ contractio, eidemque prompta contentorum attenuatio, excusſio, promotio, et excluſio ſuccedere debent.

§. II.

Purgantium actio non terminatur in ſolo ventriculo, et inteſtinis, ſed inde pariter ad viſcera vicina, immo, in totum corpus, et quidem triplici modo extenditur. Primo nimirum motus celeriores, atque fortiores, in ventriculi, et inteſtinorum tunicis per purgantium puncturas, ac vellicationes ſuſcitati, non tantum per meſenterium, quod membranaceam inteſtinorum tunicam format, et pleraque imi ventris viſcera connectit, ad partes

abdominis, ſed per nervos quoque ad remotiores corporis partes propagantur: Secundo ſanguis, qui per ventriculi et inteſtinorum vaſa progreditur, ſub celeriori, ac violentiori tunicarum, præſertim muſcularis, contractione in motum redigitur velociorem, eumque poſtea reliquis humoribus circulantibus communicat: Et tertio denique multæ partes activæ reſinoſo-gummoſæ ad ipſum ſanguinem, ipſamque lympham transferuntur, et, cum liquidis hiſce per vaſa circumactæ, canalium, præſertim minorum, parietibus vividos ſub tranſitu, aut temporaria hinc inde adhæſione, ſtimulos inprimunt, adeoque omnium quoque vaſculorum contractionem celeriorem, validioremque reddunt: Hinc purgantia etiam, doſi minori, ſeu refracta aperitivis addita, ipſa egregia, et ſumme activa evadunt aperitiva (α), ac ſimul diureſin

(α) „Notatu digna, WEDELIVS *in Amoenit. Mat. Med.* „*p. 71. ſcribit*, eſt obſervatio, aperientibus juncta „purgantia iisdem vires largiri majores. Laudatiſſimus hanc in rem locus eſt *Martiani Com. in* „*l. 2. v. 214. de morbis p. 139.*, ubi purgantia innuit, „ſæpe aliis medicamentis addi, non ut purgent, „ſed ut aliorum medicamentorum virtus intendatur. Medicamenta hæc, ait, ut longo experimento mihi notum eſt, ſi in minori quantitate, „quam pro purgatione uſurpari ſoleant, aperientibus medicamentis permiſceantur, ita ut virtus „aperientium prævaleat, nullo modo alvum movent, imo eorum virtus, quia maximæ eſt activita-

ſin et diaphoreſin augent, quid? quod, emetica debiliora, aut tardius reſoluta, haud raro, quod ſupra pridem dictum fuit, in cathartica, et hæc in diaphoretica, et diuretica mutantur: Ut nihil dicam de creſcente pulſus celeritate, quamprimum purgans adſumtum aculeos ſuos in ſolida vibrare incipit.

§. III.

Activitas emeticorum et purgantium in corpore animali vivo nunquam *abſoluta*, ſed ſemper *relativa* æſtimanda eſt, dum facile, pro *differenti naturæ ſenſibilitate* ac *robore*, pro *diſcrepante* etiam *materiæ eliminandæ indole*, et *maxima ætatis*, *ſexus*, *vitæ generis*, *climatum*, *temporum anni*, *conſtitutionis aeris*, ac *ſimilium diverſitate*, intendi poteſt, aut debilitari. Corpora ſenſibiliora enim, quorum fibræ vegetiori vi contractili, atque celeriori oſcillatione, et liquida pariter majori mobilitate, tenuitate, et indole calidiori gaudent, dato purgante, aut emetico propor-

 tio-

„vitatis, ad vias ſudoris, vel urinæ aperientium „facultate converſa, horum vim adeo intendit, ut „medicamentum evadat, tum ad aperiendum, tum „ad ſudorem, aut urinam movendam, efficaciſſimum. Horum uſum ſe docuiſſe, addit, Teutonicum quendam, qui eo pro ſecreto uſus eſt in „curatione febrium, quæ in longum tempus protrahuntur, cujus efficaciam et ipſe feliciſſimo „ſucceſſu ſæpius ſit expertus &c.

tionato, fortius moventur, quam ea, quæ, ob ſolida flaccida, et humorum craſſitiem atque lentorem, vi vitæ torpidiori pollent (*a*).

§. IV.

(*a*) „Hoc, licet multis, LINDESTOLPIVS *in Libr. de „Venenis p. 45. inquit*, forte paradoxum videbitur, „ad partium mechanicam compagem, et villorum „elaſticam fabricam, motuumque leges, non at„tendentibus, confirmatur tamen exinde quam „plurimum, quod ruſtici, artifices, aliique athle„tico et robuſto habitu gaudentes, pejus multo „habeant ex aſſumto purgante acri, quam qui „delicatiorem, otioſam, et ſegnem degunt vi„tam: contrahentibus ſcilicet in illis, ob repeti„tas frequentius corporis exercitationes, intenſe „et fortiter villorum inteſtinalium elateribus, „et vehementius in pharmacum impulſantibus; „in his vero, torpente magis fibrarum oſcillatio„ne, laxisque canalibus, medicamenti ſtimulus, „vel non ſentitur, vel parum, aut ſi movenda „omnino ſit alvus, ſtrenuiora arma ſint neceſſaria. „ - - - - Inſtar enim lemmatis eſt mathematici, „quo vehementius corpora elaſtica extra locum „ſuæ quietis deducuntur, quoque vehementius „renituntur, eo etiam velocius, ſibi relicta, reſi„liunt, validiusque percutiunt - - - Unde et „ſæpius obſervatum fuit, leucophlegmaticos, „cachecticos, melancholicos, ſcorbuticos, alios„que, debili viſcerum tono, atque infarctu eorun„dem laborantes, a mediocri pharmaci purgan„tis doſi nullatenus moveri; nec ipſos quidem „febri intermittente tertiana occupatos, purgari, „ab accepto, per intermittens febris ſpatium, „pharmaco, alvum ducturo, ſæpius eſt animad-

verſum,

§. IV.

Varias ægritudinum ſpecies emetica et purgantia vel ſola tollunt, vel pharmacis tamen reliquis manus porrigunt auxiliatrices. Opem nempe quadruplici modo generali ferunt, nimirum 1) *Eliminando ſaburram, in primis viis collectam*, emetica tamen magis e ventriculo, purgantia magis e canale inteſtinorum; unde fit, ut natura, fomite primario ſubducto, et ulteriori ceſſante ad ſanguinem confluxu, humorum impuritatibus per varia organa ſe-et excretoria e limitibus corporis proſcribendis, poſtea eo facilius ſufficiat; 2) *Educendo impuritates e ſanguine et lympha per glandulas inteſtinales, aliaque vaſcula inteſtinorum excretoria;* 3) *Incidendo, reſolvendo, et abſtergendo materiam impuram, craſſam, viſcidam, tenacem, vel meatibus ac tubulis ſeorſim ad-et inhærentem, vel ipſis fluidis naturalibus adhuc immerſam.* 4) *Excitando, reducendo et augendo, per iteratas vellicationes, motum oſcillatorium;*

„verſum: poſtquam vero ex acredine aliqua „morbi ſtimulante, vel morbifica materia ipſa, „jam exacuata, villi omnes, et fibræ vaſorum „membranoſæ fuerint ſuccuſſæ, inque horrores „et oſcillationes crebriores concitatæ, purgan„tem medicinam fortius impulſaverint, alvinæ „feces ſatis copioſe ſunt rejectæ &c. Conferri etiam poſſunt, quæ Sect. I. cap. 2. de natura et generali medicamentorum actione dicta fuerunt.

rium, *et contractionem partium ſolidarum*, maxime *nervoſo-membranacearum*, partim immediate, partim conſenſualiter, et ſic, mediante nimirum hoc ſtimulo, eumque protinus excipiente contractione vegetiori, *promovendo liquidorum circuitum*, *tollendo ſtagnationes*, *et ſtaſes præternaturales*, et *adprime augendo ſe-et excretiones per renes*, *per cribrum cutis*, *et organa reliqua*.

§. V.

Ob prædictas vires generales purgantia et ſubinde etiam vomitoria commendari merentur 1) *in morbis primarum viarum*, *qui a cruditate quadam*, *pituitoſa*, *acido-mucoſa*, *bilioſa*, *nidoroſa*, *vel alia materia heterogenea*, *naturæ inimica*, *et mole aut noxia qualitate peccante*, *originem ducunt;* cujus generis v. g. ſunt anorexia, dyſorexia, bulimus, pica, malacia, dyſpepſia, bradypepſia, gravitas, et anxietas ventriculi, ſoda ſive ardor ventriculi, tormina ventris, cardialgia, colica, diarrhoea, dyſenteria incipiens, præſertim ſtomachalis, vermes &c. 2) *in morbis*, *qui impuritates in ipſo ſanguine ac lympha*, *partim etiam ſaburram corruptam in prima culina*, *quæ fomitem præbet continuum*, *ſupponunt*, ut ſunt dolor capitis, quotidie poſt parstum recurrens, ſuſurrus et tinnitus aurium, gutta ſerena, glaucoma, præſertim incipiens, ophtalmia ſeroſa, coryza chronica, apople-

xia

xia pituitoſa, adfectus ſoporoſi, paralyſis, epilepſia cacochymica, melancholia, tuſſis, et aſthma ſtomachale, febres intermittentes, cachexia vulgaris et icteritia, paſſio hypochondriaca, et hyſterica, obſtructiones chronicæ et refractariæ hepatis, lienis, meſenterii, ſuppreſſio fluxus menſtrui, et hæmorrhoidalis, fluor albus, hydrops aſcites, leucophlegmatia, lues venerea, ac varia ad illam ſpectantia ſymptomata, ut gonorrhoea virulenta, bubones &c., ut et rheumatiſmi, adfectus ſcabioſi, ſcorbutici, ulcera ſolitaria, et complures adhuc aliæ morborum ſpecies, ex pathologia uberius cognoſcendæ.

§. VI.

Probe cæteroquin notandum eſt, circa uſum eorum individualem ſemper medici prudentis ac rationalis judicium poſtulari: Quemadmodum enim mitiora, rite ac tempeſtive uſurpata, multum utilitatis in morbis præſtant variis; ſic magnopere pariterea, et adhuc magis draſtica, nocere poſſunt, quando intempeſtive et incongrue adhibentur, dum acriora, æque ferme, ac venena hujus commatis, ingenti activitate inſtructa reperiuntur. Quodammodo igitur hoc loco, ſub mitiori tamen conceptu, adplicari poſſunt, quæ antea laudatus LINDESTOPIVS *l.c.p.* 33. de horum operatione, et pravis effectibus propoſuit; „Corroſiva, *inquit*, et acria venena, in-

„tro

„tro per os admiſſa, ac deglutita, labia, lin-
„guam, palatum, fauces, oeſophagum, ven-
„triculum, et tubulum inteſtinalem, pro ma-
„jore ſua vel minore acredine, rigiditate et
„pondere, particularumque ſuarum, vel
„aculeata et acuminata figura, vel anci-
„piti ſpiculorum acie, per parvam ſuperfi-
„ciem pungunt, fodicant, inflammant, exco-
„riant, et exulcerant; non quidem a ſe ip-
„ſis in hunc nocendi actum commota, ſed a
„vi contractili vaſorum, quibus fuerint ap-
„plicata. Irritatis ergo ſic ventriculi, viſce-
„rumque nerveis fibris, vel ſingultus, vel
„vomitus, vel febris, vel ſpaſmi convulſivi,
„et ſuccuſſiones oboriuntur, reliquis ſcilicet
„nervoſi ſyſtematis funiculis, vaſorumque
„elaſticis filamentis, ex ſimili nempe princi-
„pio nervoſo, prout reliqua ſtamina omnia
„partium omnium, derivatis, in eundem
„anomalum conſenſum tractis; acribus ve-
„ro, iterata vibratione, vaſa minima perfo-
„rantibus, et tenuiſſima exprimentibus, dia-
„rrhoea exſurgit ſeroſa, vel et dyſenteria, ſub-
„ſequente inteſtinorum tumore ulceroſo, ſe-
„cumque alvinarum foetore teterrimo, poſt
„febrim jam excitatam, et partium ad partes
„attritum vehementem. Sed nec tantum
„hujusmodi venena in prædictas corporis
„partes graſſantur, verum etiam ipſum no-
„ſtrum vitalem liquorem, ipſiusque vaſa ad-
„grediuntur, vel ex inteſtinis jam, vel cum
„flu-

„flumine liquidorum, vel, eroſis vaſis, elap-„ſa, variaque ſcena, rodendo, coagulando, „vel et reſolvendo ſanguinem, tragoediam „ſuam abſolvunt &c.

§. VII.

Emetica nunquam, vel admodum circumſpecte, exhibenda ſunt foeminis gravidis, nec non ſubjectis valde plethoricis, gibboſis, aſthmaticis, hernioſis, calculoſis, ad hæmoptyſin proclivibus, aut febre ardente, inflammatoria, hectica, ſpasmis gravioribus, præſertim ventriculi, et pectoris, morbisque ſimilibus laborantibus; quippe quæ vel ægre vomunt, vel a ſtimulo, et commotione vehementiori gravia plerumque incommoda experiuntur. Maxime inprimis, non emetica ſolum, ſed etiam cathartica completa, nocent, quoties bilis cyſtica ſub iracundia graviori largius in inteſtinum duodenum effuſa fuit: „Nihil frequentius enim, „monente B. FRID. HOFFMANNO *(a)*, „in praxi occurrit, quam ab ira inflammatio-„nem pati ventriculum et inteſtina, eamque „cumprimis lethalem fieri, ſi mox potus fri-„gidus paullo avidius ſuperingeratur, vel „purgans, vel emeticum propinetur, ad bi-„lem, ab ira, ut vulgo putant, commotam, „e ventriculi ſinu exturbandam &c.

§. VIII.

(a) In Med. Syſt. Tom. II. P. II. cap. I. §. 14.

§. VIII.

Præſervandi fine purgantia nunc melius autumnali, nunc melius vernali tempore adſumuntur. Qui enim morbis, ab humorum copia prodeuntibus, hyeme vexari ſunt ſoliti, ſuadente SANCTORIO (*a*), purgandi ſunt autumno, et non vere, reducendique ad pondus, quo fruebantur æſtatis initio: Sin morbi vero a mala qualitate prodeant, corpora vere, et non autumno, purganda; magis enim æſtate, quam hyeme, intenditur qualitatis malitia. Ante purgantis quoque aut emetici exhibitionem, apud plethorica ſubjecta ſanguinem abundantem venæſectione minuere (*b*), et in genere materiam eliminandam prius per adpropriata remedia præparare decet, ut mobilior reddita plene planeque excludi queat. Vulgo evacuationi ſaburræ *acido-viſcidæ*, aut *glutinoſo-mucoſæ*, pulveres præmittuntur ex ſalibus mediis incidentibus, v. g. ſale digeſtivo SYLVII, tartaro vitriolato, arcano duplicato, terra foliata tartari &c., quibus acria, leniora balſamica, et amaricantia, v. g. radix ari, iridis Florentinæ, cortex caſcarillæ, itemque, acido nimirum præſente, terrea alcalina, moderata doſi junguntur. Si collecta autem impuritas *mucoſo-bilioſæ* aut *nidoroſæ* indolis ſit, præ-

(*a*) In Med. ſtatica Aphor. 48, Sect. 2.

(*b*) Vid. Diſſ. noſt. de Venæſectione apud plethoricos catharſi præmittenda.

præter ſalina media ordinaria, etiam nitroſa, et acidula, v. g. cremor tartari, ſal acetoſellæ &c., locum inter digeſtiva inveniunt.

§. IX.

Peracta evacuatione, tonus ſolidorum, plus minusve debilitatus, per temperata roborantia ſtomachalia denuo reſtituendus eſt, ne relicta ventriculi imbecillitas novæ cruditatis geneſi anſam præbeat. Commendantur in hunc finem inter alia tincturæ ê radice gentianæ rubræ, diptamni albi, herba meliſſæ, menthæ, flor. chamomillæ Romanæ, flavedine cort. citri, aurantiorum, macere, cort. caſcarillæ, cum ſpiritu vini, aut liquore terræ foliatæ tartari vinoſo, vel ſaltem aqua quadam deſtillata, paratæ, itemque elæoſacharum citri, cinnamoni, ſpiritus nitri dulcis, cum paucis olei citri Italici guttulis mixtus, et ſimilia.

* *

CAPVT III.

DE RHABARBARO.

§. I.

A quibusdam materiæ medicæ ſcriptoribus quatuor rhabarbari ſpecies recenſentur,

tur, nimirum 1) RHABARBARVM CHINENSE, *Levanticum*, *orientale*, *nobile*, ſeu *verum Officinarum*, 2) RHABARBARVM THRACICVM; vulgo *Rhaponticum verum*, ſive *Rhabarbarum Ponticum* dictum, 3) RHAPONTICVM VVLGARE, et 4) RHABARBARVM MONACHORVM.

§. II.

Rhabarbarum Chinenſe ſeu *orientale* electum radicem ſiſtit prægrandem, oblongam, tuberoſam, ac ſimul, non obſtante textura nonnihil fungoſa, ſatis ponderoſam; extrinſecus colore obſcure fuſco, intus carneo, aut potius ex luteo-rubeſcente, luteo ſcilicet ſtriis rubicundis hinc inde diſtincto, ſapore intenſe amaro, ac paullulum nauſeoſo, odore ſubacri et aromatico, plerisque tamen adverſo, præditam.

§. III.

Planta eſt *Lapathi majoris* ſpecies, et ab ABRAHAMO MVNTINGIO *Lapathum Chinenſe longifolium* dicitur: „Rhabarbarum „lanuginoſum ſive Lapathum Chinenſe longifolium, ſcribit, (*a*), rara admodum in hiſce regionibus planta, viſu peramoena, atque ad hominum infirmitatibus medendum, „ab immortali Deo, ad illius gloriam perpe-„tuo

(*a*) In Diſſ. hiſtorico-medica de vera herba Britannica p. 196.

„tuo celebrandam, liberali manu benigne „producta; e longæva radice, craſſa, ferme „rotunda, parum ultra ſemipedem longa, fi- „bris quibusdam brevibus ac craſſiuſculis un- „dique enatis onuſta, colore obſcuro exter- „ne fuſco, vel quaſi e rubedine nigreſcente, „interne vero grato luteo, rubris nonnullis „ſtriis venuſte permixto, (quæ tamen radice „poſtea marceſcente, et exſiccata, emortuæ „conſpiciuntur), belle donata, natura liquore „plena, interneque ſuccum ex parte viſco- „ſum e rubedine flaveſcentem, poſſidente, „oreve commanſa, admodum amara, necnon „guſtu ingrata &c.

§. IV.

Creſcit in tractu ſeptentrionali *Imperii Sinenſis*, et a diverſarum gentium mercatoribus per mare mediterraneum, ex parte etiam a Batavis, ex India reducibus, advehitur. Optimum colligendi tempus, referente BERNHARDO VALENTINI (*a*), cenſetur initium veris, priusquam folia, de novo erumpentia, ſuccum, in radice concentratum, abſumant, eamque hac ratione leviorem reddant, viribusque debiliorem. Effoſſa, fibris abſciſſis, purgatur a quisquiliis adhærentibus, et in magna diſſecatur fruſta, ſuper aſſere in loco umbroſo ter vel quater quotidie vertenda,

(*a*) In Hiſt. ſimpl. reformata.

da, ut, per quatriduum relicta, ſine ſucci effluxu aliquantulum ſiccentur. Eligenda igitur ſunt fruſta ſicca, compacta, odorata, quae, dentibus maſticata, luteo ſalivam colore imbuunt; rejicienda levia, carioſa, ſitu obducta, et vetuſta debilioris odoris.

§. V.

Componitur ex *terra inerti*, et *copioſa ſubſtantia ſalino-gummea*, cui tam *exigua ſaltem reſinæ portio* immixta eſt, ut nulla illius, quum vix per artem educi poſſit, ac ſeparari, ratio habenda ſit. Teſtantibus quippe examinibus chymicis, una rhabarbari orientalis uncia circiter unciam ſemiſſem et grana aliquot extracti gummoſi ſuppeditat, cujus dimidia tamen drachma, ſub tertia infuſione, et ipſa decoctione ſeparata, terram duntaxat teneriorem, pauciſſimis particulis gummoſis remixtam, adeoque catharticæ virtutis prorſus expertem, ſiſtit. Infuſum aquoſum primum colore ſaturate flavo, ad rubrum nonnihil vergente, et ſapore moderate amaro, in receſſu auſteriuſculo, atque leniſſime adſtrictorio gaudet. Unica ejusdem drachma majorem vim catharticam exſerit, quam portio extracti, e binis ejusdem infuſi drachmis parati, quid? quod, grana viginti quatuor rhabarbari, in pulvere exhibiti, validius alvum ſubducunt, quam drachma integra cum ſemiſſe in infuſo aquoſo, et fortius pariter, quam

quam drachma una extracti. Infuſum ſpirituoſum primum gratiſſimo colore flavo ſeſe commendat, et remiſſiori, quam aquoſum, amaritie præditum reperitur. Vero cæteroquin ſimillimum eſt, tincturam hanc, niſi unice, maximam tamen partem, a phlegmate, quod menſtruis ſpirituoſis ordinariis ſat copioſe adhuc inhæret, derivandam eſſe. Non lacteſcit enim adfuſa aqua frigida, quæ mutatio tamen, ſub aquæ frigidæ cum tincturis vere reſinoſis miſcela, ordinario ſupervenire conſuevit. Extractum inde paratum ſapore ſuo ipſum rhabarbarum perfecte æmulatur, et, homini adulto, ad drachmam dimidiam, exhibitum, alvum blande movet. Reſiduum ſiccatum ab ipſo rhabarbaro, reſpectu coloris, odoris, ſaporis, atque virtutis, parum diſcrepat, et ſatis promptam adhuc alvi ſolutionem efficit; immo, cum aqua amplius digeſtum, tincturam ſaturatam, et poſt evaporationem ejus notabilem pariter extracti activi quantitatem largitur.

§. VI.

Principia laudata *particulis volatilibus*, quibus virtus cathartica maxime adſcribenda venit, valde turgida ſunt, et ſub humida deſtillatione aquæ tranſtillanti aliquas vires laxantes communicant; hinc rhabarbarum quoque ſub decoctione multum virtutis catharticæ amittit, et extractum pene iners redditur,

 adeo,

adeo, ut vix amplius ſingularem effectum laxantem edat. Volatiles atque activae hae particulae, quae, ſenſim a fixiori ſubſtantia detritae, paullatina evaporatione in auras abeunt, *acidulo-oleoſo-inflammabilis naturae* eſſe videntur: Nam rhabarbarum, igne ſicco e retorta deſtillatum, ſucceſſive *phlegma* transmittit, ſapore quidem debili, ipſius tamen rhabarbari odore, imbutum; deinde *liquor magis magisque acidus*, tandemque *paucum oleum* ſuccedit, et in retorta caput mortuum remanet, quod aqua elixiviatum parum ſalis fixi alcalici, ſub combuſtione ſeu calcinatione ultima demum geniti, ſuppeditat.

§. VII.

Rhabarbarum orientale mitiſſimum non minus, quam tutiſſimum laxans praebet, et ſolida inſuper, ſi in ſubſtantia nimirum, aut infuſo aquoſo exhibetur, roborat, bilem inertem ac viſcidam amaritie ſua corrigit, et abſtergit, quin naturalis defectum, ante prandium, ac coenam manducatum, ſupplet, et egregie igitur munere illius chylificationis tempore perfungitur; hinc ictericis, qui bilis inertia, aut plenario in inteſtinis defectu laborant, prae reliquis commendandum, venit. Leniſſime denique urinam pellit, humores craſſos, itemque impuritates, meatibus atque canaliculis hinc inde inhaerentes, reſolvit, et vires proinde eximias exſerit in cruditate ven-

ventriculi acido-pituitoſa, læſa chylificatione, diarrhoeis, lienteria, coeliaca, dyſenteria, ictero, vermibus, calculo, ſegnitie alvi apud hypochondriacos, fluore albo, ac variis morbis aliis, qui leniora evacuantia, ac ſimul roborantia poſtulant. Laxandi fine in pulvere apud adultos, a ſcrupulo uno ad drachmam ſemiſſem, vel ſolum, vel cremore tartari, ſale Ebshamenſi, Sedlizenſi, nitro, aut alio ſale neutro remixtum, in infuſo aquoſo, vel vinoſo autem, a drachma una ad duas, quin dimidiam ſubinde unciam, exhibetur. Sin idem vero, reſolvendi, abſtergendi, et roborandi ſcopo, aliis addere placet, grana pauca pro una doſi ſufficiunt.

§. VIII.

Reſpectu plantæ, et quodammodo etiam ipſius radicis, tanta Rhabarbarum Chinenſe, et *Rhaponticum Thracicum* ſimilitudo intercedit, ut difficile ab invicem diſcerni poſſint, et a quibusdam ea propter pro una eademque ſpecie, natali duntaxat ſolo diſtincta, habeantur. „Rhaponticum, HERMANNVS in-„quit (*a*), eſt lapathi Thracici maximi radix, „craſſa, oblonga, ramoſa, brachiata, foris „fuſca, intus crocea, laxa, et rara, transver-„ſim ſecta, ſpiras oſtendens, ſaporis adſtrin-„gentis, cum levi quadam acredine et lento-

 „re,

(*a*) In Cynoſ. Mat. Med. p. 63.

„re, odoris pontici debilis. Rhabarbarum „et Rhaponticum conſimiles flores et ſemina „habent, et facie plantarum nihil differunt, „ſed tantum ratione radicis, idcirco præſu„mitur, unam eſſe plantam; diverſitas radi„cis oriri poteſt a ſolo &c. Recte hæc ultima addit HERMANNVS: Singulis quippe proprietatibus paullo adcuratius in radice utraque penſitatis, aliqua omnino diſcrepantia animadvertitur. Rhabarbarum Chinenſe ſive Levanticum nempe, monente POMETO (*a*), in magnis ac late rotundis fruſtis, ſtriis transverſalibus intrinſecus notatis, adfertur; Rhaponticum Thracicum vero ex longis fruſtis conſtat, ſtriis rubris longis intus ornatis, et foris magis, quam orientale, ad flavedinem inclinat. Facilius præterea ſitum contrahit, citius colorem ac vires amittit, linguæ ſaporem imprimit magis adſtrictorium, quam amarum, et multum in ore viſcoſitatis relinquit. Creſcit in *Thracia*, et *Regno Tartariæ Aſtracanenſi*, *circa Wolgam*, ſeu *Rha fluvium:* Unde etiam vocabula *Rha-barbarum*, et *Rha-ponticum* originem ſuam traxiſſe videntur. Rhabarbarum enim radicem denotat, creſcentem apud gentes barbaras prope fluvium Rha, et Rhaponticum radicem, quæ ſupra pontum (ſcilicet Euxinum) circa fluvium Rha effoditur.

§. IX.

(*a*) In aufrichtigen Materialiſten p. 63.

§. IX.

Rhaponticum vulgare ſive *ſpurium* nonnullæ *Italiæ* provinciæ, maxime autem *Sabaudia*, itemque *Lithuania*, et *Ruſſia ſtricte ſic dicta* mittunt. Radix oblonga eſt, foris fuſca, intus flaveſcens, ſaporis amari, et adſtringentis, odoris, ſi recens, fortis admodum ac nauſeoſi. Planta ejus a Botanicis vocatur *Rhaponticum folio helenii incano*, et ob pappum, piloſamque ſcopulam, quam flos deciduus relinquit, cyanis adnumeratur. Quoad virtutem hoc æque, ac verum Rhaponticum Thracicum quodammodo, quin poſterius maximam partem, cum rhabarbaro orientali convenit, præterquam, quod utrumque, ob majorem terræ, et ſubſtantiæ viſcoſæ portionem, validius adſtringat. Et id quoque cauſſa eſt, cur olim in ipſis hæmorrhagiis, vulneribus, caſu ab alto, ſanguine congrumato &c., frequentiſſime, tam interne, quam externe, adhibitum fuerit. Noſtra ætate ſpurium rarius in uſum vocatur, Thracicum vero perſæpe Chinenſi miſcetur, aut pro eo a fraudulentis venditur.

§. X.

Rhabarbarum Monachorum, quod reſtat, radicem exhibet longam, fibroſam, inſtar angelicæ, aſt ponderoſiorem atque compactiorem, foris obſcure fuſcam, intus fla-

vam, nullis tamen ſtriis rubris, aut albis diſtinctam. Planta Lapathi quoque ſpecies eſt, et *Lapathum hortenſe latifolium* dicitur. Copioſe in *America* creſcit, et inde in hortos noſtros translata creditur. Nonnulli hoc rhabarbarum ita dictum volunt a monachis, qui in MESVEN commentati ſunt, et, ob orientalis rhabarbari defectum, hac radice utebantur. Proxime, licet viribus paullo debilioribus inſtructum ſit, et duplicata proinde doſi exhiberi debeat, ad veri rhabarbari indolem accedit, eidemque commode nonnunquam ſubſtitui poteſt.

CAPVT IV.

DE RADICE IPECACOANHA.

§. I.

IPECACOANHA, IPECACVANHA, HYPECACVANHA eſt radix geniculatim flexuoſa, parvum digitum longitudine circiter æquans, ſapore auſteriuſculo-ſubamaricante, et ſubacri, odore poſt exſiccationem nullo notabili, colore vel fuſco, vel gryſeo prædita: Hinc in *fuſcam* quoque, ac *gryſeam* diſtinguitur.

§. II.

§. II.

Creſcit in *America*, maxime in *Braſilia*, plerumque circa auri mineras, et inde a Luſitanis, et Batavis ad gentes reliquas defertur. Collectio hujus radicis, referente BERNHARDO VALENTINI (*a*), injungitur iis, qui ad metalla ſunt damnati, quorum tamen ſolertiſſimum ultra duodecim libras integri anni ſpatio non colligere poſſe perhibent; id quod cauſſa eſt, quamobrem pretium iſtius tantopere accreſcat, et una libra in Batavia XXX florenis vendatur, tantoque pretio non poſſet comparari, niſi commutatione mercium iſtius accipiendæ ab incolis poteſtas daretur. Planta a plerisque ad plantas repentes refertur, et a MORISONIO *Planta Braſiliana periclymeno accedens, floſculis congeſtis albis*, a RAIO autem *Herba paris Braſiliana polycoccos* vocatur. Ad mediocrem altitudinem adſcendere, et partim erecta, partim repens eſſe dicitur. Folia protrudit oblonge acuminata, parietariæ noſtratis foliis valde ſimilia. Flores, qui inter folia erumpunt, parvi ſunt, pentapetali, albicantes, et tandem in baccas ex brunno-aut flavo-rubentes, ceraſi ſylveſtris minoris magnitudine, degenerant. Baccæ hæ pulpa ſucculenta alba gaudent, in qua bina ſemina, dura, flaveſcentia, lentiformia, latent.

§. III.

(*a*) In Hiſt. ſimpl. reformata Lib. II. Cap. I.

§. III.

Principia hujus radicis *activa*, quæ partim *reſinoſa*, partim *gummoſa* ſunt, unice in cortice, ſeu parte exteriori, quæ aſpera eſt, multisque ornata annulis, hæret; interior lignoſa autem tam iners reperitur, ut nihil propemodum ſubſtantiæ activæ inde ſeparari queat. Ex uncia una radicis ipecacoanhæ gryſeæ, quæ in noſtris regionibus plerumque in uſum trahitur, et melior in operando ac mitior, quam fuſca, judicatur, drachmas tres extracti aquoſi ſive gummoſi primi, et quatuor ſcrupulos primi pariter extracti ſpirituoſi obtinui. Monendum tamen, me ſolam partem exteriorem corticalem, prorſus rejecta interiori lignoſa, extractioni adhibuiſſe. Infuſum aquoſum poſt filtrationem pellucidum eſt, et colorem ex rubello-ac flavo-brunneum, odorem debilem, ad ſeminis carvi odorem quodammodo accedentem, et ſaporem amaricantem, ſubacrem, et ſubadſtringentem poſſidet. Eodem ſapore etiam extractum ipſum, quod ſaturate brunneo tamen colore gaudet, donatum eſt. Infuſum ſpirituoſum colore flavo, ad brunnum ac rubrum aliquantulum inclinante, odore debili nauſeoſo, et ſapore ſubacri, piperis ſaporem quodammodo æmulante, pollet; Extractum inſpiſſatum vero debilem odorem balſamicum ſpirat, et linguæ amaricantem, ſubacrem,

et

et in receſſu nonnihil adſtringentem, ſaporem imprimit. BOVLDVCCIVS (*a*), qui utriusque pariter, gryſeæ nempe ac fuſcæ, radicis ipecacoanhæ examen chemicum ſuſcepit, intuitu quantitatis principiorum, valde diſſentit, et ex gryſeæ uncia una drachmas tres cum ſemiſſe ſubſtantiæ gummoſæ, et tria duntaxat reſinoſæ grana, ex æquali autem fuſcæ quantitate drachmam unam et ſcrupulum unum ſubſtantiæ gummoſæ, et tria iterum reſinoſæ grana ſeſe obtinuiſſe teſtatur. Verum enim vero, indicatam principii reſinoſi quantitatem nimis parvam eſſe, et aliquam ejus partem ſimul cum ſubſtantia reſinoſa extractam fuiſſe, firmiter credo.

§. IV.

In ſubſtantia reſinoſa virtus emetica, commovens, et in caſibus nonnullis nociva, in gummoſa autem mitior cathartica, et in receſſu paullulum adſtringens, præcipue latet: Hinc remiſſior quoque hæc radix ac tutior in operando evadit, quando ante exhibitionem principio reſinoſo, per brevem ac lenem cum ſpiritu vini dephlegmatiſſimo digeſtionem, privatur. Amittit quoque hac ratione vim emeticam, et ſecurius, purgandi fine, tenerioribus hominibus, qui vomitum averſan-

tur,

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1701.

tur, nec minus dyſentericis, quibus, ob febrem complicatam, fortior humorum commotio nocet, exhibetur.

§. V.

Quando radix hæc, ſive ſit gryſea, ſive fuſca, deſtillationi ſiccæ in retorta ſubjicitur, primo phlegmatis quidquam, deinde parum ſpiritus acidi, tandemque olei pauxillum elicitur, ita tamen, ut radix fuſca plus ſpiritus acidi, minus vero olei, quam gryſea, reddat: Ex quo rationem innoteſcere reor, cur fuſca potentiorem, quam gryſea, operationem exerceat. Exiſtimat quidem laudatus BOVLDVCCIVS, principia in fuſca volatiliora eſſe, quam in gryſea, et unice igitur a differenti volatilitatis gradu diſcrepantem pendere activitatem: Attamen, pro meo judicio, memoratæ differentiæ cauſſa rectius in ſalis acidi mixtione cum oleo quærenda eſt, quod poſterius, confirmante vix allegata analyſi, majori quantitate gryſeæ, quam fuſcæ mixtionem ingreditur, ideoque ſal acidum ſtimulans, parcius præterea in gryſea præſens, melius involvere, obtundere, atque contemperare valet.

§. VI.

Radix hæc, adultis in pulvere a ſcrupulo uno ad grana viginti quinque, immo drachmam ſemiſſem, oblata, mobilia recrementa

per

per ſuperiora æque ac inferiora exterminat, et, evacuatione peracta, per reſiduas quasdam partes terreas tunicis laxis, leniter conſtringendo, robur denuo conciliat. Egregium proinde atque ſpecificum evacuans prædicatur in fluore albo mulierum, et incipiente dyſenteria ſtomachali, præſertim, ſi parte reſinoſa per ſpiritum vini nonnihil orbatum fuerit. Rarius vino aut aqua infunditur.

CAPVT V.

DE JALAPPA.

§. I.

Gialappa ſive Jalappa eſt radix craſſa, oblonga, ſapore nauſeoſo, atque ſubacri, odore, pulveriſata ſcilicet, debili, eoque pariter nauſeoſo, et colore foris nigricante vel obſcure gryſeo, intus autem venis reſinoſis nigricantibus, quas albidæ ſtriæ, aut in vetuſtiori pallide flaveſcentes, diſtingunt, prædita. Paullulum toſta, aut fortius exſiccata, et in taleolas diſſecta, ad nos devehitur. Eligendæ ſunt taleolæ compactæ, ponderoſæ, a carie immunes, quæ plus ſubſtantiæ nigræ reſinoſæ, quam albicantis fari-

na-

naceæ continent. Bonitas enim hujus radicis, ſecundum VALENTINI (a) ſententiam, exinde potiſſimum dignoſcitur, quando, prunæ aut candelæ admota, ſtatim accenditur, præſertim fruſta majora, quæ manibus non facile infringi, malleo tamen mox comminui poſſunt, quæque extrinſecus nigricant, intrinſecus vero ſplendentia, ac reſinoſa apparent, ſaporis quoque acuti, ac nauſeoſi ſunt: Id quoque videndum, ne aliæ radices, ut bryonia, ſimilesque permiſtæ ſint. Præterea in integris fruſtis, non pulveriſata, quæ plerumque vetuſta nimis atque corrupta eſt, ematur.

§. II.

Radix hæc quam alii etiam *Jalapium*, *Gelapium*, *Gialapium*, *Chelapam*, *Mechoacannam nigram*, *Bryoniam Indicam* et ſic porro vocant, effoditur in *nova Hiſpania*, creſcere tamen etiam traditur copioſe, et absque cultura, in Inſula *Madera*. Denominationem ſuam accepiſſe creditur a *Xalapa*, novæ Hiſpaniæ oppido, vel, ex mente aliorum, a *Xalapo*, ſive *Gelapo*, portu Americæ inſigniori; ideo forſan, quia circa oppidum Xalapam copioſius creſcit, aut illuc, venditionis gratia, allata, deinde per portum laudatum cum aliis mercibus, ad gentes Europæas evehitur. Planta ab aliis *Bryoniæ*, ab aliis, et quidem rectius,

(a) L. c. p. 104. §. 3.

rectius, *Solani* aut *Convolvuli* ſpeciebus accenſetur, et ideo a TOVRNEFORTIO *Solanum Mexicanum*, magno flore, ſemine rugoſo, et a PLVCKENETO *Convolvulus Americanus*, ſub jalappæ nomine receptus, vocatur.

§. III.

Poſſidet *principium* activum *gummoſum* ac *reſinoſum*, quorum prius in uncia una radicis bonæ notæ circiter unciam dimidiam, poſterius autem ſaltem binos ſcrupulos pondere æquat. Notatu tamen dignum eſt, neque ſolam partem reſinoſam, neque ſolam gummoſam, prout decet, ventrem purgare, ſed utramque debite combinatam. Mera gummoſa enim, ſeorſim exhibita, parum movet alvum, magisque, immo unice propemodum, urinam pellit, et mera reſinoſa fortem quidem catharſin provocat, aſt multis ac magnis torminibus ſtipatam: Hinc certo etiam certius eſt, radicem ipſam, in pulvere oblatam, ob naturale et egregium ſubſtantiæ reſinoſæ ac gummoſæ conſortium, optimam exercere operationem. Inde præterea patet ratio, cur reſina jalappæ, ſpiritu vini, nonnihil duntaxat rectificato, extracta, vires fortiores monſtret, quam cum vini ſpiritu rectificatiſſimo parata, quippe quæ vehementia quidem tormina concitat, ſegniorem nihilominus, quam prior, virtutem catharticam exſerit. Veritati enim contrarium eſt, ſpi-

ritum vini, quod nonnulli tamen firmiter credunt, vires purgantes debiliores reddere, quum clare potius conſtet, quod vegetior in caſu priori activitas a ſimultanea principii gummoſi ac reſinoſi per ſpiritum vini adhuc phlegmaticum extractione dependeat.

§. IV.

Locum hæc radix inter optima, tutiſſima, et completa purgantia invenit, ac nullo prorſus, ſi nimirum genuina eſt, ac probe nigricans, corrigente aut adjuvante eget. Specialius inter *hydragoga* militare creditur; at, me ſentiente, rectiſſime pariter panchymagogis adnumeratur. Adultis in pulvere datur, a ſcrupulo uno ad drachmam ſemiſſem, quin duos ſubinde ſcrupulos, infantibus tenellis autem, lacte adhuc nutriendis, a granis duobus ad grana tria vel quatuor, dum apud hoſce non tantum blande alvum ſubducit, ſed iis etiam, anodyni inſtar, ſomnum conciliat. In infuſo vinoſo a ſcrupulo uno ad duos, et in mere aquoſo a drachma una ad duas præſeribitur.

CAPVT

CAPVT VI.

DE

MECHOACANNA ALBA ET RADICE BRYONIÆ.

§. I.

MECHOACANNA ALBA, alias etiam *Rhabarbarum album*, *Mechoacanna Peruviana*, *Bryonia Americana*, *Scammonium Americanum*, et ſic porro denominata, eſt radix magna, levis, per integram ſubſtantiam circulis ornata, coloris intrinſecus albicantis, aut ex albido-flaveſcentis, extrinſecus gryſei, odoris et ſaporis nullius ſingularis, præterquam, quod diutius manducata aliquam acredinis et ardoris ſenſum linguæ imprimat. Æque, ac jalappa, non integra, ſed in taleolas aut fruſta oblonga diſſecta, ac paullulum toſta, ad nos defertur. Eligenda eſt recens, denſa, compacta, gravis, ex albido-flaveſcens; rejicienda ex adverſo nimis alba, rara, levis, carioſa, fractu facilis, et fruſtulis radicis bryoniæ noſtratis mixta, quippe quæ ſapore gaudet amaricante, et hoc ipſo igitur ab inſipida ferme radice mechoacannæ ſeſe diſtinguit.

§. II.

Patriam agnoſcit *Novam Hiſpaniam* in America, maxime autem inſulam *Mechoacan*, et in continenti provinciam *Nicaraguam*. SCHROEDERVS illam duplicis generis eſſe judicat, et alteram, quæ in inſula Mechoacan provenit, viliorem, debilioremque, alteram, Nicaraguæ incolam, præſtantiorem pronuntiat. Planta a TOVRNEFORTIO ad *Bryoniæ repentis* ſpecies refertur, et proinde etiam ab illo *Bryonia Americana repens, folio anguloſo*, dicitur: Ab aliis rectius *Convolvulis* adnumeratur, ac nihil certe aliud eſt, niſi *Convolvulus Americanus Jeticu* dictus. Prius, quam Jalappa, Europæis innotuit, et a monachis Hiſpanis detecta traditur; ante illorum tamen adventum incolis virtus ejusdem jam pridem cognita fuit.

§. III.

Præter *terram ſubtilem, albicantem, ac quaſi farinaceam, pauciſſimamque reſinam, ſat largam ſubſtantiam gummeo-ſalinam*, cui purgandi virtus unice propemodum in acceptis ferenda eſt, continet. In uncia una tres circiter drachmæ principii gummoſi, et dimidius duntaxat ſcrupulus principii reſinoſi hærent. Intelligenda hæc ipſa ſunt de radice recentiori, compacta, atque integra: Quod vetuſtam enim, carioſam, ac nimis levem attinet, illa

illa virtute longe inferior, et dimidia fere principii activi parte ſpoliata deprehenditur. Infuſum aquoſum primum ex flavo-brunnum eſt, nonnihil turbidum, odoris et ſaporis nauſeoſi, ac paullulum in receſſu ſubacris. Sub evaporatione conſtanter vaporem nauſeoſum emittit, et, peracta inſpiſſatione, extractum obſcure brunnum, debili odore ingrato, et ſubtili ſapore acri, ſalivationem excitante, atque debilitatum pyrethri ſaporem æmulante, donatum, relinquit. Infuſum ſpirituoſum primum perfecta pelluciditate, et dilute aurea flavedine gaudet, ac linguæ minorem, quam aquoſum, acredinem imprimit. Extractum, inde evaporando paratum, ſubflavum eſt, odoris debilis, quodammodo nauſeoſi, et ſaporis ſubacris, ita tamen, ut acredo poſt moram aliquam ſenſibilior longe atque auctior reddatur. Sub deſtillatione ſicca hæc radix nil ſingulare oſtendit, præterquam, quod plerumque plus liquoris acidi, minus vero olei, quam jalappa, reddat.

§. IV.

Nonnunquam, referente BOVLDVCCIO (a), ex India, forma parvi panis, præparatum quoddam adfertur, uncias tres circiter pendens, quod *ſuccus mechoacannæ lacteus* nuncupatur, et a nonnullis ſuccus, planta in-

(a) Lib. ſæpius citato ann. 1711. p. 104. ſequ.

inciſa, ſponte effluens, et inſpiſſatus, adeoque non inutilis, judicatur: Attamen, contrarium idem Boulduccius *(a)* docuit. Data enim occaſione, præparatum hoc variis quidem ſubjectis purgandi fine exhibuit, inutile tamen, et laxandi virtute plane deſtitutum, invenit. Quo veram igitur ejus originem atque indolem per chymica examina detegeret, radicem mechoacannæ in aqua, leniſſimo adjuvante calore, maceravit, et quidem in vaſe clauſo, ne admiſſus aer liberior colori albicanti alterationem induceret. Deinde maceratam, et in paſtam tritura redactam, torculari ſubjecit, et ſuccum lacteſcentem expreſſit. Hic, aliquot elapſis diebus, ſedimentum albicans ad fundum dejecit, quod ſiccatum prædicto ſucco Indico per omnia ſimile erat, nec ullum quoque effectum notabilem in corpore edebat, ut pro mera igitur fæcula inerti radicis mechoacannæ, æque ac præcedens, habendum ſit. Aqua, ab hac fæcula decantata, ut et extractum aquoſum alvum ſatis bene movebant.

§. V.

Radix mechoacannæ genuina, et bonæ notæ, nullo pariter corrigente eget, et in pulvere exhibita, non tantum abſtergit, alvumque blande movet, ſed acidum quoque primæ culinæ, mediante terra ſubtili ac tenera farinacea, ab-

(a) L. c.

abſorbet, atque deſtruit. Infantibus, ob indolem temperatam, mitiſſimamque operationem, perſæpe, et quidem, pro ætatis diverſitate, a granis quatuor ad ſcrupulum ſemiſſem, adultis vero in pulvere a ſcrupulo uno ad ſcrupulos duos, in infuſo aquoſo aut vinoſo a drachma dimidia ad drachmam integram, præſcribitur. Commode præterea pulveribus aperitivis ac reſolventibus, in tumore atque duritie ventris apud infantes, rebelli febre quartana, et morbis ſimilibus exhibendis, refracta doſi additur.

§. VI.

Cum radice Mechoacannæ convenit RADIX BRYONIÆ NOSTRATIS, *baccis, tam rubris, quam nigris*, Zaun-Rübe, præterquam, quod principiis longe acrioribus inſtructa ſit, et longe vehementiorem proinde operationem exerceat, variaque prava pathemata, præſertim apud ſubjecta ſicciora ac ſenſibiliora, ſubinde excitet. Radix valde magna ac craſſa eſt, coloris extrinſecus flaveſcentis, intus albidi, odoris ingrati, et ſaporis amari, valde acris, atque nauſeoſi. Plura principia *gummoſa*, quam *reſinoſa* poſſidet, et una radicis ſiccatæ uncia circiter unciam dimidiam, vel drachmas quinque ſubſtantiæ gummoſæ, et drachmam ſemiſſem reſinoſæ continet. Sub prima infuſione cum ſpiritu vini major quidem extracti quantitas obtinetur; at iſtud,

ob rationes alibi pridem indicatas, non mere reſinoſum, ſed ſimul quoque gummoſum eſt. Virtus cathartica in utroque principio, magis tamen in reſinoſo, quam gummoſo, quærenda eſt.

§. VII.

Vulgo quidem potentioribus *phlegmagogis* adnumeratur, et ſpecifice pariter, infuſis aquoſis aut vinoſis, vel linctibus etiam atque electuariis addita, a quibusdam ad ſanguinem grumoſum diſſolvendum, calculum pellendum, nec minus contra aſthma pituitoſum et cachecticum, cachexiam univerſalem, et hydropem abdominis, pectoris atque uteri commendatur; verum, cum in operando juſto ſit violentior, et vehementes quandoque convulſiones producat, prorſus, me ſentiente, e purgantium et emeticorum numero releganda eſt. Externe tutius emplaſtrjs, linimentis, et cataplasmatibus, in refractariis partium doloribus, immo convulſionibus, a gravi vaſorum obſtructione oriundis, diſcutiendi ac reſolvendi ſcopo, adplicandis, itemque, quanquam rarius, et doſi admodum moderata, clyſteribus, apud hydropicos injiciendis, ſtimulandi fine, additur.

CAPVT

CAPVT VII.

DE RADICE HELLEBORI NIGRI.

§. I.

In Officinis duplex proſtat RADIX HELLEBORI ſive ELLEBORI, *alba* nimirum ac *nigra* weiße und ſchwartze Nieß-Wurtzel. Illa, de qua alibi pridem ſermo fuit, ob nimis violentam operationem, jam dudum e purgantium claſſe exterminata, et ſolummodo ad ptarmica relegata eſt: Hæc vero, quæ etiam ſub *Veratri nigri* nomine innotuit, olim unicum ferme atque optimum conſtituebat catharticum, et hodienum quoque locum inter ſelectiora tuetur. Ex multis, iisque tenuibus atque fibroſis radiculis conſtat, ex uno capite prodeuntibus, extrinſecus nigricante, intus albicante colore donatis. Sapore gaudet amaro, acri, pungente, et odore ingrato ac nauſeoſo.

§. II.

Variæ ejus ſpecies bonitate notabiliter diſtinctæ reperiuntur. Quondam, Hippocratis inprimis tempore, optimam judicabant, quæ copioſe, et absque cultura

in Theſſaliæ inſula *Anticyra* proveniebat; noſtris vero temporibus in plerisque Europæ officinis *Stiriaca* et *Helvetica* primum locum obtinent, deinde *Anglica*, et infimo tandem loco *Bohemica*, *Auſtriaca* et *Thuringica* collocandæ veniunt. Eligendæ ſunt fibræ radicis minores, graciliores, probe exſiccatæ, et a ſordibus repurgatæ; quippe quæ fibris craſſioribus et ipſo capite longe præſtantiores inveniuntur. Planta, quæ optimam ſpeciem radicis largitur, a Botanicis *Helleborus niger anguſtifolius*, itemque *Veratrum nigrum* vocatur.

§. III.

Subſtantia cathartica, qua radiculæ ſeu fibræ laudatæ inſtructæ ſunt, partim *reſinoſa*, partim *gummoſa* deprehenditur, et in uncia circiter drachmæ tres et ſcrupulus unus principii ſalino-gummoſi, et drachma una ac ſcrupuli duo principii reſinoſi latent. Monendum tamen, principia hæc tam arcte invicem mixta eſſe, ut alterum ab altero, adhibitis etiam congruis menſtruis, vix ſeparari queat: Et hoc quoque cauſſa exiſtit, cur chemici, qui radicem hanc examini ſubjecerunt, circa determinandam utriusque principii quantitatem tantopere diſcrepent. Fateor, me ipſum, cum eam prima vice examinarem, deceptum fuiſſe: Aqueum enim menſtruum, cum paullo fortior accederet digeſtio, totam propemo-

modum ſubſtantiam activam extrahebat, eademque proinde unice gummoſæ indolis eſſe videbatur; verum, extractione ſemel repetita, et aliis inſuper ſcrutiniis in ſubſidium vocatis, obſervavi, principium activum non mere gummoſum, ſed ſecundum indicata pondera reſinoſo-gummeum eſſe. Maxima virtus cathartica in parte reſinoſa hæret, et gummoſa, prorſus a priori ſegregata, et ſeorſim exhibita, nullam ferme catharſin, ſed magis diureſin provocat, ſola ex adverſo reſinoſa valide quidem alvum movet, aſt multa inſimul ventris tormina producit: Unde ſatis pateſcere opinor, quod ſubſtantia utraque, conjunctim exhibita, optimam operationem exerceat.

§. IV.

A priſci ævi medicis radici hellebori nigri in curanda melancholia, mania, ac quavis ferme inſaniæ ſpecie tantæ virtutes adſcriptæ fuerunt, ut varia inde enata fuerint proverbia, quæ tot quaſi eximiæ virtutis elogia exiſtunt. Noſtra ætate, poſtquam multa alia detecta et introducta fuerunt, ellebori radice adhuc præſtantiora, rarius in uſum vocatur; præſertim, cum noſtra radix vires illas eminentes, quas Græci de veratro ſuo Anticyrano prædicabant, non exſerat. Collocatur hodie inter ſic dicta *melanagoga*, humoribus craſſis bilioſo-acido-pituitoſis reſolvendis, abſter-

ſtergendis et educendis præcipue dicata, et proinde etiam in cachexia, apoplexia pituitoſa, adfectibus ſcabioſis, nec minus in melancholia et mania, ſi purgantia ſcilicet tutum inveniunt uſum, ſpecifice prodeſſe creditur. Præſcribuntur fibræ electæ, et a ſordibus probe repurgatæ, in decocto a drachma una ad drachmas tres, in infuſo aquoſo et vinoſo autem, ſacculo tamen incluſæ, a drachma una ad unciam dimidiam.

CAPVT VIII.

DE FOLIIS SENNÆ.

§. I.

SENA ſive SENNA eſt vel *orientalis* vel *occidentalis*. Prior, reſpectu patriæ, rurſus diſtinguenda eſt in Senam *Ægypticam* ſive Alexandrinam, *Mechinenſem* ſive de Mecha, et *Senam de Saetto* ſive de Seyda. Alexandrina, cui Mechinenſis natura et virtute ſimillima eſt, cenſetur optima; vilior exiſtit Sena de Seyda, et viliſſima denique occidentalis, tam Italica Florentina, quam Gallica Narbonenſis, quum rectius pro quadam *Coluteæ*, quam Sennæ veræ ſpecie habenda ſit, etiam-

ſi

ſi FALLOPIVS (a) in hoc paſſu diſſentiat, et Italicam ideo pariter magni æſtimandam, immo orientali præferendam eſſe opinetur, quod ſemper, aut tamen plerumque, recentior, et naturæ ac temperamento noſtri corporis convenientior inventa fuerit.

§. II.

Folia Sennæ Alexandrinæ, quæ potiora civitatis pharmacevticæ jura in Officinis noſtris adepta ſunt, oblonga deprehenduntur, moderate acuminata, ſubflava, aut ex viridi-flaveſcentia, ſaporem obtinent amarum, ſubacrem, ac nauſeoſum, et recentia, præſertim contrita, fortiter olent, poſt exſiccationem vero nullo amplius odore ſingulari pollent. Ab hiſce notabiliter folia Sennæ Italicæ diſtincta ſunt, dum nonſolum latiora ac breviora, ſed rotundiora quoque, et obtuſiori acumine prædita reperiuntur.

§. III.

Planta ab aliis ad frutices, ab aliis, quanquam minus recte, ad ſuffrutices refertur. Radix enim aliquot caules tenues et rotundos protrudit, ſucceſſive ad duorum pedum altitudinem adſurgentes, qui tandem ligneam texturam conſequuntur. Hiſce, intermediis gracilibus ſtipitibus ſeu petiolis, folia ex viridi-flaveſcentia innaſcuntur, tandemque flores fla-

(a) Lib. de ſimpl. purg. cap. 59.

flaveſcentes pentapetali roſacei prodeunt, qui juſto tempore ſiliquas compreſſas, latas, incurvatas, obſcuri coloris, ſeu rectius, folliculos membranaceos, non tumidos atque inflatos, ut apud coluteam veſicariam, ſed depreſſos relinquunt, quibus ſemina parva, compreſſa, fuſci, cæſii, aut nigricantis coloris, includuntur.

§. IV.

Triplici *principio activo* hæc folia donata ſunt, nimirum *gummoſo*, *reſinoſo*, et *oleoſo*. Principium gummoſum reliqua quantitate longe ſuperat, et in uncia una ad binas circiter drachmas adſcendit: Reſinoſum integram propemodum drachmam pendet, et oleoſum eſſentiale, cujus pondus ob ſeparationis difficultatem exacte determinari nequit, exigua ſaltem quantitate mixtioni inhæret. Oleum hoc partim *craſſius unguinoſum*, partim *ſubtilius æthereum* eſt: Folia enim, a ſtipitibus repurgata, et poſt aliquam macerationem, lenemque cum aqua ſimplici digeſtionem, e cucurbita deſtillata, aquam transmittunt odoris et ſaporis nauſeoſi; liquidum ex viridi-brunnum autem, in cucurbita relictum, ac percolatum, ſub evaporatione in vaſe aperto aliquamdiu protracta, non tantum *ſpumidam*, ac *pinguem materiam* ad ſuperficiem extrudit, ſed hinc inde pariter ejusdem naturæ cuticulam format, quæ adſpectu,

ſpectu, et contactu *pinguis reſinoſo-oleoſa* eſt, et, cochleari ablata, aquæ conſortium reſpuit, eandemque, tentata ſcilicet per agitationem intimiori miſcela, nonnihil turbidam reddit. Ex uncia una foliorum ſeptem circiter grana hujus materiæ obtinui. Sub infuſi ſpirituoſi evaporatione oleoſa hæc materia adhuc melius in conſpectum venit. Quando iſtud enim deſtillationi in cucurbita ſubjicitur, ſpiritum dimittit, colore pallide viridi ac flaveſcente tinctum, et debili, atque ſpecifico odore, et ſapore imbutum; extracto liquido autem, in cucurbita relicto, *guttulæ nonnullæ oleoſæ* innatant.

§. V.

Præcipua virtus purgans in laudata ſubſtantia oleoſa unguinoſo-ætherea latet; hinc aquoſum etiam foliorum decoctum, cujus odor nauſeam, immo, apud ſenſibiliora ſubjecta, ipſum vomendi conatum, excitat, diuturniori ebullitione viribus catharticis maximam partem privatur. Sola igitur pars gummoſa magis urinam, quam fæces alvinas, movet, et ſola pars reſinoſa inteſtinorum tunicis tenacius adhæreſcit, adeoque, absque ſingulari ſolutione alvina, multa tormina ventris producit: Unde manifeſtum eſt, optime hæc folia in infuſo, moderata digeſtione parando, exhiberi.

§. VI.

§. VI.

Adnumerantur *phlegmagogis*, et *melanagogis*, ac plus, quam purgantia alia, præſentibus in corpore impuritatibus acido-bilioſis, ſalſis, viſcoſis, nec minus capitis, ac viſcerum obſtructionibus chronicis, præſtare, quanquam absque fundamento, creduntur. Movent etiam urinam, et interdum, præſertim in pulvere data, ſudorem. Præſcribuntur ordinario in decocto, aut infuſo aquoſo, a drachmis duabus ad unciam dimidiam, quin integram. Sub decoctione ſacculo includenda, nec, ea, aut infuſione peracta, exprimenda ſunt, ne craſſior pars reſinoſa, ſimul expreſſa, majora ventris tormina provocet. Corrigendi fine, præter pruna exſiccata, caricas, aliaque lubricantia, etiam carminativa, ut herba meliſſæ, flores chamomillæ Romanæ, cortices citri, aurantiorum, ſemen foeniculi, aniſi &c., nec non ſcrophularia aquatica major BAVHINI, quæ optimum cenſetur corrigens, adduntur. (*a*).

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royale des Sciences ann. 1701.

CAPVT

CAPVT IX.

DE AGARICO SIVE FVNGO LARICIS.

§. I.

AGARICVS, AGARICVM ALBVM, FVNGVS LARICIS, græce ἀγαρικὸν, Lerchen-Schwam, eſt corpus album, leve, ſpongioſum, friabile, ſaporis primo dulcis, poſtea amari, pauliſper nauſeoſi, et ſubadſtringentis, odoris, ſi recens, fortis et ingrati, extrinſecus cortice duriori, rubicunde cæſio, tectum.

§. II.

A quibusdam in *marem* ac *foeminam* diſtinguitur; quæ diſtinctio tamen ſolido caret fundamento. Fungus enim, quem agaricum marem vocant, non fungus laricis eſt, ſed potius quercuum annoſiorum, adeoque diverſisſimæ ab agarico genuino indolis. Quercubus annoſioribus, ut dictum, adcreſcit, et fungum ſiſtit flaveſcentem, compactum, ponderoſum, lignoſum, valde tenacem, qui ſtyptica duntaxat, neutiquam vero cathartica, virtute præditus eſt, et a tinctoribus ſolum-

 mo-

modo, ad colorem nigrum pannis inducendum, adhibetur.

§. III.

Agaricus verus, pugni plerumque magnitudine, trunco et ramis *laricis*, pariter annoſioris, in qua terebinthina ſpuria fluere deſiit, adnaſcitur. Ex quo eluceſcit, fungum hunc, quoad aliquam partem, ex eadem gigni materia, quae antea in laricibus junioribus reſinoſam lachrymam lariceam, ſeu terebinthinam ſpuriam formabat, quamprimum in arboribus vetuſtioribus, ac ſeneſcentibus partis ſpirituoſae decrementum, et ſpiſſioris contra ſubſtantiae terreo-mucilagineae incrementum ſupervenire incipit. Optima ſpecies deglubitur e laricibus, quae uberrime in *Tartariae*, praeſertim *Siberiae*, ſylvis proveniunt. Non tam cito, quam fungi alii, debitam adquirit magnitudinem, ſed referente BERNHARDO VALENTINI (a), integrum annum ad maturitatem poſtulat. Decerpitur, quamprimum ſiccari, rimaſque agere incipit: Quo enim viſo, exteriori pellicula provide prius detracta, ab arbore reſcinditur, et deinde ſoli exponitur, duas treſve hebdomades, pro diverſitate temporum anni, ut candidum induat colorem. Poſtea malleis ligneis, aut fuſtibus percutitur, quo omnes deleantur inci-

(a) In Hiſt. ſimpl. reformata p. 232. §. 10.

ciſuræ. In ſicco loco reconditus, per annos complures incorruptus ſervari poteſt, et, ſi vermiculi in illo nati fuerint, ſcopulis ſetaceis denuo repurgandus eſt. Creſcit etiam in multis aliis regionibus, quarum ſylvæ larices alunt, in *Galatia* v. g., *Cilicia*, *Cappadocia*, *Delphinatu Galliæ*, *Sabaudia*, *montibus Tridentinis*, et *Walliſienſibus*, *Sylva Hercynia* &c. Rejiciendus eſt carioſus, fibroſus, lignoſus, durus, ac gryſei aut nigricantis coloris, ab arboribus jam jam emorientibus decerptus.

§. IV.

Principia activa ita per agaricum diſtributa ſunt, ut *reſinoſum*, quod in dimidia agarici uncia ad duarum ferme drachmarum pondus adſcendit, magis in parte exteriori corticali, *ſalino-mucilagineum* autem, tam *craſſius terreum*, quam *tenerius*, magis in interiori parte fungoſa hæreat. Exterior enim agarici pars corticalis ſuperfuſum vini ſpiritum ſaturato colore imbuit, magis fungoſa interior vero longe debiliorem tincturam menſtruo conciliat. Tinctura ſpirituoſo-reſinoſa concentrata tam adverſi odoris, et ſaporis eſt, ut unica guttula, linguæ inſtillata, apud ſubjecta ſenſibiliora vomitum concitet, ac diu nauſeam relinquat. Principium ſalino-mucilagineum, cujus quatuor circiter ſcrupuli in dimidia agarici uncia hærent, remiſſiori amaritie,

ritie, debili dulcedine, quæ ſeſe in principio manifeſtat, remixta, pollet, et aqueo ſuo menſtruo colorem duntaxat ſubluteo-albicantem inducit. Infuſum hoc, ob ſolutæ mucilaginis craſſitiem, non tranſit filtra ordinaria, ſed, colatura et expreſſione per linteum, a recrementis terreſtribus ſeparandum eſt. Extractum inde paratum colorem brunnum conſequitur, hinc inde tamen albidis maculis diſtinctum, et linguæ, uti antea pridem dictum, primo ſubdulcem, poſtea valde amarum, et ingratum ſaporem imprimit. Quando menſtruum aqueum addito ſale tartari acuatur, mucilago tenuior facilius ſeparatur, et poſt aliquot dies materiam admodum ſpiſſam ad fundum dimittit, ſupernatante portione liquidiori, pellucida, gelatinam æmulante. Decantata hæc poſterior, et lenta evaporatione ad ſolidiorem conſiſtentiam redacta, extractum præbet, ex teneriori ſubſtantia reſinoſa, et mucilaginea mixtum, quod longe melius, quam ſola pars reſinoſa, quæ ingentem nauſeam creat, ac facile vomitum, aut tormina ventris producit, et melius pariter, quam ſola pars mucilaginea, quæ alvum parum movet, purgare conſuevit. Binæ agarici unciæ plerumque unciam unam, et drachmam dimidiam hujus extracti largiuntur. Relicta pars ſpiſſior mucilagineo-terrea virtute penitus caret. Si loco aquæ alcaliſatæ acetum deſtillatum, aut vinum extractione

ad-

adhibetur, ſimile propemodum extractum, minori tamen, ſi acetum fuerit ſuperfuſum, quantitate, reſultat. (*a*)

§. V.

Valide hoc medicamentum humores pituitoſos ex inteſtinis, glandulis ac vaſis educere, et ſpecifice proinde in cephalæa, vertigine ſtomachali, adfectibus ſoporoſis, apoplexia pituitoſa, aſthmate humido, et ſtomachali, malo hyſterico, cachexia icteritia, arthritide inveterata &c. prodeſſe creditur. Pellit præterea urinam, et vermes necat. Optime præſcribitur in infuſo vinoſo, a drachma una ad duas, imo dimidiam ſubinde unciam, vel hujus loco *Agaricus trochiſcatus*, a drachma dimidia ad integram: Quod ſimplicem vero, crudum, ac ſibi relictum agaricum attinet, ille rariſſime in pulvere exhibetur, quoniam adſumtionis tempore magnam nauſeam creat, ac multa quoque ventris tormina provocat.

(*a*) Conf. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1714.

CAPVT X.

DE

ALOE.

§. I.

Aloe, Aloe, eſt concretum reſinoſo-gummeum, durum, fragile, ſapore præditum intenſe amaro, ac valde nauſeoſo, odore adverſo, colore, in integris nempe fruſtis conſideratum, nunc ex fuſco-rubicundo, nunc brunno prorſus, ſive hepatico, diffractum vero, et contritum, flavo.

§. II.

Vulgo in *Soccotrinam*, *Hepaticam* et *Caballinam* diſtinguitur. Soccotrina optima eſt, et ita, ut quodammodo lucis radios transmittat, purgata, *Aloe lucida* vocatur. Adfertur ex inſula *Socatera*, in mari Indico, Arabiæ felicis partem ambiente, ſita, (quam alii etiam *Zocotoram*, *Socatram*, *Zuccotram* et *Succotoram* vocant), vel in integris placentis, vel in fruſta majora diffracta. Præ reliquis ſpeciebus ſeſe puritate, et nitore commendat, rarioris præterea texturæ eſt, friabilis, levis, odoris minus nauſeoſi, ferme myrrhati, ſaporis valde amari, et coloris vel ſub-

ſubrubri, vel, in pulverem trita, ſublutei, ac fere aurei, inſtar croci. Placentæ, vel fruſta plerumque veſicis, pellibus, aut cucurbitis incluſa advehuntur. Aloe hepatica hepar animantium colore æmulatur, et potiſſimum ex *Americæ Inſulis* ad nos transmittitur. Hæc non tam pura et translucida eſt, quam præcedens, odore quoque gaudet ingratiori, ponderoſior exiſtit, et color ejus magis ad nigredinem vergit. Caballina denique fæcem quaſi ſiſtit, in vaſorum fundo collectam, quando ſuccus aloes, ſive ſit hepatica, ſive Soccotrina, inſpiſſatur; adeoque etiam quisquiliis variis, arena, lapillis &c. ſcatet, male olet, et linguæ valde ingratum ſaporem imprimit. Militat hæc inter pharmaca minus ſelecta, et ſaltem equis exhibetur, unde etiam Roß-Aloe dicitur.

§. III.

Planta, quæ hunc ſuccum inſpiſſatum largitur, eſt *Semper vivum marinum*, ad arboris altitudinem adſurgens, alias etiam *Sedum amarum*, *Semperviva Indica*, *Aloe* &c. dictum. Hodie principum, magnatum et botanicorum hortos ornat, adeoque planta tam nota eſt, ut uberiori deſcriptione vix indigeat, quanquam hic locorum, et in ceteris Europæ provinciis magis ſeptentrionalibus, ad eum maturitatis gradum, ob clima frigidius, neutiquam perveniat, ut vulnerata ſuccum deſi-

deratæ bonitatis fundat. In orientalibus vero, iisque calidioribus, regionibus ex foliis, et radicibus inciſis, ac ſauciatis ſuccus exprimitur, vel ſponte in vaſa ſuppoſita exſtillat, ubi deinde, vel calore ſolis, vel ſubdito igne artificiali moderato, in maſſas condenſatur: Monendum tamen, ſuccum, violenter expreſſum, viliorem atque impuriorem aloen ſuppeditare.

§. IV.

Principium gummoſum quantitate ſuperat *reſinoſum*. Una quippe uncia, primum aqua ſimplici, poſteaque, quoad reſiduam ſcilicet partem, ſpiritu vini rectificatiſſimo extracta, quinque ferme drachmas ſubſtantiæ gummoſæ, et tres circiter drachmas ſubſtantiæ reſinoſæ largitur. Caput mortuum terreum, quod in vitris ac filtro remanet, pauca duntaxat grana pendet. Non negandum cæteroquin erit, indicatam proportionem pro diverſitate aloes nonnihil variare: Aloe hepatica enim, referente BOVLDVCCIO (*a*), plus reſinoſi principii poſſidet, quam Soccotrina, quæ magis gummoſa eſt, et fortiorem nihilominus vim purgandi exſerit; quum illa ex adverſo, ob largiorem partis reſinoſæ miſcelam, humores vehementius exagitet, ebul-

(*a*) Vid. Hiſtoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1708. p. 65.

ebullitiones ſanguinis augeat, et magis providum proinde uſum, præſertim apud ſubjecta plethorica, poſtulet. Quando ſucco citri, aut aceto deſtillato extrahitur, extracta mitiora, ac longe ſecuriora evadunt, quoniam menſtruis hiſce ſoluta pars gummoſa ac reſinoſa tenerior nonnihil figitur, et magnopere contemperatur. Quibus accedit, quod ſubſtantia gummoſa, parte reſinoſa teneriori intime remixta, longe melius, quam ſola pars reſinoſa, aut ſola pars gummoſa, alvum moveat.

§. V.

Aloe non tantum catharſin provocat, ſed ventriculum pariter, ac viſcera roborat, vermes necat, putredini reſiſtit, viſcoſitatem atque inertiam bilis corrigit, ſanguinem, et humores reliquos commovet, purificat, eorundemque calorem auget, et menſes imprimis, hæmorrhoides, lochia, foetum, ac ſecundinas pellit. Caute igitur, ac rarius exhibenda eſt gravidis, plethoricis, macilentis, linioſis, hecticis, febre bilioſa, ardente, inflammatoria, aliaque continua laborantibus, aut cruoris ac bilis ebullitionibus, ſpasmis, atque hæmorrhagiis obnoxiis. Ubi vero morbi a ſolidorum flacciditate, et mucoſa humorum indole originem ducunt, multum perſæpe ferre conſuevit auxilii, veluti in cachexia, ictero chronico, fluore albo, obſtru-

ctione menſium, et hæmorrhoidum, a materia acido-pituitoſo-tartarea oriunda, nec minus in febre quartana, ophtalmia ſeroſa, et ſic porro. Interne vel ſub pillularum, vel eſſentiæ forma exhibetur, et quidem per ſe, a granis quinque ad grana quindecim: Rarius infuſa vinoſa ingreditur. Externe inter *collyria*, in ophtalmia humida adplicanda, recipitur, *clyſmatibus* abſtergentibus, laxantibus, anthelminticis additur, immo, nonnunquam vulneribus putridis inſpergitur, vel frequentius ſub forma liquida adplicatur, et præ reliquis ad condienda cadavera adhibetur.

CAPVT XI.

DE SCAMMONIO.

§. I.

SCAMMONIVM eſt concretum gummeo-reſinoſum, ſiccum, friabile, fractu facile, ſplendens, pellucidum, coloris flaveſcentis, vel etiam, ſi nempe exiſtat impurius, e cinereo-nigricantis, ſaporis acris, mordentis, nauſeoſi, odoris valde ingrati. Eligendum eſt purum, nitidum, pellucidum, flaveſcens, lin-

linguam moderate adurens, et, ſaliva nonnihil humectatum, lacteſcens.

§. II.

Reſpectu patriæ vel *orientale* eſt, vel *Europæum:* Illud ex *Ægypto*, *Syria*, et *Armenia* ad Europæos transfertur; hoc autem, quod priori longe ignobilius eſt, ex *Gallia*, et *Hiſpania* adportatur, et *Monſpelienſe*, *Valentinum* &c. dicitur. Optimum cenſetur *Antiochenum*, quod *Aleppum* Syriæ metropolis mittit, quoniam purius eſt, quam quod *Smyrna* adfertur. Hoc enim aſperius deprehenditur, ponderoſius, nigricantius, fractu difficilius, impurum, et minoris quidem, aſt deterioris, activitatis catharticæ. Planta, cujus radix, et folia ſuccum hunc inſpiſſatum largiuntur, in Gallia, uti pridem dictum, Hiſpania, maxime autem in Syria circa urbes Aleppum et Antiochiam creſcit, et *Smilacis* ſeu *Convolvuli* ſpecies eſt, quam Botanici *Convolvulum Syriacum*, *Scammoneam Syriacam* vocant. In ſolo pingui hæc planta progerminat, et, plerumque ad trium ulnarum altitudinem excreſcens, ramuſculis ſuis vel hinc inde repit, vel arbores vicinas, ac frutices ſcandit. Folia fert lata, triangularia, figuram cordis fere referentia, lævia, pulchre viridia, petiolis brevibus inſidentia. Flores prodeunt campaniformes, coloris grate purpurei, aut albicantis, quibus fructus ſuccedunt

dunt ſubrotundi membranacei, ſemina nigra angularia includentes. Radix longa eſt, foris gryſeo-brunnea, intus alba, fibroſa, et ſucco lacteo, æque ac reliquæ plantæ partes, turgida. Ex hac et foliis ſauciatis ſuccus lacteus exſtillat, qui poſtea blando ſolis calore coagulatur. Nonnunquam etiam violentius exprimitur, unde impurum ſcammonium reſultat. Non raro pariter ſuccis aliarum plantarum lacteſcentium miſcetur, quod mangonium frequens pravorum ſcammonii effectuum cauſa exiſtit.

§. III.

Concretum hoc plus *reſinoſi*, quam *gummoſi principii* continet. Prius in uncia una, purioris tamen, electi, ac flaveſcentis ſcammonii, circiter ad unciæ dimidiæ, poſterius ad trium drachmarum pondus adſcendit. Sola ſubſtantia gummoſa alvum blande movet, ſola reſinoſa autem violentius operatur, ac multa ventris tormina provocat, et gummoſa denique, particulis reſinoſis tenerioribus remixta, effectum edit optimum, dum ſufficienter non minus, quam tuto purgat. Obtinetur hæc ipſa, quando ſcammonium electum cum aqua ſimplici in mortario lapideo aliquamdiu teritur, vel etiam aceto deſtillato, aut ſucco cydoniorum extrahitur. In caſu priori aqua lactea redditur; manifeſto documento, cum gummoſis partibus, quas aqua per-

perfecte ſolvit, ſimul reſinoſas quasdam ſecedere, quæ poſtea ſub aquæ lacteæ evaporatione, et inſpiſſatione reliquis intimius miſcentur.

§. IV.

Militat ſcammonium inter ſic dicta *phlegmagoga*, multisque purgantibus aliis, per ſe nimis torpidis, ſtimuli et adjuvantis loco, additur; hinc a WALÆO quoque *anima purgantium* vocatur. Purum, genuinum, ac debite præparatum, ſatis bonum purgans cenſendum eſt. Depuratum, quod vulgo *Diagrydium*, διακρύδιον dicitur, in bolo, ac pillulis, vel cum amygdalis dulcibus in pulticulam tritura redactum, exhibetur. Reſinæ doſis apud adultos, a granis tribus ad quatuor, adſcendit: Extracta autem, cum aqua, aut aceto deſtillato, aliisque acidulis parata, ad ſcrupulum unum, immo duos, ſecure propinari poſſe, BOVLDVCCIVS (*a*) adfirmat; quæ doſis mihi tamen juſto major, atque periculoſa videtur, et decem igitur vel quindecim grana omnino ſufficere arbitror. Præfert etiam auctor laudatus ſequentem ſcammonii præparationem ſingulis reliquis, hactenus allegatis: Rec. Rad. glyzyrrhizæ ſiccæ uncias octo, coque in ſ. q. aquæ ſimplicis, do-

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1702.

donec radix probe extracta ſit. Cum hoc decocto refrigerato, et ſpontanea ſubſidentia depurato, quatuor ſcammonii uncias in mortario tere, ut liquor probe lacteſcat: Continua hunc laborem, donec nulla amplius ſolutio obſervetur, poſteaque liquorem lacteum blando igne ad decentem ſpiſſitudinem redige; ſic circiter uncias tres et drachmas ſex extracti ſolidi obtinebis, et reſiduum ſcammonium unciam unam cum dimidia pendebit: Unde conſtat, extractum hoc ad minimum uncias duas ſubſtantiæ reſinoſo-gummeæ ſcammonii, et quatuordecim ferme drachmas extracti glyzyrrhizæ continere. Exhibetur a ſcrupulo uno ad drachmam ſemiſſem, immo ſcrupulos duos.

§. V.

Scammonio, reſpectu originis, naturæ, ac virium, non adeo diſſimile eſt GVMMI GVTTA, alias quoque *Gummi Gotta*, *Gutta Jamba*, *Gutta Gamandra*, *Gummi de Goa* et ſic porro adpellatum, præterquam, quod potentiori adhuc virtute draſtica polleat, ac tuto igitur interne exhiberi nequeat, niſi ſingularis correctio accedat. Succus eſt reſinoſo gummeus inſpiſſatus, coloris flavi, aut ex flavorubelli, ſaporis primo ſaltem reſinoſi, poſtea autem valde acris ac cauſtici. Non profluit ex ſauciata quadam *arbore pomifera Chinenſi*, Indis *Coddampulli* dicta, ut HERMAN-

NVS

NVS (*a*) refert, ſed potius ex inciſa certa *Tithymali craſſi* et *ſcandentis* ſpecie, in *India orientali*, maxime autem *Cambodia*, paſſim obvia, exſtillat, et poſtea evaporando inſpiſſatur. Plerumque in magnis fruſtis et integris placentis ad nos defertur; unde proventum ejus non adeo parcum eſſe ſatis conſtat.

§. VI.

Ex partibus *gummoſis* ac *reſinoſis*, quibus pauca *recrementa terreſtria*, in integra libra raro unciam unam pondere ſuperantia, interjecta hærent, componitur. Principia hæc activa adeo invicem mixta reperiuntur, ut prorſus divelli, et pondus proinde exacte determinari nequeat; gummoſæ tamen, quod ſolutio in aqua et ſpiritu vini, aliaque experimenta teſtantur, majori, quam reſinoſæ, quantitate adſunt. Virtus draſtica reſinoſæ imprimis ſubſtantiæ ingenita latet: Infuſum ſpirituoſum enim, uti alibi pridem indicavi, nec minus extractum inde paratum, violentam operationem exercet, et, præter catharſin vehementem et emeſin, fortiſſima ventris tormina, et periculoſas quandoque ventriculi atque inteſtinorum inflammationes et eroſiones producit; infuſum aquoſum vero, leniſſima digeſtione tepida factum, ut et extractum, inde poſt evaporationem reſultans, vires paullo remiſſiores exſerunt, præſertim, ſi men-

(*a*) In Cynoſ. Mat. Med. p. m. 283.

menſtruo aquoſo ſalis cujusdam alcalici fixi pauxillum additum fuerit, aut acrior ſubſtantia reſinoſa, præviæ extractionis ope cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, ablata fuerit. Quando per ſe ex retorta igne ſicco deſtillatur, primo *ſpiritus acidus*, deinde parum *ſpiritus urinoſi*, ſub violenta deſtillatione demum geniti, tandemque *oleum empyrevmaticum* prodeunt, et ex reſiduo terreſtri, in retorta relicto, exigua *ſalis fixi alcalici* portio aqua elixiviari poteſt, quod æque tamen, ac ſpiritus urinoſus, ignis violenti progenies eſt.

§. VII.

Refertur vulgo ad fortiora *phlegmagoga* et *melanagoga*, valideque, nec ſine detrimento creberrimo, per ſuperiora et inferiora operatur; Specificum creditur in hydrope, arthritide, podagra, febre quartana, melancholia, aſthmate pituitoſo, ſcabie rebelli &c., ſi bolis, electuariis, pillulis, pulveribus, &c. mixtum, a granis quinque ad ſcrupulum dimidium exhibetur: Attamen, pro mea ſententia, ab uſu ejus plane abſtinere, et tutiora ac mitiora ægris porrigere, præſtat.

CAPVT

CAPVT XII.

DE COLOCYNTHIDE.

§. I.

COLOCYNTHIS, alias quoque *Cucurbita agreſtis*, *Cucurbita cathartica*, *Anguria ſylveſtris* &c., graece Κολοκυνθὶς, h. e., cucurbitula, arabice *Handal*, itemque, cum articulo, *Alhandal*, germ. Coloqvinten, dicta, modo integram plantam denotat, modo ſolos ejusdem fructus pomiformes aut pyriformes. Planta, cujus multæ dantur ſpecies, in Ægypto, India, Perſia, Armenia, Syria, plurimisque regionibus orientalibus reliquis ſponte progerminat, et caules, longos, aſperos, villoſos, repentes, quibus folia, ampla, villoſa, aſpera, profunde inciſa, albeſcentia, adnaſcuntur, protrudit. Flores fert monopetalos, pallide flavos, quibus tandem fructus rotundi, ordinario pomum aurantium magnitudine æquantes, ſuccedunt.

§. II.

Poma colocynthiaca, quæ ſola ad uſum medicum expetuntur, primo viridia ſunt, deinde autem, ad maturitatem ſcilicet per-

ducta, colorem citrinum, et ſaporem, acrem, nauſeoſum, atque intenſe amarum adquirunt. Candida ſubſtantia interior pulpoſa in tria loculamenta, in quibus ſemina compreſſa, oblonga, albida, cucumerum vulgarium ſeminibus ſimilia, latent, diviſa reperitur, et valde tenax, coriacea, fungoſa ac levis exiſtit, adeo, ut ex quatuor pomis collecta, annotante B. SCHVLZIO (*a*) vix drachmam unam, ſi a ſeminibus nempe perfecte liberata fuerit, pendeat. Incolæ regionum memoratarum poma hæc, quamprimum ad maturitatem accedere, pallidioremque induere incipiunt colorem, decerpunt, et, cortice detracto, exſiccant. Pulpa ſeminum paullo remiſſiori amaritie, quam pulpa pomi, gaudet; et mitiorem quoque operationem exercet.

§. III.

Exſiccata ſubſtantia pomi pulpoſa ex partibus *terreis*, *reſinoſis* et *gummoſis*, ſive *mucilagineis* conſtat. Subſtantia gummoſa quantitate reſinoſam ſuperat, et in uncia dimidia ad duas ferme drachmas adſcendit, reſinoſa ex adverſo binos duntaxat ſcrupulos pondere æquat. Virtus purgans in parte utraque latet, reſinoſa tamen gummoſa paullo potentior deprehenditur, et majora ventris tormina provocat. Nonnulli explicitum quoque prin-

(*a*) Vid. Ejusd. Diſſ. de Colocynthide §. 4.

principium acre ſalinum in pulpa laudata quærunt, quod autem, cum chemicis experimentis demonſtrari nequeat, inter partes activas referre juſte dubito. Nam aqua ſimplex, à pulpa, ſatis diu macerata, in cucurbita deſtillando abſtracta, inſipida prorſus et inodora eſt, nullumque in ea acredinis veſtigium reperitur: Sin eadem vero, pulpa nempe, igne ſicco, e retorta deſtillatur, et naturalis, tam reſinoſæ, quam gummoſæ, ſubſtantiæ mixtio deſtruitur, non tantum liquor aquoſo-acidus, et paucum oleum, ſed parum quoque liquoris urinoſi, ſub vehementiori ignis actione demum geniti, prodeunt, et e capite mortuo pauxillum ſalis fixi aqua extrahi poteſt.

§. IV.

Inter potentiſſima phlegmagoga, in refractariis morbis pituitoſis nonnunquam proficua (*a*), colocynthidis pulpa militat, tanta

 ta-

(*a*) „Cerebri, MESVE *de ſimpl. cap. 4. inquit,* nervo„rum, muſculorum, juncturarum, pulmonis, tho„racis, morbis mire ſubvenit: Cephalalgiæ anti„quæ, dolori cranii totius, hemicraniæ contuma„ci, epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, aquoſæ flu„xioni in oculum, podagræ frigidæ, iſchiadi ma„xime, ac reliquis nervorum, juncturarum affe„ctibus, aſthmati item ac tuſſi antiquæ, dyſpnoeæ, „ex thoracis repleti anguſtia: ac præterea ſum„me omnium prodeſt colico dolori, tam ex pi„tuita,

tamen violentia, ſi ſola nempe, ac ſibi relicta in infuſo aquoſo aut vinoſo exhibetur, per ſuperiora et inferiora operatur, ut, præter maxima ventris tormina, haud raro periculoſa hypercatharſis et inteſtinorum eroſio, quin ipſa exulceratio ſuperveniat. Merito igitur e purgantium numero plane eliminanda foret, niſi quorundam compoſitorum, adhuc uſualium, ingrediens conſtitueret. Multi quidem draſticam ejus indolem fermentatione temporaria cum muſto (α), vel gummi, reſinarum,

„tuita, quam flatibus, et hydropi. Haud parum „quoque huic medicamento adhuc favere videtur „B. SCHVLZIVS, quando *l. c. p. 32.* ſcribit: Co„locynthis eſt medicamentum purgans magna„rum virium, et quod præclare juvare poteſt, ſi „recte adhibeatur, minus vero tempeſtive, aut „doſi non juſta, nec bene præparatum, aut debite „conjunctum magnas afferre noxas homini valet. „Non debet dari colocynthis cruda, ſed bene „comminuta, et mucilaginibus additis munita: „optima correctio eſt, quæ partem ejus κινητικὴν, „motivam, adjuvat, ne diu in corpore moras tra„hendo, et inteſtinorum plicis inhærendo, moleſtias „faciat. Non eſt danda pueris aut infirmis, nec in „leviori morbo, multo minus pro ſimplici ecco„protico: ſed in gravibus morbis, ubi vitium „profundius inhæret partibus remotis, et quaſi „vecte revellendum eſt. Tenerioribus, itemque „hypochondriacis, quorum genus nervoſum ad „ſpasmodicas ſtricturas habitualiter diſpoſitum eſt, „minime convenit.

(α) Poſt fermentationem e liquore in balneo vaporoſo ſpiritum penetrantem, valde amarum, et blanda

rum, aromatum, balſamicorum, oleoſorum, alcalium, immo acidorum, additione, mitigare atque corrigere docent: Veruntamen fine ſuo, qui faciunt, nunquam perfecte potiuntur, ſed iners inde, vel, quod fieri ſolet frequentius, æque draſticum, ac antea, medicamentum reſultat. Trochiſci cæteroquin, ex pulpa hac cum tragacantha, aut gummi Arabico parati, necminus extractum aquoſum, diuturniori coctione nonnihil debilitatum, ſecurioris, quam præparata reliqua, uſus interni eſſe creduntur. Priores a granis quinque ad octo, poſterius, a granis quatuor ad ſcrupulum dimidium, ab iis, qui draſtica amant, apud adultos præſcribitur. Externe ſubinde clyſteribus ipſa pulpa, ſindoni tamen incluſa, ſtimulandi fine, additur; aſt hic quoque non ſemper tuta reperitur, ſed excretionem cruentam, aliaque prava pathemata quandoque excitat.

da virtute cathartica præditum, deſtillando ſeparari poſſe, BOVLDVCCIVS in *Actis Societ. Pariſinæ ann.* 1701. retulit; aſt contrarium, intuitu maxime amaritiei, WEDELIVS in *Exercit. medico-philol.*, XVIII. et NEVMANNVS in *Prælect. chymico-pharmacevt.* p. 797., ad experientiam propriam pariter provocantes, docuerunt.

SECTIO XI.

DE

VAPOROSIS INEBRIANTIBVS ET NARCOTICIS.

CAPVT I.

DE

NATVRA ET PRINCIPIIS NARCOTICORVM.

§. I.

VAPOROSA, quæ, ob præcipuos effectus ſuos, etiam *Inebriantia*, *Soporifera*, *Narcotica*, *Anodyna*, *Sedativa*, et *Stupefactiva* vocantur, merito in *Viroſa*, quibus opium v. g., hyoſcyamus &c. accenſeri merentur, *Balſamica*, quo crocus, flores ſambuci recentes &c. pertinent, et *Aqueo-ſpirituoſa inflammabilia*, cujus cenſus ſpiritus vini &c. dividenda ſunt. Viroſa et balſamica, de quibus hoc loco præcipue agendum eſt, exhalatione perenni, accedente inprimis calore, effluvia ſubtiliſſima, mobiliſſima, expanſiva, ela-

elaſtica, ac ſumme activa, odoris, in prioribus ingrati viroſi, in poſterioribus balſamici, emittunt, quibus eminens, et ſingularis omnino eorum virtus narcotica aut inebrians adſcribenda venit.

§. II.

Mobiliſſimum hoc principium ſubſtantiæ fixiori, unde ſenſim evolvitur, plus minusve immerſum hæret. *Subſtantia hæc* in aliis, v. g. opio, herba Nicotiana &c., *reſinoſo-gummeæ*, in aliis, v. g. ſemine papaveris, nucibus juglandium (α) &c. *reſinoſo-gummeo-oleoſæ*, et in aliis denique, v. g. croco, tam *ſingularis naturæ* eſt, ut neque reſinoſis, neque oleoſis corporibus ſtricte accenſeri poſſit, ſed de ſingulorum indole participare videatur. Tota pariter ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur, et ſolutio utraque, ſeorſim in cucurbita deſtillationis ope ad conſiſtentiam ſpiſſiusculam redacta, oleum pingue balſamicum, cum aqua, oleo, ſpiritu vini miſcibile, habitu externo refert.

(α) Oleum, a recentibus juglandium nucibus, poſt præviam contuſionem, et blandam in aheno coctionem ſeu potius toſtionem, torcularis beneficio expreſſum, non grata tantum dulcedine ſua ſeſe commendat, ſed ebrietatem quoque, ſi largius hauriatur, inducit. Conf. KEYSSLERS Neueſte Reiſe durch Teutſchland, Böhmen, Ungarn ꝛc. P. I. p. 166.

§. III.

De vera atque ſpecifica *principii vaporoſi, inebriantis, exhilarantis, narcotici*, natura multæ præteritis ſeculis, eæque valde diſcrepantes, medicorum opiniones innotuerunt. Alii enim iſtud *ſulphur volatile*, aut *oleum completum*, alii *ſal volatile urinoſum*, aut *aliam ſubſtantiam incognitæ prorſus naturæ halituoſam* eſſe, opinati ſunt, idemque proinde modo *ſulphur vaporoſum, narcoticum, ſtupefactivum, coagulans, anodynum, mitigativum, reſolubile, immaturum, foetidum* &c., modo *oleum narcoticum*, modo *mercurium*, *Gas ſylveſtre*, et ſic porro vocarunt. Verum enim vero, a veritatis tramite longe, me ſentiente, recedunt, qui illud mercurium nominant, aut ſal volatile alcalicum, ſive urinoſum æſtimant, quum ſal hujusmodi, niſi prius igne ſicco, aut putrefactione producatur, in ſubjectis hiſce nunquam demonſtrari poſſit, et mercurius merum hoc loco ens imaginarium exiſtat, nullibi, niſi in cerebro fautorum, reperibile. Reliqui, qui iſtud oleum judicant, aut ſulphur volatile, propius quidem ad veritatem accedunt, nullo tamen experimento unquam probare poterunt, quod ſulphur, aut oleum completum exiſtat.

§. IV.

Pro mea igitur ſententia nihil aliud eſt, ſeor-

ſeorſim ſcilicet conſideratum, ac liberum prorſus ab aliarum exhalationum conſortio, niſi *ſubſtantia halituoſa*, vel *mere phlogiſta* ſive inflammabilis, vel *oleoſo-phlogiſta*, quæ tanta ſubtilitate, tantaque mobilitate, ac vi expanſiva pollet, ut vix, aut ne vix, poſt plenariam e fixiori ſua matrice ſeparationem, coerceri, multo minus in viſibile, atque tangibile aggregatum cogi poſſit, ac condenſari. Abſolute cæteroquin adfirmare non audeo, halitum laudatum, e fixiori matrice prodeuntem, ſemper ex meris corpuſculis, naturæ inflammabilis, puriſſimis conſtare, ſed facile largior defendentibus, alterius quoque generis moleculas, aqueæ ſcilicet, et ſalinæ, præſertim acidulæ, indolis, partibus inflammabilibus ſociari, earundemque turmis ſeſe copioſisſime nonnunquam immiſcere: Inde nihilominus minime ſequitur, adventitias haſce ſimul verum principium vaporoſum, κατ᾽ ἐξοχὴν inebrians, et narcoticum dicendum, conſtituere, ſed illud unice inflammabilis proſapiæ eſt.

§. V.

Adſertum meum varia argumenta, a ratione non minus, quam experientia deſumta, ſufficienter confirmant. Halitus v. g. puri narcotici, h. e., nullo vapore ſalino adventitio remixti, acredine prorſus deſtituuntur, et inſenſibili inhalatione tubulos nervo-

rum exiliſſimos ingrediuntur, eosdemque veloci tranſitu pervadunt, quod ab effluviis ſalinis urinoſis, aut completis oleoſis minime exſpectandum eſt, ſed priores, ſub introitu ſuo per nares, acredinis, poſteriores leniſſimi ardoris ſenſum imprimunt. Quando ſulphuris quoque hepar, ex partibus duabus ſalis tartari, et parte una ſulphuris vulgaris paratum, in pulverem redigitur, et, tenuiter in lato tigillo expanſum, moderatiſſimo prunarum igne ſubdito, calcinationi leniſſimæ committitur, viſibiles vapores, (ſi ſulphuris incenſio præcaveatur, et materia ligneo bacillo conſtanter agitetur,) adſurgunt, ex flavo-virideſcentes, ſicciſſimi, inflammabiles, ab acido vitriolico, antea ligante, ſalis tartari ope liberati, qui, naribus atque pulmonibus excepti, nullum plane acredinis ſenſum excitant, ſed inſenſibiliter in nervos penetrant, et aliquam temulentiam producunt. Quando pulverulenta autem materia incenditur, protinus fumi craſſiores acido-ſulphurei prodeunt, qui vellicando violentam in pulmonibus conſtrictionem, cum tuſſi ac reſpiratione difficili, excitant.

§. VI.

Laudato vapori merito etiam analoga cenſenda eſt ſulphurea illa exhalatio, quæ in *Spelunca* Italiæ *Canina*, vulgo *Grotta del Cane* dicta, faces accenſas extinguit, et canes injectos,

alia-

aliaque animantia, ibidem aliquamdiu detenta, ſuffocat, et in lethales adfectus ſoporoſos, et apoplecticos præcipitat (*a*). Cum illo pariter halitus *carbonum*, et *pyritarum pinguium*, ſub terra poſt humectationem valde incaleſcentium, plus minusve convenit. Ille enim, ſi carbones, præſertim duriores, Schmiede-Kohlen, in conclavi clauſo et anguſtó accendantur, plerumque tragicos producit effectus, et, graviſſimo inducto ſopore, homines, uti obſervationes confirmant numeroſisſimæ, vita privat; hic autem alibi aquas ſubterraneas impraegnat, iisdemque excellentes vires medicas, mobiliſſimis tamen moleculis acidis adhuc ſociatus, conciliat, alibi, circa thermarum v. g. et acidularum ſcaturiginem porumpens, atque naribus et pulmonibus copioſe exceptus, temulentiam inducit,

et

(*a*) Spelunca hæc, quæ in regno *Neapolitano* reperitur, valde anguſta eſt: Nam longitudo ejus circiter duodecim, latitudo quinque, et altitudo ſex pedes æquat. Ob anguſtiam hanc halitus ſubtiliſſimus ac mobiliſſimus ſulphureus, conſtanter e terra adſurgens, aerem, licet oſtium ſemper apertum ſit, adeo expandit, adeoque tenuem ac rarum reddit, ut animantium reſpirationi amplius inſervire nequeat, ſed intra breve potius tempus motum pulmonum ſufflaminet; uti plura de hiſce apud vix allegatum KEYSSLERVM *Lib. cit. P. II. p. 343. ſeqv.* videri poſſunt.

et ipſam quandoque ſuffocationem infert (*a*), alibi, in fodinis ſcilicet metallicis, lampades extinguit, metalli foſſores repentina ſuffocatione necat, et fabulæ vulgari de *virunculo* ſeu *ſpiritu ſubterraneo*, quem noſtrates den Berggeiſt vocant, anſam præbet. Non negandum quidem eſt, halitum illum, quem metallicolæ den Berg-Schwaden, das böſe Wetter adpellare conſueverunt, arſenicalibus quoque, aliisque effluviis mineralium nocivis, remixtum eſſe; aſt maximam tamen partem, uti ego quidem arbitror, ex moleculis mobiliſſimis, inflammabilis proſapiæ, conſtat.

§. VII.

Multum denique lucis circa cognoſcendam vaporoſi principii naturam *Alcohol* ſeu ſpiritus vini puriſſimus, ac dephlegmatiſſimus foeneratur. Simpliciſſimum hoc liquidum, uti alibi (*b*) fuſius demonſtravi, ex ſolis particulis aqueis, et tenerrimis inflammabilibus, arcte unitis, conſtat, ac motu fermentativo e corporibus, terreo-acido-unguinoſa ſubſtantia præditis, generatur. Portio tenerrima, ſumme expanſiva, ac violentiſſima, ſub muſti, cereviſiæ, mulſi &c. fermentatione, exhalando prodit, non pura tamen, ſed aqueis et

(*a*) Conf. D. D. Seippi Beſchreibung der Pyrmontiſchen Stahl-Brunnen cap. 3. et 4.

(*b*) In Diſſ. de Noxa et utilitate ebrietatis, it. in Pharmacologia p. 103. ſeqv.

et acidulo-ſalinis particulis copioſe remixta; quare valde etiam noxia exiſtit, et, largius collecta, et incarcerata, in animantibus venenatos effectus perſæpe edit. Noto enim notius eſt, homines in cellis ſubterraneis, in quibus multa dolia, muſto aut cereviſia fermentante repleta, collocata ſunt, apoplexia, aut catarrho ſuffocativo extingui, quando paullo diutius ibi commorari coguntur, et oſtia cum ſpiraculis obturata, ac clauſa ſunt. Vehementi confeſtim cephalalgia, vertigine, reſpiratione difficili, et capitis obnubilatione corripiuntur, ac paullo poſt, niſi cito exitum quærant, in memoratos lethales adfectus incidunt. Ratio exinde clare intelligitur, cur vina recentia, cereviſia valde fæculenta, et in motu fermentativo adhuc conſtituta, ut et fructus horæi ſucculenti, largius ingeſti, præter flatulentias, etiam temulentiam, atque dolorem capitis vertiginoſum, ſomnum turbulentum, et ebullitionem ſanguinis, quibus tandem notabilis corporis debilitas ſuccedit, apud ſubjecta ſenſibiliora provocent.

§. VIII.

Quemadmodum hactenus recenſita phlogiſtam halitus inebriantis, et narcotici indolem ſatis probant, ſic multæ pariter obſervationes de inſigni ejus *mobilitate*, *ſubtilitate*, et *vi expanſiva elaſtica* plana teſtimonia adferunt.

Li-

Lilia v. g., fabæ, papaver, et arbores ſambuci, effluvia ſoporifera, quando florent, longe lateque per aerem ſpargunt: Folia juglandium, ſi homo paullo diutius ſub umbra earum acquieſcat, ſomnolentiam, cum temulento atque vertiginoſo capitis dolore, exhalationibus ſuis producunt. Idem effluvia arboris taxi efficere, immo lethalem nonnunquam ſoporem inferre dicuntur, ſi quis ſub tegmine ejus dormiat. Croci halitus ſomnum inducit; hinc ſacculus, cui pauxillum croci inditum eſt, perſæpe a mulierculis capiti infantum, vigiliis laborantium, ſupponitur. Circumſpectione tamen hic opus eſt: Nam, ſi major croci quantitas adſit, et homo odore hoc juſto diutius fruatur, ſoporem lethalem quandoque ſupervenire, obſervationes confirmant. Odor liliorum alborum, diu naribus exceptus, vertiginem, dolorem capitis, ac temulentiam inducit. De eminenti quoque vi expanſiva nullo modo dubitandum eſt: Haud quemquam enim latere poterit, ſpiritum fermentantem muſti, vini, cereviſiæ perſæpe firma dolia violenter diſrumpere, ſi nimium repleta ſint, aut calor, ac motus fortior ab extra accedant. Chymicis quoque notum eſt, opium crudum ſub coctione cum aqua conſtanter, donec mitigatum ac depuratum ſit, materiam ſpumidam ad ſuperficiem extrudere, maxime virulentam, et decoctum facile, repente, atque impetuoſe, licet

cet vix dimidia ollæ pars repleta ſit, ollæ oras tranſcendere, ac leni quoque igne, et intra breve tempus, in ebullitionis motum redigi; manifeſto indicio, iſtud particulis mobilisſimis, et elaſticis valde turgidum eſſe.

§. IX.

Salina acida ſumme expanſivæ ac mobilisſimæ hujus materiæ corrigentia optima ſunt, eamque figunt, immo ad craſſiorem olei, aut ſulphuris mixtionem, ac conſiſtentiam ſubinde deducunt. Noto quippe notius eſt, temulentiam et ſoporem, ab opio et liquoribus vinoſis inducta, per liquida acida, v. g. acetum, ſuccum citri, limoniorum &c., rurſus discuti, et opiata, atque crocata, acidulis menſtruis extracta, aut ſpiritibus acidulis nitri, ac ſalis dulcificatis &c. addita, longe mitiores effectus edere. Nam acida quævis, uti alibi dudum retuli, corpora inflammabilia, expanſa, reſoluta nimis, rarefacta, optime atque citiſſime coercent, figunt, et cum iis in mutuos ruunt amplexus, ita ut ex unione hac, vera, quod dictum, ſulphura aut olea reſultent. Oleum vitrioli v. g., obſervante B. FRID. HOFFMANNO (*a*), opio crudo, in fruſtula diſſecto, ſuperfuſum, ea quantitate, ut ambo ad minimum ſex uncias expleant, ſub deſtillatione ex retorta vitrea, liquorem trans-

(*a*) In Obſ. phyſico-chym. p. 156.

transmittit foetidiſſimum, pellucidum, ſaporis acidi ingrati, circiter ad uncias duas. In retorta caput mortuum remanet nigrum, leve ac ſpongioſum, quod, flammæ admotum, ſulphuris vulgaris odorem ſpirat. Nulla interim, quod notatu utique dignum eſt, acrimonia corroſiva vitrioli, neque odor vaporoſus, viroſus, graveolens, opii in liquore, et capite mortuo amplius ſentiuntur.

§. X.

Ex memoratis clare pateſcere opinor, quod ſalia alcalia, tam fixa, quam volatilia, nec minus ſuccus hyoſcyami, myrrha, caſtoreum, piper, Zedoaria, crocus, caryophylli, cinnamonum, et alia aromata, opiatis, ceu narcoticorum præcipuis, addita, vim eorum narcoticam, quod multi tamen crediderunt, nullo prorſus modo infringant, ſed vim expanſivam, ac commoventem potius intendant (α). Parum quoque utilitatis toſtio habet,

(α) „Hinc conſtat, ALEXANDER THOMSON *in Diſſ.* „*de Opio p. 121. ſcribit*, quam inepta encheireſi, „Opium corrigant medici antiqui aromatis cali„dioribus, hodie vero caſtoreo et croco. Enim„vero contra omnem ſenſum, imaginati, Opium „veneni quidpiam continere frigidiſſimi, idem „calidioribus admixtis debellare aggreſſi ſunt. „Verum conſtat, Opium medicamentum eſſe „omnium calidiſſimum; (Idiomate loquor Medi„cis proprio) viribus igitur, nimis calidis quo„dammodo augetur, nedum fit mitius. &c.

bet, quoniam ea mediante principia activa nimium expelluntur, nec vera proinde opii correctio, ſed mera caſtratio, ſuſcipitur. Optima præparata, me ſentiente, erunt extracta, cum aqua ſimplici, aut menſtruis aqueo-ſpirituoſo-acidulis vegetabilis proſapiæ, v. g. ſucco citri, limoniorum, cydoniorum depurato, aceto &c., vel minerali etiam nitri ac ſalis ſpiritu dulcificato, blandæ digeſtionis beneficio, parata, ac ſpumida materia ſupernatante, quantum fieri poteſt, liberata. In hac poſtrema enim, uti in antecedentibus pridem monui, *Gas Helmontii ſylveſtre* copioſius latet, eademque virulentisſimæ indolis eſt. Fermentatio denique cum aqua ſimplici, aut ſucco cydoniorum, blanda tamen ac lenta, non penitus ſpernenda eſt, dum leniori, atque protracto motu fermentativo notabilis principii impetuoſioris portio extruditur.

CAPVT II.

DE

MODO OPERANDI ET VIRTVTIBVS VAPOROSORVM.

§. I.

Medicamenta vaporoſa, quorum naturam, et principia hactenus generalius explicavi, quoad portionem ſuam volatilem, in ventriculo non adeo diu commorantur, ſed principium laudatum, interjecto brevi tempore, a parte fixiori ſeparatur, et, ſub halitus tenuiſſimi forma, vaſcula bibula, ſeu inhalantia venoſa, maximo numero in ventriculi, et inteſtinorum cavitatem hiantia, ſubit, motu veloci, corporis calore valdopere aucto, majores minoresve canales permeat, ſanguinem mirifice commovet, et expandit, adeoque in principio motuum plerorumque augmentum procurat.

§. II.

Dictorum veritas e ſingulari *hilaritate*, quam opium, ceteraque hujus commatis, modice uſurpantibus in principio conciliant, maxime eluceſcit: Gentes pene omnes in India, Japonia, Turcia, Perſia, ac reliquis re-

regionibus orientalibus, opio depurato, et variis inde præparatis, nec minus inebriantibus, et narcoticis aliis frequentiſſime in conviis, et extra illa, ad hilaritatem ſibi conciliandam, moeroremque diſcutiendum, utuntur, et adeo eorum adſumtioni adſueſcunt, ut prorſus iisdem carere nequeant, æque ac helluones vini, cereviſiæ, ac vini aduſti, aut ii, qui toto die tabaci fumum hauriunt. Turcæ ſuum *Maslach* amant, quod ex opio, ſeminibus lolii, cannabis ac daturæ, nec non radice mandragoræ ac filicis, in pulverem, aut, melle addito, in electuarium redactis, conſtare dicitur. Indi divites opium purius, et excellentius, *Affion* dictum, pauperes ſaltem *Meconium*, ſeu opium impurius, vilius, deterius, *Pouſt* nuncupatum, deglutiunt: Hinc divites etiam proverbialiter *Affionii*, pauperes *Pouſti* vocantur (*a*). Omnes præterea toto die uſitatiſſimo maſticatorio delectantur, ex foliis *Betel*, in trochi formam poſt enervationem convolutis, calcisque pauxillo obductis, et fruſtulo nucis *Arecæ* diſſectæ, compoſito. Pertinet hoc non ſolum ad exhilarantia, ac leviter inebriantia, ſed copioſam inſuper ſalivam ſub maſticatione, ac volutatione in ore elicit, gingivis robur, labiis colorem purpureum, et gratiſſimum ori halitum conciliat. (*α*)

(*a*) Vid. LINDESTOLPE in *Tract. de Venenis* p. 588

(*α*) Plura alia inebriantia, exhilarantia, et narcotica, teſte

§. III.

Non tantum ad hilaritatem, ac temulentiam inducendam, ſed ad venerem quoque ſtimulandam, vires corporis augendas, et furioſam quaſi audaciam menti inſpirandam, gen-

teſte KAEMPFERO in *Amoenit. exot. Faſc. III. p. 648.*, in India et Perſia parantur ac venduntur, quorum incolæ avidiſſimi ſunt. Notatu præ reliquis dignum eſt electuarium illud, cujus ſingularem exhilarandi virtutem ipſe KAEMPFERVS, cum aliquot comitibus Europæis, in convivio apud *Benjanos*, ubi bucellam deguſtavit ac deglutivit, expertus eſt: „Perfuſi, ſcribit l. c. p. 652., „et repleti ſumus, quotquot Nepenthe lactati, „gaudio quodam inexplicabili, quali me nunquam „in vita affectum memini. Nec aliud toxico illo „delibutis licuit, quam amplexus miſcere, loqui „parciſſime, arridere alloquentibus, et cachinnis „ſe invicem laceſſere. Soluto ſub noctem con„vivio, ubi equos conſcenderamus, virtus phar„maci, quaſi mutata ſcena, alia cerebris noſtris „creavit phantasmata. Haud enim aliter nobis „viſi fuimus, quam cum Pegaſo, volatu per nu„bes ac irides ferri, lucida elegantiſſimorum colo„rum ſpecie undiquaque obverſante oculis noſtris, „Appulſi domum et coenæ, quæ nos exſpectave„rat, accumbere juſſi, quicquid quisque ante „ſe invenit, capimus adpetitu lupino, et ciborum „qualiumcunque ſapore ita oblectamur, ut cum „Diis ipſis nos coenare videremur; Poſtridie „gravedo, qualiter ſolet poſt crapulam, nulla ce„rebrum infeſtavit, ſed discusſis ſomno vapori„bus, in ſtatum ſuum reſtituta eſt ratio, et opti„me

gentes orientales inebriantibus et narcoticis hiſce utuntur; hinc ſæpe a furioſis hujusmodi hominibus, quando ſuum *Amock* clamare incipiunt, homicidia, et alia delicta graviſſima perpetrantur. Non deſtituitur etiam probabilitate, mulieres *Benjanorum*, quando cum defuncto marito ſeſe comburere volunt, opiata adſumere. Hilares enim fiunt, ac mortem violentam nullo plane modo reformidare videntur. Multi denique, nec ſine ratione, credunt, milites Turcicos, in prælia ituros, Maslac adſumtione largiori furioſam ſibi audaciam conciliare, adeoque initio prælii hoſtes ſuos ſemper impetuoſius adoriri; qui impetus tamen valde remittit, quamprimum, conflictu ad tempus continuato, principium commovens, et expandens paullatina exhalatione auffertur, et toti corpori debilitas quædam inducitur.

 §. IV.

„me habuimus &c. Cum hoc electuario ſingulari aliud convenit, ex India pariter proveniens, frequentiſſimi apud Ægyptios uſus, *Bernavi* dictum. Homines quippe poſt adſumtionem hilares evadunt, atque loquaces, canunt, rident, delirantque, poſtea, elapſo circiter horæ ſpatio, iraſcuntur, effrenesque fiunt, tandemque contriſtantur, timent, plorant, lamentantur, ac ultimo in profundum incidunt ſomnum, quo aliquamdiu durante, vaporoſa ſubſtantia, quæ turbas prædictas concitaverat, paullatim exhalando conſumitur, et priſtina ratio redit. *Conſ.* PROSP. ALPIN. *Med. Ægypt. et* LINDESTOLP. *Libr. cit. p.* 593.

§. IV.

Tertium argumentum a virtute *ſudorifera*, et *aphrodiſiaca* deſumere licebit: Opiata nimirum, et quævis alia inebriantia ſelectiora, decenti quantitate adſumta, ſudorem valide movent, et ſtimulos venereos in ſexus utriusque hominibus excitant; quæ, absque motuum augmento, et aliqua humorum expanſione atque rarefactione, fieri nequeunt: Immo, ſi doſi, juſto majori, adſumta fuerint, nonnunquam periculoſum, et lethalem orgaſmum producunt. Obſervante enim BORELLO (*a*), opium tantam aliquando cruoris reſolutionem, atque expanſionem in ſubjecto quodam concitavit, ut vaſorum ſanguiferorum ruptura, et lethalis hæmorrhagia ſuperveniret. Non facile quidem, nec promiſcue violentia ejusmodi metuenda eſt, ſed ſubjecta, quæ funeſtum hoc ſanguinis profluvium poſt vaſorum rupturam experta fuerunt, ſine dubio plethora laborarunt, vel labem jam, ſive obſtructio ſive ulcus fuerit, in rupturæ loco habuerunt. In plethoricis enim vaſorum ruptura, præſertim in capite, et pulmonibus, facile contingere conſuevit, quando commoventia fortiora, inebriantia, narcotica, magna vi expanſiva prædita, adſumuntur, et ſanguinem abundantem, atque denſatum, nimiumque referta vaſa, atque cruore diſtenta,

(*a*) Cent. IV. Obſ. 97.

ca, actione celerrima, violentius expandunt. Nam ſi ſpiritus fermentans dolia, ligaculis ligneis probe firmata, disrumpere valet, accedente nimirum calore, aut alia liquoris incluſi, et in fermentativo motu nonnihil adhuc conſtituti, agitatione, non impoſſibile pariter cenſendum erit, vaporoſam, atque ſumme elaſticam ejusmodi materiam, velociſſimo curſu per corporis mæandros diſtributam, interveniente majori rarefactione, violentas vaſorum rupturas nonnunquam efficere poſſe, maxime in iis viſceribus, ac partibus, quæ vaſculis tenerioribus, ut cerebrum, gaudent, vel ſanguini circulanti, propter obſtructiones jam præſentes, viam liberiorem præcludunt.

§. V.

Firmo igitur, pro meo judicio, ſtat talo, vaporoſa in principio inſigne motuum augmentum in corpore, maxime autem in ſanguine, procreare, ac vi naturæ ſuo neceſſario etiam producere debere, adeoque *vehementer expandendo ac commovendo* operationem ſuam abſolvere. Probe quidem ſcio, alios actionem eorum longe aliter explicare; at, ſcio etiam, harum opinionum plerasque ſolido carere fundamento, et commentis merito adnumerandas eſſe: Quis cognita enim vera vaporoſi principii indole credet, aut ſibi perſuaderi patietur, opium, et reliqua,

 uti

uti multi cum B. WEDELIO (*a*) ſtatuunt, porulos cerebri, a vigiliis nimium apertos, et dilatatos, obſtruere, ſpirituum animalium effrenem influxum impedire, eosdem quaſi coagulare, et addenſare, adeoque ſuaviſſimam corpori conciliare quietem? Memorata ex parte quidem vera ſunt, intuitu ſcilicet eorum, quæ primam actionem ſequuntur; in principio autem effectus ejusmodi exſpectare, ridiculum foret. Probe igitur diſcernendi erunt effectus primi, et immediati ab iis, qui iterum ex hiſce reſultant, quique ſuccedere quidem poſſunt, non ſemper tamen ſuccedunt. Vaporoſa inebriantia enim, moderata quantitate adſumta, perſæpe ſolam duntaxat hilaritatem, ac motum humorum vegetiorem, ſine ullo ſubſequente ſomno extraordinario, ac temulentia, producunt. Quare ii quoque minime audiendi ſunt, qui ſulphur narcoticum ramoſis ſuis particulis in ſanguine iterum coire, et ſanguinis atque ſpirituum meatus obſtruere, aut, dum adhuc in ventriculo hæret, virtute et facultate quadam ideali, nervorum ſpiritus ex cerebro, et muſculis ad ſe pellicere, et advocare contendunt.

§. VI.

Sed, relictis hiſce, ulterius videbimus, quales effectus primam atque præcipuam vapo-

(*a*) Vid. Opiolog. Lib. I. cap. 2.

poroſorum operationem, fortem nempe ſanguinis expanſionem ac commotionem, ſequantur. Valde omnino hi ipſi, pro differenti adſumti medicaminis vaporoſi quantitate, differunt, ac *triplici* inprimis *modo generali* explicandi erunt. Primo nempe, quando vaporoſa puriora, ac debite præparata minori quantitate, et juſto tempore exhibentur, vegetiorem duntaxat ſanguinis, lymphæ, ac fluidi nervei circuitum, moderatamque eorum reſolutionem, ac rarefactionem efficiunt, et hilaritas proinde, tandemque, principio mobili per exhalationem cutaneam ſenſim abeunte, largior tranſpiratio, imo lenior ſudatio, et modica ſaltem, nec corpori nociva, tubulorum, aliarumque partium ſolidarum relaxatio, cum ſomno placido, ab ordinario parum vel nihil diſtincto, ſuccedit: Sin doſi vero paullo largiori propinata fuerint, vehementiorem quoque cruoris, ceterorumque humorum rarefactionem, ac commotionem provocant; hinc non mirandum, quod effrenis quoque hilaritas, cum mixto nonnunquam delirio mitiori, poſteaque eminentior canalium relaxatio, cum quarumvis partium ſolidarum flacciditate, ſudore largo, et ſomno profundiori, ſuperveniat. Canales enim diuturniori, et exorbitante ſanguinis, ac fluidi nervei expanſione adeo diſtenduntur, ut elaterem, ac tonum ſuum plus minusve amittant, et decens igitur niſus, et reniſus æqui-

librium aliquamdiu inter ſolida, atque fluida ceſſare debeat.

§. VII.

Aliter denique comparatum eſt, et violentiora conſectaria notantur, quoties eadem medicamina quantitate juſto majori adſumuntur: Brevi nimirum elapſo tempore, ingens ſanguinis commotio, tantaque expanſio, præſertim in ſubſtantia cerebri corticali, ubi vaſcula ſanguifera arterioſa, ac venoſa tunicis longe tenerioribus, ac debilioribus, quam alibi, gaudent, producitur, ut tubuli medullares, et ipſi nervi, circa ſuam inprimis originem, comprimantur, ulterior fluidi nervei ſecretio, et ſufficiens atque perennis influxus cohibeatur, adeoque, præter temporariam mentis, ac ſenſuum perturbationem, vertiginem, aliaque prava pathemata, ingens ſolidorum atonia, et ſtatus ſemi-paralyticus, cum profundo, diuturno, et nonnunquam lethali, ſopore (a) ſequatur. Quidam, uti SCHELL-

(a) Somnus naturalis, ſopor, apoplexia, lipothymia ac ſyncope magna analogia gaudent, et gradu ſeſe præcipue ab invicem diſtinguere videntur, præterquam, quod in apoplexia, et adfectibus ſoporoſis graves plerumque obſtructiones in cerebro, et aliæ in hiſce, et lipothymia graviori cauſſæ præternaturales accuſandæ veniant. Durante ſomno naturali, major, vel minor motuum imminutio adeſt, immo quorundam temporaria re-

SCHELLHAMERVS refert (*a*), pillulas deglutiebat, quæ tria grana cum dimidio opii,
[illegible] to-

remiſſio, ſolida languidius ſeſe contrahunt, fluida, præſertim ſpirituoſa, tardiori circulo, quam in vigilantibus, per vaſa circumferuntur, ideoque quædam actiones vitales ac naturales torpidius peraguntur, quædam animales autem plane ceſſant, et abolitæ videntur. Omnia hæc vel proxime, vel remote a prægreſſa partis ſpirituoſæ in arteriis, venis, nervis, conſumtione nimia, eidemque in toto corpore ſuccedente aliqua liquidorum inſpiſſatione, et partium ſolidarum flacciditate, minusque ſufficienti tenſione dependent. Hinc ſomnus naturalis, reſtitutis per nutritionem partibus ſpirituoſis, quæ vivido ſuo influxu in fibras motrices, una cum ſanguine ac tenuiſſima lympha nervorum, ſolida quævis tendere, extendere, atque movere debent, reſtituta pariter ſolidis, ſub aliqua quiete, textura compactiori, rurſus diſpellitur. Analogam contemplationem circa ſoporem, per narcotica inductum, inſtituere licet. Quemadmodum enim ſomnus naturalis ex ſucceſſiva partis ſpirituoſæ conſumtione, et hanc neceſſario excipiente ſolidorum relaxatione oritur; ſic itidem ſomnus nonnaturalis, aut gravior ſopor, narcoticorum uſu, aut abuſu inductus, eminenti flacciditati, ex forti vaſorum diſtenſione enatæ, ut et aliquali fluidi ſpirituoſi jacturæ, vel violentæ prorſus, ſi actio poſt largiorem adſumtionem fuerit vehementior, nervorum compreſſioni, adeoque denegato liquidorum, tenſionem, ſeu, uti veteres loquebantur, impetum facientium, influxui natales debet.

(*a*) In Miſcell. Acad. N. C. G. Dec. II. ann. 5 Obſ. 12.

totidemque croci continebant. Inde ſequentia orta ſymptomata: „Primo ſomnus inſo„mniis gravis, ac turbulentus, deinde, ela„pſo horæ quadrante, linguæ motus impe„ditus, et tanta oris ſiççitas, ut verba vix pro„ferre poſſet. Poſt horam, cum ſemper in„terea excitaretur, ſupervenit vertigo, et „circumgyratio, coepitque caput turbari; „retulitque poſtea, ſe cum lecto in aere ſu„ſpenſum fuiſſe, ſibi viſum, et quaſi volitare, „omniaque cum ipſo circumgyrari. Surgere „juſſus coepit ambulare, primum non ſine titu„batione, mox tamen et turbatio illa ceſſavit „nonnihil, et inceſſus firmior fuit, non tamen „omnimode: Nam motus muſculorum jam „tum imminuebantur, ſed obtuſus animus, et „ſui fere neſcius perſtitit. Non tamen in„congrua loquebatur, ſed interrogatus recte „reſpondebat. Inde horæ dimidiæ ſpatio „ſenſus omnes, præter auditum et viſum, „ceſſarunt. Acerrimum acetum, initio jam „propinatum, nihil acredinis habere dicebat. „Tum nec ſpiritum ſalis ammoniaci, nec ſal „volatile percipiebat nares titillare, imo odo„re deſtitui pronunciabat. Poſt horæ dimi„dium frigus extrema omnia membra occu„pabat, ægro tamen non ſentiente. Tan„dem liberatus iterum eſt, et poſt ſex horas „recordabatur iterum actorum, et dicebat, „antea ſe nullius rei perfectam habuiſſe noti„tiam &c.

§. VIII.

§. VIII.

Ex commemorata univerſali partium ſolidarum relaxatione, quam vaporoſa remedia, pro moderatiori, aut violentiori operatione ſua, vel ſola canalium, tam ſanguiferorum, quam nerveorum, diſtenſione, vel ſanguiferorum diſtenſione, et nerveorum compreſſione producunt, non tantum, uti præcedentia pridem monſtrant, virtus *hypnotica* ac *ſoporifera*, ſed *anodyna* pariter, ac *ſedativa*, in doloribus atrociſſimis, convulſionibus, excedentibus excretionibus ſeroſis, immo ipſis quandoque hæmorrhagiis exorbitantibus decantatiſſima, præcipue deducenda eſt. Quæcunque enim humores craſſos commovendo reſolvere et attenuare, ſtagnantes, aut plenarie ſubſiſtentes, ad motum liberiorem reducere, impuritates acres, paſſim ad-et inhærentes, excutere, reſoluta, et mobilia heterogenea per poros cutaneos expellere, tandemque, quod præcipuum in hoc paſſu momentum eſt, fibris nerveis, antea plus minusve ſtrictis, ac tenſis, majorem vel minorem flacciditatem, adeoque majorem quoque vel minorem ſentiendi ac movendi impotentiam temporariam inducere valent (α), dolo-

(α) „Dum opium, LINDESTOLPIUS *lib. cit. p.* 697. „*ſcribit*, laxat partes, ſpaſmo contractas, facit „acria ſpicula ſolidis partibus excidere. Sic ſi in „manu cultrum acutum tenuerim, et compreſſerim „ma-

loribus etiam, violentis partium contractionibus convulſivis, hæmorrhagiis, et feroſis excretionibus (α), halituoſa cutanea, quam ob

„manum, mihi nocebit. Si vero ſomnus ſuper„venit, et inducit flacciditatem manui ſponta„neam, excidit culter manu. Ita cum ſolidis in„terius, in acria agentibus, comparatum eſt. „Dum enim homo ſopitur, totum corpus laxatur. „et flaceſcit, ut cuivis patet. Sic, dum calculus „ex pelvi renali in ureterem emotus eſt, ibi ſæ„pe hæret, maximosque dolores facit, uretere „per ſpasmum ad latera calculi fortiter ſe contra„hente. Opium tum datum, calculum optime „pellit, ſicut et inſeſſus in ſemicupio calido, et „quæcunque potentiam habent, partes ſpasmodi„ce ſtrangulatas laxandi et reſiſtentiam minuen„di &c. *Et pag. 605.* Hinc opium interdum in „dolore vehementi, ab acribus, canali alicui im„pactis, orto, profuit. Quamdiu enim cor agit „valide in ſpiculum, dolor perennat, ſed, dum „cordis impetus ſiſtitur aliquantulum, flacceſcit„que per ſomnum corpus totum, decidit ſpiculum „loco ſuo; non aliter ac culter manu dormientis, „et ſuapte ſponte flacceſcentis excidit &c.

(α) Fluida corporis noſtri, quod medicis notiſſimum eſt, propria vi neque moventur per vaſa, neque ſe-et excernuntur, ſed motus eorum, cum quo ſe-et excretiones pari paſſu ambulant, a ſolidorum contractione, et impulſu iterato præcipue pendet: Unde etiam haud mirum eſt, quod, magna, immo interdum fere paralytica, flacciditate, ſolidis moventibus per narcotica inducta, ac debili inde orta, ac paſſim ſufflaminata, tenſione, atque

ob vehementem humorum commotionem ſemper largiorem reddunt, excepta, minuendis ac ſiſtendis apta exiſtunt. Non promiſcue tamen, ac citra exceptionem, allegatæ virtutes in vigiliis, doloribus, convulſionibus, hæmorrhagiis, et ſeroſis excretionibus accipiendæ erunt. Memorata enim pathemata augent, vel alio tamen modo nocent, quando *vigiliæ*, præſertim apud ſenes aut febre acuta, aut mania laborantes, a ſeri penuria, aut vehementiori pridem humorum exagitatione, rarefactione, et velociori circuitu, *convulſiones* vel a nimia vaſorum repletione, vel nimia etiam exinanitione, *hæmorrhagiæ* a cruore abundante, et orgaſtice expanſo, derivandæ ſunt, vel *ſeroſa* etiam *profluvia* ad criticas evacuationes ſpectant; uti veræ patho-

atque contractione, ſe-et excretiones languidius ſuccedant, profluvia excedentia minuantur, aut penitus ſiſtantur, ac ſupprimantur. In mortuis enim, ubi ſolidorum contractio plene planeque ceſſat, confeſtim etiam ſiſtitur circulus ſanguinis, ſiſtuntur omnes ſe-et excretiones, et apud ſyncopticos, in quibus torpidiſſimæ ſolidorum contractiones notantur, quælibet ſe-et excretiones, ſi ſudorem nonnunquam exceperis, cum languido humorum circulo pariter valde languidæ evadunt, quid? quod, enormes vulnerum hæmorrhagiæ, ſuperveniente lipothymia, vel plane ceſſant, vel protinus notabiliter minuuntur; quemadmodum hoc ſæpiſſime quoque obſervamus, quando homines, vena ſecta, animi deliquio corripiuntur.

thologiæ gnari ſingula hæc ex penitiori ægritudinum dictarum contemplatione, et exacto inprimis cauſſarum diſcrepantium ſcrutinio uberius cognoſcere poterunt.

§. IX.

Satis, quod ſpero, ex recenſitis, conjunctim penſitatis, manifeſtum eſt, vaporoſa inebriantia, et narcotica inter heroica militare remedia, adeoque in allegatis non minus, quam aliis morbis, per commoventia, et expandentia tuto curandis, v. g. tuſſi convulſiva, aſthmate cachectico, melancholia, partu difficili &c., non ſine utilitate quidem, ac valido effectu propinari poſſe, uſum nihilominus valde circumſpectum poſtulare, ne ſub abuſu veneni actionem exerceant, et corpori ſanando, loco emolumenti, grave detrimentum inferant.

CAPVT

CAPVT III.

DE HERBA NICOTIANA, ET FLORIBVS SAMBVCI.

§. I.

HERBA NICOTIANA, alias etiam *Herba Sancta*, *Tabacum*, *Symphytum Indicum*, *Hyoſcyamus Peruvianus* &c. dicta, noſtro ævo ubivis locorum adeo nota eſt, ut prolixior externarum proprietatum deſcriptio plane ſuperflua videatur. A Botanicis plerumque tres ſpecies genericæ, et quidem exoticæ, nimirum, *Nicotiana major latifolia*, *Nicotiana major anguſtifolia*, et *Nicotiana minor*, recenſentur: Cum duabus ſpeciebus prioribus, quoad formam, et originem, binæ noſtrates, jam indigenæ, conveniunt, totamque indolis ac bonitatis ſuæ differentiam, æque ac numeroſæ ſpecies ſubordinatæ reliquæ, partim climatum, ſoli natalis, atque culturæ diverſitati, partim eorum, qui folia exſiccata præparant, multiplici artificio debent. Hæc planta enim, quæ olim ſolummodo in *America*, maxime in *Braſilia*, *Nova Hiſpania* et *Inſula Tabago* creſcebat, plerisque

globi terraquei gentibus, ob uſum notiſſimum, tantopere placuit, ut poſt annum milleſimum quingenteſimum ac quinquageſimum ſextum, quo primum in Europa innotuiſſe dicitur, multi in regionibus variis de transplantatione, et, cum ſucceſſum animadverterent, de meliori pariter, atque uberiori in dies cultura ſolliciti eſſent.

§. II.

In Nicotianæ mixtione naturali, præter *vulgares* et *inertes partes terreas*, *ſubſtantia reſinoſa*, *gummea*, et *mobile principium vaporoſum*, immo interdum *tenerrimæ quædam moleculæ nitri embryonati*, ſub combuſtione ex ſtrepitu ac ſcintillatione cognoſcendæ, repeiuntur, quæ poſtremæ tamen adventitiæ ac peregrinæ ſunt, et fimo, quo agri fertiles redduntur, geneſin debent. Portio reſinoſa, licet longe minori quantitate, quam gummoſa, mixtionem ingrediatur, majori amaritie, eminentiori acredine, atque calidiori natura gaudet, et vaporoſo præterea principio narcotico præcipue matricem præbet. Pro diverſa Nicotianæ ſpecie elementorum ſeparabilium proportio variat. B. NEVMANNVS ex uncia una *Nicotianæ Americanæ*, vulgo *Canaſter* dictæ, extracti aquoſi primi unciam dimidiam cum drachma ſemiſſe, ſpirituoſi ſecundi drachmam dimidiam, ſpirituoſi

pri-

primi drachmam unam cum dimidia, et aquoſi ſecundi drachmas tres cum ſemiſſe, ex uncia vero una *Nicotianæ Hollandicæ* extracti aquoſi primi unciam unam, ſpirituoſi ſecundi drachmam unam, ſpirituoſi primi drachmas duas, et ſcrupulum unum, aquoſi ſecundi drachmas duas, totidemque ſcrupulos, et ex æquali denique *Nicotianæ Marchicæ* quantitate extracti aquoſi primi unciam unam, et grana quinquaginta, ſpirituoſi ſecundi drachmam dimidiam, ſpirituoſi primi drachmas duas cum ſemiſſe, et aquoſi ſecundi pariter drachmas duas cum dimidia obtinuit (*a*). Secundum mea examina, quibus Americanam duntaxat, et noſtratem Marchicam Nicotianam ſubjeci, indicatarum quantitatum nonnullis pauxillum quidem detrahendum eſſet; attamen, cum maxima ſit Americanæ venalis varietas, et Marchicæ diverſa bonitas, non mirandum eſt, quod ſæpiſſime circa principia ſeparata major vel minor ponderum diſcrepantia obſervetur.

§. III.

Sicca ac violenta deſtillatione ex tabaci foliis multum quoque *olei* educi poteſt, quod neutiquam tamen, uti LEMERY (*b*), aliique cre-

(*a*) Lib. ſæpius cit. p. 949.

(*b*) Vid. Materialien-Lexicon p. 782.

crediderunt, eſſentiale eſt, ſed ad formanda ſolum principia gummeo-reſinoſa fixa concurrit, et abſque plenaria proinde eorum deſtructione ſeparari nequit. Vix laudatus NEVMANNVS ex unciis duabus *Nicotianæ Americanæ* (Canaſter) et *vulgaris Marchicæ* drachmas duas, ex æquali vero *Nicotianæ Hollandicæ* quantitate ſaltem drachmam unam cum ſemiſſe impetravit (*a*). Empyrevmaticum ac foetidum hoc oleum, licet ſub ignis ſicci tortura notabilem metamorphoſin perpeſſum fuerit, narcoticam nihilominus et acrem indolem, qua pridem integra ſubſtantia reſinoſa gaudebat, retinet, ac tanta virulentia pollet, ut, teſte FRANCISCO RHEDI (*b*), canibus, felibus, avibus, aliisque animantibus, ſi ad paucas guttulas exhibetur, vel adhuc citius atque certius, ſi modica quantitate ſanguini per venam apertam aut vulnus inflictum immediate miſcetur, mortem inferat.

§. IV.

Manducata Nicotianæ folia, quæ ſola ad uſum expetuntur, copioſam ſalivam e glandulis eliciunt, ac ſimul, quando ſalivalis nempe liquor, acribus tabaci particulis imprægnatus, ad ventriculum et inteſtina deſcen-

(*a*) L. c. p. 949. ſeqv.
(*b*) Vid Experimenta circa varias res nat. p. 8. & 46. ſequ.

ſcendit, vehementem emeſin (α) atque catharſin, cum multa nauſea, excitant, et magnam præterea vertiginem, temulentiam, ſtuporem, immo ſoporem producunt; hinc noſtra quoque ætate internus ejusdem uſus, etiamſi veterum multis ſæpe placuerit, apud providos ac rationales medicos plane exolevit, ſi extractum aquoſum exceperis, quod paullo mitioris indolis eſt, et incidendo, abſtergendo, ac leniter ſtimulando non contemnendum quandoque auxilium in adfectibus pectoris pituitoſis, aliisque frigidis ac refractariis catarrhalibus, haud raro per potentiora abigendis, attulit.

§. V.

Rariorem uſum internum multi homines creberrimo uſu externo compenſant: Adeo enim adultorum quamplurimi, præſertim in humidioribus ac frigidioribus regionibus, fumum ac pulverem Nicotianæ amant, ut nul-

(α) D. ADAMVS a LEBENWALD *in Miſc. N. C. G. Dec. II. ann. 2. obſ. 108.* refert, pulverem nicotianæ, quod notatu utique dignum eſt, in viro quodam, cum ulceri ichoroſo femoris dextri, per currum antea contuſi, inſpergeretur, non prima tantum vice, ſed poſtea quoque, ſub repetita quavis inſperſione, enormen provocaſſe vomitum.

nullam horam ſine fumi, nullumque horæ minutum ſine pulveris uſu tranſigant, et pane facilius, quam fumo ac pulvere memorato careant. Verum enim vero, ſi dicere licet, quod res eſt, quodque teſtimoniis experientiæ quotidianis corroboratur, ſuſpecta omnino medicina eſt, et fumus non minus, quam pulvis ſanitatem eorum, qui alterutro, vel utroque intemperantius utuntur, vario modo lædit, et ſiccis inprimis, macilentis, atque cholericis valdopere nocet. Fumus enim particulis calidis, foetidis, empyrevmaticis, et terreo-alcalinis acrioribus, ſub combuſtione demum genitis, ſcatet, et forti irritatione ſalivam plus juſto elicit, adeoque totum corpus ſero, ventriculum autem, præſertim, ſi paullo ante, aut poſt paſtum hauriatur, neceſſario liquido ſalivali privat; unde fit, ut præſens vel futura digeſtio valde minuatur ac corrumpatur. Nigredinem præterea dentibus inducit, gingivam ad putrefactionem quaſi ſcorbuticam, et facilem cruentationem diſponit, pulmones exſuccos, flaccidos, debilesque reddit, animæ foetorem conciliat, et, ſenſim cum liquore ſalivali ad ventriculum et ſanguinem delatus, adpetitus et digeſtionis vitia (α) auget, ſan-

(α) „Tabacum maſticatum, BERNHARDVS RAMAZ-„ZINI, *in Tract. de Morbis artificum p. 538. in ope-„rib.* inquit, ſeu illius fumum, per tubulum taba-„ci-

ſanguinem exagitat, cerebro ac nervis imbecillitatem infert, et ſucceſſive totius corporis maraſmum, vel pulmonum exulcerationem, aut aliam periculoſam labem adducit.

§. VI.

Noxæ, prædictis vix, aut ne vix, leviores, ab abuſu pulveris Nicotianæ exſpectandæ ſunt. Dum nares enim acri atque terreſtri hoc pulvere conſtanter replentur, aliter ſane fieri nequit, quin ductus glandularum excretorii obſtruantur, et papillulæ nerveæ ſenſim deſtructæ, tandem apta odoratus organa conſtituere deſinant: Ut nihil dicam de læſione cerebri, ventriculi atque pulmonum, qui poſtremi ideo majus detrimentum experiuntur, quoniam aer, ſub inſpiratione nares penetrans, ſubtiliores pulveris moleculas, ſenſim abreptas, in pulmonum ductus tranfert, ubi poſtea tuſſim, et dyſpnoeam excitare, et telam eorum, ob alias cauſſas non-

Pp 4 nihil

„cinum exſuctum, appetentiam obruere, ita ut „longum iter illius uſu poſſit confici ſine famis „moleſtiis, et ſtomachi latratu, tradunt multi, „inter quos GVILIEL. PISO, qui in peregrina„tione per loca deſerta, tali maſticatione uſus, „nec laſſitudinem, nec famem ſenſiſſe affirmat. „HELMONTIVS idem adſtruit, aitque, id fieri, „*non quia Nicotiana famem ſedet, quaſi ſatisfaciat de„fectui, ſed in quantum ſenſus defectum tollat, ſimul„que functionum exercitia. &c.*

nihil pridem labefactatam, ad ulteriorem corruptionem deducere valent. Adplicari hoc loco poſſunt, quae vix allegatus RAMAZZINI *loc. cit. p. 537.* de odore Nicotianæ et nocivo pulvere volante proponit: „Tam liberaliter ergo, ſic ejus verba ſonant, „a Tabacopoeis odores iſti ac pulviſculi vo- „lantes, qui acriores ſunt, quo tenuiores, per „os et nares excepti teneram pulmonum et „aſperæ arteriæ tunicam pungunt, et exſic- „cant, tetrisque halitibus ſpiritus animales „cerebri incolas obfuſcant, imo narcoſi qua- „dam obtundunt, ac eodem tempore ſtomachi „fermentum corrumpunt, illius acidum in- „fringendo &c.

§. VII.

Hactenus memorata eum in finem nequaquam dicta ſunto, ac ſi fumi et pulveris nicotianæ uſum prorſus damnandum eſſe judicarem; ſed iis detrimenta ſolummodo, ab abuſu exſpectanda, breviter indicare volui. Satis enim ſcio, fumum ore, pulverem naribus modice hauſtum et attractum, ad abigendos pituitoſos capitis morbos, ex lymphæ acris ac viſcidæ adfluxu et decubitu largiori oriundos, multum conferre, et in cephalalgia, hemicrania, ſuſurru aurium, otalgia, et odontalgia ſeroſo-catarrhali et rheumatica, immo in ophtalmia humida &c. interdum, præ-

præſertim apud ſubjecta ſucculentiora, admodum prodeſſe: Ut nihil dicam de excretione alvina, quam matutinus ac moderatus fumi uſus apud multos, qui eidem adſuefacti ſunt, regularem liberamque ſervare ſolet. De reliquo uſu externo multa addere ſupervacaneum duco, adeoque hoc loco ſaltem dixiſſe ſufficiat, folia recentia ſubinde ulceribus ac vulneribus conſolidandis imponi, et exſiccata pariter decocta travmatica et anthelmintica externa ingredi: Quod clyſteribus autem tuto addi poſſint, adſerere non audeo, quoniam, experientia teſte, narcoſin quandoque, et ſoporem poſt applicationem induxerunt.

§. VIII.

Herbæ Nicotianæ RECENTES SAMBVCI FLORES ſubjungi merentur, quoniam, præter *fixum principium mucilagineum*, etiam *multas partes vaporoſas balſamicas* poſſident, et emollientem non minus, quam anodynam, hypnoticam, et galactiferam virtutem exſerunt. Plerumque cum lacte coquuntur, idemque interne adſumitur: Externe, cum aqua aut lacte cocti, partibus dolentibus, ſpasmo adfectis, et plus juſto exſiccatis, ſub epithematis aut cataplasmatis forma, imponuntur, et ſæpe pariter clyſteres emollientes, et paregoricos ingrediuntur.

CAPVT IV.

DE

CROCO ORIENTALI.

§. I.

Crocvs officinalis, vulgo *Crocus Orientalis*, Orientaliſcher Saffran, dictus, non integram plantam, ſed rubra duntaxat, aromatica, amaricantia, odoratiſſima, ſtamina floralia *croci veri*, *ſativi*, *autumnalis*, denotat. Olim ex *Ægypto*, et orientalibus quibusdam regionibus, Turcico ac Perſico imperio ſubjectis, adferebatur, primumque locum *Coryceus*, in montibus Coryco et Olympo natus, itemque *Cyrænaicus* tenebat; noſtra vero ætate in multis quoque Europæ locis, *Anglia* v. g., *Gallia*, *Bohemia*, *Italia*, *Hiſpania*, *Auſtria* &c. copioſe plantatur, et orientali ſubſtituitur. Optimus eſt *Anglicanus*, uſitatiſſimus *Auſtriacus*. Perſæpe floribus *Cnici ſylveſtris*, *balauſtiis* &c. adulteratur. Eligenda igitur ſunt ad uſum medicum filamenta latiora, fragrantia, rubra, recentia, flexilia aliquantulum, et contactu pingvia, ſicca nihilominus, et fractu facilia; rejicienda ex adverſo

verſo albicantia, flaveſcentia, arida, gracilia, fractu difficilia, ac parum odorata.

§. II.

Valde activis, ac plane ſingularibus principiis ſtamina hæc donata reperiuntur. Scatent nempe *particulis mobiliſſimis* ac *fragrantiſſimis oleoſo-ſpirituoſis*, quæ cum aqua, et vini ſpiritu facile ſub deſtillatione tranſcendunt, et liquores hoſce excellentibus viribus imprægnant; *ſubſtantiale* tamen *oleum æthereum* nunquam in conſpectum venit, niſi major croci quantitas, ad dimdiæ, vel integræ libræ pondus ad minimum adſcendens, humidæ deſtillationi una vice ſubjiciatur. Libra una circiter drachmam unam cum ſemiſſe olei ætherei penetrantiſſimi ac fragrantiſſimi reddere traditur. *Fixiora principia reſinoſo-gummea*, principio ſpirituoſo adhuc turgida, tenerrima ſunt, et adeo invicem mixta, ut ſeorſim, menſtruo ſpirituoſo æque, atque aquoſo, penitus extrahi queant, immo extractio ſpirituoſa, blanda deſtillatione ad conſiſtentiam ſpiſſiuſculam redacta, habitu externo oleum ruberrimum refert, fragrantia maxima, et ſapore amaro, aromatico, penetrantiſſimo præditum, prompte nihilominus, et citra præcipitationem, ſeſe cum ſpiritu, oleo et aqua miſceri patitur; Hinc BOERHAAVIVS etiam, præmiſſa

præ-

præparationis deſcriptione uberiori, inquit: „Docet hoc experimentum mirum novam „ſpeciem materiæ, quam vix Oleum, Spi-„ritum, Gummi, Reſinam, Gummi-reſinam, „appellare poſſumus, ſed nec Cera quoque „eſt, nec balſamus. Quid ergo? prorſus ſin-„gulare quid, ad oleoſum ſpirituoſum perti-„nens (*a*) &c. Quicquid interea ſit, uncia una croci bonæ notæ circiter drachmas ſex et dimidiam ſubſtantiæ ſolubilis, magis gum-moſæ, quam reſinoſæ indolis, continet, partem ponderis reliquam albida et inertia filamenta, maximam partem terreſtria, conficiunt. Virtus medica unice a mobiliſſimo, ac fragrantiſſimo principio oleoſo-ſpirituoſo dependet, et fixior proinde ſubſtantia, diuturniori exhalatione eodem prorſus orbata, nullas amplius virtutes notatu dignas poſſidet.

§. III.

Crocus non noſtris duntaxat temporibus medicamentis præſtantioribus adnumeratur, ſed a veteribus pariter tanti æſtimatus fuit, ut eundem *Aroph*, h. e., *Aroma philoſophorum*, *Aurum vegetabile*, *Medicinam triſtitiæ*, et ſic porro vocaverint. „Vires, „vix allegatus BOERHAAVIUS (*b*) ſcribit, habet

(*a*) In Chemiæ Tom. II. p. m. 212.
(*b*) L. c.

„habet lætificas adeo, ut in riſum fere per„petuum, nimius uſus adigat. Moderato „uſu verum exhibet exhilarans. Lotium tin„git colore rubro ſatis. Vim petrificam lo„tii in renibus dicitur inprimis deſtruere, hinc „ſummum remedium eſſe contra Calculum. „Verum Paracelſi Aroph &c. „ Elogium hoc nondum ſingulas croci vires exhaurit, ſed in ſcriptis numeroſis ille ipſe, non ſine fundamento, et frequenti experientiæ teſtimonio, activum medicamentum *hypnoticum*, *ſedativum*, *anodynum*, *aperitivum*, *pectorale*, *cardiacum*, *antiſpasmodicum*, *ſtomachale*, *carminativum*, *uterinum* et *travmaticum* deprædicatur, adeoque in vigiliis nimiis, cachexia vulgari et icteritia, tuſſi, dyſpnoea, palpitatione et tremore cordis, lipothymia, doloribus variis, cardialgia, colica, dyſpepſia, flatibus, febribus intermittentibus, diarrhoea, lienteria, coeliaca, dyſenteria, paſſione hyſterica, obſtructione menſium et lochiorum, partu difficili, retentione placentæ, torpore venereo, ulceribus &c. toties utiliſſimum, quoties ſpecificæ harum et ſimilium ægritudinum cauſſæ commoventia, expandentia, ſimulque roborantia validiora ac calidiora poſtulant.

§. IV.

§. IV.

Inter virtutes recenſitas maxime uterina eminet, eademque non quotidiana ſolum experientia medica, ſed curioſo pariter experimento IOH. FERDINANDI HERTODT comprobatur. Exhibuit nempe cani foeminæ, trium vel quatuor menſium gravidæ, per totum geſtationis tempus, tam cibum, quam potum, croco tinctum, donec octo circiter dies ad partum ſupereſſent. Ultimis tribus diebus crocum ad drachmas duas, immo tres, juſculis addidit. Canis, etſi in principio ſperneret alimenta, croco condita, fame tamen plus urgente, poſtea eo alacrius ſumſit. Tandem, paullo ante partum, canem ſtrangulatum ſectioni ſubjecit, et, aperto utero, invenit, liquorem amnii colore flavo imbutum, et in catulorum cute partes, alias albidiores, eodem colore flavo tinctas: Chylus vero in vaſis lacteis, quod notatu omnino dignum, ſolita albedine gaudebat. (*a*).

§. V.

Interne parca admodum manu, et ſaltem a grano dimidio ad grana duo, tria, quatuor, quinque, crocum exhibere convenit, ne, quantitate largiori propinatus, nimiam ſanguinis expanſionem, et ipſam narco-

(a) Vid. Miſcell. A. N. C. G. Dec. II. ann. 1. Obſ. 60.

coſin, præſertim apud ſubjecta ſicca, bilioſa, atque plethorica, inducat, vel alia prava pathemata, amentiam v.g., riſum incongruum, hæmorrhagias exorbitantes &c. concitet. Externe inter *roborantia*, *diſcutientia*, et *anodyna* militat, et ſæpiſſime fomenta, cataplasmata, epithemata, emplaſtra, unguenta, et ſacculos balſamicos, quorum alia membris dolentibus, debilitatis, paralyticis, alia, partibus tumore oedematoſo, aut eryſipelate correptis, adplicantur, modica quantitate ingreditur. Interdum collyriis quoque, in debilitate viſus, variolis &c., additur, ac multorum medicaminum officinalium ingredientia auget.

CAPVT V.

DE

OPIO.

§. I.

OPIVM eſt ſuccus papaveris orientalis, inſpiſſatus, gummeo-reſinoſus, poſt plenariam exſiccationem duriuſculus, coloris ex ſubviridi, aut luteo, aut ruffo nigricantis, ſaporis acris et amari, odoris viroſi ac valde nauſeoſi.

§. II.

§. II.

Ratione puritatis ac bonitatis in *nobilius*, et *ignobilius* ſive *Meconium*, ratione patriæ autem in *Thebaicum* et *Indicum* diſtinguitur. Thebaicum, quod in *Ægypto* circa *Cairum*, et in tractibus conterminis e ſauciatis capitibus *papaveris orientalis* elicitur, Indicum ſive Aſiaticum, quod in *India, ſtricte ſic dicta, Perſia, et variis Imperii Turcici provinciis* ex eadem papaveris ſpecie ſeparatur, ſubtilitate atque virtute ſuperare dicitur, et nobilius in genere, ab incolis *Affion*, *Affiuum* dictum, meconio, quod Indi *Pouſt* vocant, longe præſtantius deprehenditur. Illud parcioris proventus eſt, ac ſponte e papaveris, quo Ægyptii, Indi, et Perſæ hortos agrosque ſuos conſerunt, capitibus ſauciatis exſtillat, poſteaque ſolo aere, et ſolis calore condenſatur (α); hoc autem, meconium ſcilicet, ex ca-

(α) „In Perſide, uti KÆMPFFERVS *in Amoenitat. exot.* „*Faſc. III. p. 642. refert*, collectio ejus celebratur „per ineuntem æſtatem propinqua maturitati ca„pita decuſſatim ſauciando per ſuperficiem. Cul„ter negotio ſervit quintuplici acie inſtructus, qui „una ſectione quinque infligit vulnera longa pa„rallela. Ex vulnuſculis promanans ſuccus po„ſtridie ſcalpro abſtergitur, et in vaſculum, ab„domini præligatum, colligitur. Tum altera „capitum facies eodem modo vulneratur, ad li„quorem pariter proliciendum. At, hæc colle„ctio, ob capitum impar incrementum et magnitu„dinem

capitibus, immo reliquis papaveris partibus, caulibus nempe ac foliis, ſucco lacteo turgidis, per violentam expreſſionem, et ſucci expreſſi inſpiſſationem, vel ipſam quoque plantæ cum aqua coctionem, atque plenariam poſtea decocti evaporationem conficitur. Meconium primi generis, e ſolis nimirum capitibus expreſſionis beneficio ſeparatum, rariſſime, vel nunquam, ad gentes Europæas defertur, ſed opium, in noſtris Officinis venale, ordinario poſtrema atque viliſſima meconii ſpecies eſt.

§. III.

„dinem, aliquoties in eodem arvo inſtituenda eſt. Solent in plantis nimium ramoſis „capita prius amputari; ſic reliqua magis grandeſcunt, et ſucco implentur majoris efficaciæ. „Primæ collectionis lachryma, *Gobaar* dicta, præſtantior eſt, et graviori pollet cerebrum demulcendi virtute, colorem exhibens albidum, vel „ex luteo-pallentem; ſed qui color ex longiori „inſolatione et ariditate infuſcari ſolet. Altera „collectio ſuccum promit, priori, ut virtute, ita „pretio inferiorem, coloris plerumque obſcuri, „vel ex ruffo nigricantis. Sunt, qui et tertiam „inſtituunt, qua obtinetur lachryma nigerrima et „exiguæ virtutis. Præparatio opii potiſſimum „in eo conſiſtit, ut, aquæ pauxillo humectatum, „ſpatha craſſa lignea continuo, et fortiter ducatur et reducatur in patina lignea et plana, donec elaboratiſſimæ picis conſiſtentiam, tenacitatem et nitorem induat. &c.

§. III.

Monſtrante blanda analyſi chemica, opium ex *partibus terreis*, *aqueis*, *ſalinis*, *gummoſis*, ac *reſinoſis* componitur, et quo purius eſt, atque præſtantius, eo plures gummoſas, eoque pauciores reſinoſas continet. Partes gummeo-reſinoſæ *principio vaporoſo mobiliſſimo* matricem præbent, et *ſalinarum* ope adeo invicem mixtæ ſunt, ut ſpiritu vini puram reſinoſam, et aqua ſimplici puram, ac ſolam gummoſam ſubſtantiam vix aut ne vix ſeparare liceat; ſecundum adcurata tamen NEVMANNI examina (a) partes reſinoſæ gummoſas quantitate ſuperant. Quatuor enim opii vulgaris unciæ, primum vini ſpiritu rectificatiſſimo, deinde aqua ſimplici extractæ, dederunt uncias tres, et ſcrupulos quatuor ſubſtantiæ magis reſinoſæ, et quatuor ſcrupulos ſubſtantiæ mere gummoſæ, ita ut poſt duplicem extractionem ſaltem drachmæ ſeptem, et ſcrupulus unus terræ indiſſolubilis, et inertis ſupereſſent. Quum ordo inverteretur, et recentis opii, eadem quantitate recepti, extractio primum aqua, poſtea ſpiritu vini rectificatiſſimo, fieret, extractum primum, idque magis gummoſum, uncias duas, drachmas quinque et ſcrupulum unum, alterum vero, mere reſinoſum, drachmas tres, et ſcrupulum unum pendebat.

§. IV.

(a) Vid. Ejusd. Lect. de Opio p. 117.

§. IV.

Partes reſinoſæ duplicis indolis ſunt, aliæ ſcilicet *conſiſtentiæ durioris*, et vulgaribus reſinis non diſſimiles, aliæ *magis unguinoſæ*, et *liquidiores*, fere inſtar balſami. Priores comparative fixiores, et in operando torpidiores deprehenduntur, poſteriores autem, principio vaporoſo magis turgidæ, et majori ideo volatilitate, ac celeriori non minus, quam vehementiori vi agendi præditæ ſunt; hinc aliquot etiam hujus ſubſtantiæ grana cani, qui integram alias opii drachmam absque noxa graviori devorare valet, mortem inferunt. Ex libra opii duæ circiter vel tres drachmæ ſeparari poſſunt, et illa ordinario, inſtituta opii crudi infuſione, aut decoctione cum aqua, ſub unguinoſæ ac ſpumidæ materiæ forma, ad ſuperficiem aquæ adſurgit. Partes ſalinæ, quarum mentio pariter facta eſt, acres ſunt, et *acidæ* indolis: Opium enim crudum guſtu amarum percipitur, et adeo acre, ut, aliquamdiu in ore detentum, linguam et palatum exulceret (*a*), imo levem ſubinde ventriculi inflammationem producat (*b*). Ob intimam miſcelam, ſeparatio earum difficillima eſt, et raro ſaltem nonnullis veras cryſtallos ſalinas in opii ſolutionibus obſervare contigit (*c*). Ad eas cæteroquin præcipua cauſſa referenda videtur, cur ſolutio opii aquoſa per ſalia alcalia fixa,

 et

(*a*) Conf. Wedel. in Opiolog. p. 26.
(*b*) Conf. Lindeſtolpe L. c. p. 591.
(*c*) Conf. Neumann. l. c. p. 115.

et volatilia præcipitetur, et perfecta ſubſtantiæ reſinoſæ ac gummoſæ ſeparatio fere impoſſibilis exiſtat.

§. V.

Opium correctum atque ſufficienter depuratum, h. e., a partibus terreo-reſinoſis craſſioribus et ſuperfluis vaporoſis liberatum, ad potentiora *ſudorifera*, *anodyna*, *hypnotica* et *ſedativa* jure referendum eſt. Correctio, uti in capite primo dudum monui, neque toſtione, neque ſalium alcalium, aromatum, ſimiliumque additione, ſed optime infuſione, et frigida digeſtione, vel blanda etiam coctione cum aqua ſimplici, nunc pura prorſus, nunc aceto deſtillato, aut ſucco citri, limoniorum, cydoniorum, cremore tartari, alioque acidulo corpore modice remixta, peragitur; immo, ſi majorem adhuc temperiem illi velimus conciliare, blandam jam depurati fermentationem corrigentium numero addendam eſſe, reor. Quando aqua blande coquitur, vel eodem menſtruo ſaltem infunditur, et infuſum frigidæ digeſtioni aliquamdiu committitur, gummoſæ tantum partes, reſinoſis tenerioribus remixtæ, ſolvuntur, terreo-reſinoſæ craſſiores autem in fundo remanent indiſſolubiles, et portio virulentiſſima, ſpiritu impetuoſiori maxime prægnans, ad ſuperficiem, uti antea retuli, extruditur, ita ut hæc facile cochleari auferri, illæ autem filtrationis, aut colaturæ beneficio a purioribus reſinoſo-gummeis ſeparari queant.

§. VI.

§. VI.

Extractum, deſcripta methodo paratum, inter pilulas, electuaria, ſimileſque compoſitiones recipitur, aut vini ſpiritu rectificatiſſimo, vel, quod ego quidem præſtare arbitror, ſpiritu nitri, aut ſalis rite dulcificato ſolutum, ſub tincturæ forma exhibetur. Doſis ejus in noſtris regionibus ab octava grani parte ſaltem ad grana duo, tria, vel quatuor adſcendit, in orientalibus vero regionibus multi, uti CLEYERVS *(a)*, atque KÆMPFFERVS *(b)* teſtantur, illud ipſum perſæpe a ſcrupulo uno ad drachmam integram, absque ſenſibili noxa (α), deglutiunt: Quod,

(a) Vid. Miſcell. Acad. N. C. G. Dec. II. ann. 10.
(b) Loc. cit. p. 644.

(α) Non abſolute hæc intelligenda ſunt: Nam opii helluones, etiamſi a largiori atque frequentiori ejus uſu nullam in principio et poſt temporariam adhibitionem perſentiant noxam, tandem tamen, poſt diuturniorem ſcilicet abuſum, graviſſime, uti idem KÆMPFFERVS teſtatur, mulctantur: „Opium, *l. c. p.* 644. inquit, quod Europæis, ſi „grani unius, vel paucorum doſin exceſſeris, le„thiferum nefas audit, a prænominatis populis „longa adſuetudine ita familiare redditum eſt, ut „drachmam multi ſine noxa deglutiant. Multa „hoc abuſu vel longiori ejus uſu acciuntur mala; „emaciatur enim corpus, laxantur vires, contriſta„tur animus, ſtupeſcit ingenium: Unde videas in„ſtar ſtipitum ſomnolentos, et quaſi elingues ſe„dere in conviviis opii liguritores &c.

mitiori ſine dubio opii præſtantioris *(a)* indoli, liberiori ac largiori in calidis hiſce regionibus tranſpirationi cutaneæ, et quotidiano inprimis uſui, ac diuturnæ adſuetudini tribuendum erit. Tyrones quippe exiguis doſibus incipiunt, easdemque ſenſim augent, æque ac vini aduſti potatores, vel illi quoque, qui tabaci fumo delectantur. In principio parum fumi herbæ Nicotianæ vehementia pathemata apud nondum adſuetos concitat, vertiginem nempe, temulentiam, dolorem capitis, vomitum, tremorem membrorum &c., quæ poſtea tamen apud adſuefactos, niſi magnum committant exceſſum, non amplius obſervantur, etiamſi eorum aliqui per integrum fere diem hunc fumum hauriant. Notum præterea eſt, ipſos Europæos, in frigidioribus etiam regionibus habitantes, tandem opii adſumtionem largiorem, citra ſenſibile detrimentum, perferre, ſi diuturna adſuetudo accedat: Quandoquidem GABRIEL CLAVDERVS hominem, unico interdum die, trina vice, 40-50 grana opii crudi impune devorantem, et hoc per menſes 18. et ultra continuantem, ſeſe noviſſe, refert.

(a) Vid. §. 1.
(b) In Miſc. A. N. C. Dec. II. ann. 5. Obſ. 179.

CAPVT

CAPVT VI.

DE SEMINE PAPAVERIS HORTENSIS.

§. I.

SEMINA PAPAVERIS SATIVI ſive *hortenſis*, Mohn- oder Maanſamen, minuta ſunt, atque rotunda, ſapore ſubdulci, colore albicante, vel nigricante aut gryſeo donata. E maturis et jam aridis capitibus colliguntur, et ſemina albida nigricantibus ac gryſeis præſtantiora reperiuntur, adeoque frequentiorem quoque præ hiſce in medicina uſum inveniunt.

§. II.

Subſtantia *ſubdulcis lacteſcens*, qua inſtructa ſunt, e *partibus terreis*, *reſinoſis*, *gummoſis*, et *unguinoſo-oleoſis* conſtat. Virtus medica in oleo unguinoſo, quod præ reliquis partibus conſtitutivis *principio mobili vaporoſo* prægnans eſt, et aquæ ſimplici ſub tritura lacteum colorem ac conſiſtentiam conciliat, præcipue latet; hinc ſolum quoque, expreſſione ſeparatum, vires, integris ſeminibus proprias, exſerit.

§. III.

§. III.

Ordinario hæc ſemina cum aquis deſtillatis in emulſionem rediguntur, quæ poſtea inter blanda *hypnotica*, *anodyna*, *ſedativa*, ac *demulcentia* locum tuetur, et in morbis variis, raucedine v. g., tuſſi acri, hæmoptyſi, phthiſi, dyſuria, calculo, dyſenteria, immo ipſa agrypnia febrili, perſæpe cum fructu propinatur. Interdum etiam epithema frontale conſtituit, quod nonnulli in cephalalgia et vigiliis proficuum judicant. Oleum expreſſum rarius interne exhibetur, et ſæpius unguentis anodynis additur.

Francofurti ad Viadrum,
TYPIS IO. CHRISTIANI WINTERI,
ACAD. REG. TYPOGR.

IO. FRIDERICI CARTHEVSER
MEDICINAE DOCTORIS
EIVSDEMQVE IN REGIA ACAD. VIADRINA
PROF. PVBL. ORDINARII

FVNDAMENTA MATERIAE MEDICAE TAM GENERALIS QVAM SPECIALIS

IN
VSVM ACADEMICVM
CONSCRIPTA.

PARS POSTERIOR.

FRANCOF D VIADRVM,
MPENS. IOHANN HRISTIANI KLEYB.
M D C C L.

)o(

SERIES SECTIONVM ET CAPITVM PARTIS SECVNDÆ.

	Pag.
Sectio XII. *De Balſamicis et Aromaticis.*	I.
Cap. I. *De Differentia atque Natura Aromaticorum et Balſamicorum.*	I.
- - II. *De Modo operandi atque Virtute Balſamicorum et Aromaticorum.*	18.
- - III. *De Rad. Zedoariæ, Zingiberis atque Curcumæ.*	26.
- - IV. *De Rad. Cyperi et Galangæ.*	36.
- - V. *De Radice Iridis Florentinæ.*	42.
- - VI. *De Calamo Aromatico et Radice Helenii.*	49.
- - VII. *De Rad. Serpentariæ Virginianæ & Valerianæ.*	56.
- - VIII. *De Rad. Imperatoriæ, Angelicæ, Leviſtici atque Mei.*	61.
- - IX. *De Radice Carlinæ.*	70.
- - X. *De Meliſſa et Baſilico.*	73.
- - XI. *De Herba ac Floribus Rorismarini et Salviæ.*	78.
- - XII. *De Foliis ac Floribus Majoranæ, Thymi, Serpilli atque Origani.*	85.
- - XIII. *De Hyſſopo, Mentha, Matricaria et Tanaceto.*	94.
- - XIV. *De Satureja et Maro Vero.*	103.
- - XV. *De Sabina et Abrotano.*	108.
- - XVI. *De Chamomilla et Millefolio.*	112.

Pag.
Cap. XVII. *De Floribus Lavendulæ et Calendulæ.* 123.
- - XVIII. *De Ligno Saſſafras, et Guajaco* 128.
- - XIX. *De Ligno Aloes, Rhodio, et Santalo flavo.* 137.
- - XX. *De Ligno Juniperi, et Lentiſci* 146.
- - XXI. *De Ligno Colubrino, et Nephritico* 150.
- - XXII. *De Corticibus Citri, et Aurantiorum* 159.
- - XXIII. *De Cortice Caſcarillæ, et Thymiamatis.* 163.
- - XXIV. *De Cinnamomo.* 169.
- - XXV. *De Caſſia Lignea.* 180.
- - XXVI. *De Caſſia Caryophyllata, et Canella alba.* 185.
- - XXVII. *De Camphora.* 192.
- - XXVIII. *De Myrrha.* 219.
- - XXIX. *De Gummi Ammoniaco, Galbano, et Bdellio.* 238.
- - XXX. *De Sagapeno et Aſa foetida* 245.
- - XXXI. *De Ladano, Caranna, et Gummi Hederæ.* 252.
- - XXXII. *De Gummi Anime, Iuniperi, et Elemi.* 258.
- - XXXIII. *De Olibano, Maſtiche, et Gummi Tacamahaca.* 262.
- - XXXIV. *De Aſa dulci, et Styrace.* 267.
- - XXXV. *De Gummi Lacca.* 273.
- - XXXVI. *De Pice, tam Sicca Navali, quam Liquida.* 277.

Cap.

Pag.
Cap. XXXVII. *De Terebinthina, Balſamo Peruviano, Balſamo de Copaiva, aliisque hujus commatis Balſamis* 286.
- - XXXVIII. *De Semine Foeniculi, et Aniſi, tam Vulgaris, quam Chinenſis* 299.
- - XXXIX. *De Semine Coriandri, et Nigellæ Romanæ.* 306.
- - XXXX. *De Semine Cinæ, Rutæ, et Tanaceti.* 309.
- - XXXXI. *De Semine Apii, Petroſelini, et Dauci, tam Vulgaris, quam Cretici.* 320.
- - XXXXII. *De Semine Carvi, Cumini, Ammeos, Anethi, et Leviſtici* 326.
- - XXXXIII. *De Baccis Lauri, et Juniperi.* 332.
- - XXXXIV. *De Nuce Moſchata, et Mace* 337.
- - XXXXV. *De Pipere, Cubebis, et Amomo.* 342.
- - XXXXVI. *De Caryophyllis, et Anthophyllis.* 354.
- - XXXXVII. *De Granis Cardamomi, et Paradiſi* 362.
- - XXXXVIII. *De Caſtoreo.* 366.
- - XXXXIX. *De Moſcho, et Zibetho.* 374.
- - L. *De Succino, et Ambra.* 381.

Sectio XIII. *De Amaricantibus, Auſteriuſculis, Blande Balſamicis, Terreo- aut Mucilagineo-Subadſtringentibus,*

Pag.
bus, aliisque, ſapore mixto donatis. 394.
Cap. I. *De Natura, Differentia, atque Virtute Diverſorum horum Simplicium in genere.* 394.
- - II. *De Rad. Pæoniæ, et Nymphææ.* 399.
- - III. *De Rad. Rubiæ tinctorum, et Anchuſæ.* 404.
- - IV. *De Contrayerva, et Radice Caryophyllatæ.* 408.
- - V. *De Rad. Bardanæ, Taraxici, et Tuſſilaginis.* 413.
- - VI. *De Radice Vincetoxici, et Pareiræ bravæ.* 417.
- - VII. *De Rad. Chinæ, et Sarſaparillæ.* 421.
- - VIII. *De Rad. Apii paluſtris, et Petroſelini.* 428.
- - IX. *De Veronica, et Betonica.* 431.
- - X. *De Hedera terreſtri.* 434.
- - XI. *De Herba Chamædryos, et Chamæpytios.* 437.
- - XII. *De Thea orientali, et Teucrio vero.* 442.
- - XIII. *De Artemiſia.* 455.
- - XIV. *De Floribus Liliorum convallium, Tiliæ, et Primulæ veris.* 460.
- - XV. *De Floribus Pæoniæ, Tunicæ hortenſis, et Roſarum* 467.
- - XVI. *De Floribus Calcatrippæ arvenſis, Borraginis, atque Cyani ſylveſtris.* 473.
- - XVII. *De Viſco.* 477.

Cap.

Pag.
Cap. XVIII. *De Cortice Peruviano.* 485.
- - XIX. *De Ligno Santalo rubro.* 498.
- - XX. *De Sanguine Draconis, et Succo Acaciæ.* 500.
- - XXI. *De Granis Chermes, et Coccionella.* 504.
Sectio XIV. *De Dulcibus, Subdulcibus, Leniter Amaricantibus, Auſteriuſculis atque Balſamicis Unguinoſo oleoſis et Pinguibus.* 515.
Cap. I. *De Natura, Principiis, et Differentia Oleoſorum ac Pinguium in Genere.* 515.
- - II. *De Viribus Oleoſorum ac Pinguium.* 520.
- - III. *De Amygdalis dulcibus, Pineolis, Piſtaciis, et Nucleis Armeniacor.* 522.
- - IV. *De Seminibus Cucurbitæ, Citrulli, Melonum, Cucumeris, Lactucæ, Scariolæ et Portulacæ.* 528.
- - V. *De Seminibus Lini, et Foeni Græci.* 531.
- - VI. *De Cacao.* 534.
- - VII. *De Lacte.* 537.
- - VIII. *De Spermate Ceti, et Ordinariis Animantium Pinguedinibus.* 543.
Sectio XV. *De Inſipidis et Subdulcibus Mucilagineis et Gelatinoſis.* 549.
Cap. I. *De Natura, Differentia, et Virtute Gelatinoſorum, ac Mucilag.* 549.
- - II. *De Rad. Altheæ, Malvæ, et Liliorum alborum.*

Pag.

Cap. III. *De Radice Symphyti ſive Conſolidæ majoris.* 556.

- - IV. *De Radice Scorzoneræ.* 558.

- - V. *De Semine Pſyllii, et Cydoniorum.* 560.

- - VI. *De Hordeo, et Avena.* 563.

- - VII. *De Gummi Arabico, et Tragacantho.* 565.

- - VIII. *De Ichthyocolla et reliquis Animantium Gelatinis.* 569.

Sectio XVI. *De Siccis Sulphureis, Mercurialibus, Sulphureo-mercurialibus, Sulphureo-regulinis, et Metallicis, Semimetallicis, ac Terreis Martialibus.* 571.

Cap. I. *De Sulphure vulgari minerali.* 571.

- - II. *De Pulvere Lycopodii.* 578.

- - III. *De Mercurio vivo ſive currente.* 582.

- - IV. *De Cinnabari nativa.* 585.

- - V. *De Antimonio crudo.* 597.

- - VI. *De Ferro, Lapide Hæmatite, Rubrica fabrili, aliisque Terris martialibus.* 601.

Sectio XVII. *De Aqua ſimplici, et Aquis Mineralibus Medicatis, tam frigidis, quam calidis.* 607.

Cap. I. *De Natura, Proprietatibus, ac Viribus medicis Aquæ ſimplicis.* 607.

- - II. *De Aquis medicatis mineralibus.* 612.

SECTIO.

SECTIO XII.

DE BALSAMICIS ET AROMATICIS.

CAPVT I.

DE DIFFERENTIA ATQVE NATVRA AROMATICORVM ET BALSAMICORVM.

§. I.

Saporem *aromaticum* et *balſamicum* diſcriminis quicquam intercedere, Phyſici ac Chemici dudum annotarunt. Balſamicus nempe purus eſt, ſimplex, remiſſior, et quodammodo nauſeoſus; aromaticus autem ex acri iterum et balſamico compoſitus, adeoque longe fortior atque urens deprehenditur: Poſterior præterea rarius, quam prior, perfecte purus ac ſolitarius, ſed *ſubdulci*, vel *auſteriuſculo*, *amaricante*, quin *intenſe amaro*, mixtus obſer-

obſervatur. Pure aromaticus v. g. in cubebis, pipere, caryophyllis &c. obvius eſt; ſubdulcem ſimul admixtum deprehendimus in radice angelicæ, ſemine aniſi, fœniculi &c., auſteriuſculum in cinnamomo, ligno ſaſſafras &c., amaricantem in cort. citri, aurantiorum, macere &c., et intenſe amarum in calamo aromatico, myrrha et ſimilibus.

§. II.

Aromatica et balſamica odore plus minusve fragrante pollent, et ambientem ideo aerem tenerrimis effluviis odoriferis replent: Cum aucto tamen, vel imminuto aeris circumfuſi calore laudata exhalatio, a perenni motu inteſtino derivanda, creſcit atque decreſcit, immo, temporis ſucceſſu, non ſine notabili virtutis medicæ decremento, pene inſenſibilis evadit; unde protinus conſtat, activitatem in aromaticis et balſamicis recentibus ſemper majorem eſſe, in vetuſtis aut fortius exſiccatis minorem, tandemque, odoratis nempe particulis diuturna exhalatione prorſum ablatis, fere nullam: Patet quoque, decocta eorum, in vaſis apertis parata, ob aliquam, immo interdum ſatis magnam, potioris ſubſtantiæ exhalabilis jacturam, infuſis longe debiliora eſſe.

§. III.

Regnum animale ac minerale pauca tantum ſimplicia balſamica, vegetabile autem,

præter

præter multa balſamica, numeroſiſſima pariter aromatica largitur. Principia, quibus hæc poſteriora, ex vegetabili nimirum regno deſumta, de quibus, ceu potioribus, primum agere conſultum duco, inſtructa ſunt, partim volatilem, partim fixam naturam obtinent. In ſingulis enim 1) *tenerrimum, mobiliſſimum, fragrantiſſimum, principium ſpirituoſum ſalino-oleoſo-phlogiſtæ indolis*, 2) *oleum eſſentiale æthereum*, et 3) *ſubſtantia quædam fixa vel reſinoſa*, vel *gummoſa*, vel *gummeo-reſinoſa* aut *reſinoſo-gummea*, ſaporis in aliis *ſubdulcis*, in aliis *pure aromatici* aut *balſamici*, et in aliis denique *auſteriuſculi, amaricantis*, *amari* etc. demonſtrari poteſt. Pleraque nempe, immo, ſi ſufficiens quantitas recepta fuerit, cuncta hujus cenſus ſubjecta, ſub deſtillatione humida, primo *aquam* reddunt, *particulis ſubtiliſſimis*, *mobiliſſimis, ſpirituoſis, fragrantiſſimis, cum phlegmate magis minusve miſcibilibus*, largiſſime refertam, eamque vel limpidam prorſus, vel etiam, ſi præter ſpiritum copioſiorem, parum quoque olei tenerrimi intraverit, albicantem, quaſi lacteam, quæ naribus odorem, linguæ vero ſaporem ſimplicis ſpecificum balſamicum et aromaticum vivide imprimit. Mobili atque ſpirituoſo huic principio, ſufficienti ſcilicet, quod dictum, ſimplicis quantitate recepta, ſuccedit, immo illud ipſum perſæpe comitatur *oleum eſſentiale ac ſubſtantiale æthereum*,

 ſimpli-

ſimplicis odorem, ſaporem aromaticum aut balſamicum, et præcipuam indolem eminenter et exacte referens. Deinde, niſi ex omnibus, tamen plerisque, aqua acidula, refrigerans, nauſeoſa ſequitur, et in ipſa veſica aut cucurbita vitrea, præter caput mortuum, virtute penitus ſpoliatum, *decoctum fuſcum*, vel *ex fuſco-flaveſcens, virideſcens, aut nigricans* &c. *ſaporis, pro ſubjecti diverſitate, ſubdulcis, auſteri, amaricantis, amari, aromatici, balſamici*, remanet, quod blanda evaporatione in ſimilis naturæ, ſaporis, odoris, atque virtutis extractum reſinoſo-gummeum, aut gummeo-reſinoſum inſpiſſari poteſt.

§. IV.

Portio ſpirituoſa mobiliſſima, quæ ſpontanea ac paullatina exhalatione e plantis aromaticis et balſamicis prodit, et deſtillationis quoque initio ſeorſim cum aqua transmittitur, partim e *tenerrimis ſubſtantiæ gummeo-reſinoſo-oleoſæ*, in quibusdam ſimul *camphoratæ, ramentis, phlogiſtæ purioris*, aut *ſalino-inflammabilis naturæ*, partim ex *integris*, iisque tamen *valde ſubtilibus moleculis oleoſis* conſtat; hinc ſola etiam ſubtilitate ac mobilitate, neutiquam vero odore, ſapore atque virtute ab oleo æthereo ſubſtantiali differt. Inſignis cæteroquin teneritudo ejus atque mobilitas cauſſa eſt, ut per ſe, vel præſente ſubſtantiæ craſſioris ac viſcoſioris penuria, in

conſpi-

conſpicuas guttulas oleoſas coire neſciat, ſed ſaltem aquæ poris inviſibiliter immergatur.

§. V.

Oleum eſſentiale æthereum, ceu alterum, idque præcipuum, plantarum hujus claſſis principium activum primo quidem ſuccis circulantibus tenerrime mixtum eſt, inde nihilominus ſenſim in certas *veſiculas membranaceas* ſecedit, ibidemque ſucceſſive in minorem majoremve molem colligitur. Veſiculæ memoratæ in cortice cinnamomi recenti, baccis juniperi, nuce moſchata, radice helenii, mei, angelicæ, Zedoariæ, imperatoriæ, fœniculi, ireos Florentinæ, aliisque, in lamellas diſſectis, et microſcopio deinde ſubjectis, ſatis conſpicuæ ſunt: Numeroſiſſimæ imprimis in cortice arborum pini et abietis occurrunt, eædemque adeo plerumque oleo replentur, ut perſæpe rupturam patiantur, et liquorem oleoſo-balſamicum, in reſinam poſtea aeris calidi ope indureſcentem, copioſe effundant. Comparari hæ cellulæ poterunt cum cellulis, in adipoſo animantium panniculo obviis, et oleoſa quoque ſubſtantia, in iis collecta, eundem, quem pinguedo animalis, uſum obtinere, et hyeme inprimis tubulos ligni, ſucco aquoſiori repletos, contra frigoris ſævitiem, et inde naſcens coagulum, defendere videtur.

§. VI.

In plantis vetuſtioribus et exſiccatis oleum laudatum, cellulis membranaceis incluſum, ſenſim exeunte ſpiritu ſubtili æthereo, ceu materiali fluiditatis cauſſa præcipua, primo in balſamum ſpiſſiuſculum, tandemque in corpus ſiccum, durum, reſinoſum, aut reſinoſo-gummeum coagulatur. Baccæ juniperi v. g. ſucco dulci, acri, aromatico, et nonnihil quoque, ſi dentibus perfecte comminuantur, amaricante, repletæ ſunt. Sapor dulcis in parte pulpæ gummoſa reſidet, aromaticus autem et amaricans oleo eſſentiali, veſiculis, per baccam pulpoſam diſperſis, incluſo, maxime adſcribendus venit. Hoc, ſi baccæ ſiccantur, in reſinam abit, et paſſim proinde in diſſectis parvæ *Sandarachæ* maſſulæ reperiuntur.

§. VII.

Egregiam hoc loco harmoniam inter opera naturæ et artis obſervamus. Iſtud enim principium, quod ex plantis balſamicis et aromaticis, tum vivis adhuc, ac læte virentibus, tum mortuis pridem et exſiccatis, nec minus ex ipſis ſuccis earum balſamicis, perenni exhalatione prodit, et odorem fragrantem ſpargit, comparandum eſt cum portione ſpirituoſa, deſtillationis initio cum phlegmate in receptaculum tranſeunte. Succedens oleum ſubſtantiale ab oleo, prædictis veſicu-

veſiculis inhærente, aut parcius cum balſamis liquidis mixto, non diverſum eſt, et reſinoſa denique, gummoſa, gummeo-reſinoſa, aut reſinoſo-gummea ſubſtantia, cum maſſulis, quæ ex oleo, in veſiculis indurato, vel ex ipſo etiam ſucco, ruptis aut inciſis tubulis promanante, ac ſenſim coagulato, naſcuntur, quoad naturam et proprietates convenit, præterquam, quod reſinæ naturales plus olei et acidi coagulantis in mixtione foveant, quam extracta memorata; quippe quæ ſub deſtillatione, præſertim igne fortiori adhibito, majorem utriusque principii portionem amittunt.

§. VIII.

Sed redire juvat ad uberiorem olei ſubſtantialis ætherei contemplationem: Hoc in genere e duabus conſtare deprehenditur partibus eſſentialibus, e prædicta nimirum *parte mobili*, *ſpirituoſa*, *activa*, quam *animam oleorum*, aut cum BOERHAAVIO *ſpiritum rectorem* vocare licebit, et deinde ex *parte viſcoſa*, *tenaci*, *fixiori*, *reſinoſa*, *aut gummeo-reſinoſa*, quæ priori quaſi corpus, excipiens, matricem, domicilium, præbet, ac, motum ejusdem nonnihil coercendo, diſceſſum præmaturum, et momentaneam ferme diſſipationem lentore ſuo, atque majori cohæſione impedit. Facile memoratæ partes eſſentiales per experimenta et obſervationes red-

duntur manifeſtæ: Deſtillata v. g. olea ætherea, in vitris, obiter ſaltem operculo papyraceo munitis, et in loco calido collocatis, diutius paullo adſervata, ſenſim ſenſimque ſpirituoſam portionem, et cum ea fluiditatem, odoris fragrantiam &c., amittunt, adeo, ut fluida non amplius olea, ſed maſſæ denſæ, coagulatæ, reſinoſæ, exiſtant. Citius principii utriusque ſeparatio accidit, quando oleum quoddam, v. g. oleum caryophyllorum aromaticorum, orbi vitreo infunditur, et aeri libero ac paullulum calido exponitur. (*a*) Brevi enim elapſo tempore, partem ſpirituoſam, mediante forti atque conſtanti exhalatione fragrante, in auras dimittit, et reſiduum ſucceſſive in corpus tenax, reſinoſum, parum amplius activum, condenſatur. Quando cum rectificatiſſimo quoque vini ſpiritu, præmiſſa digeſtione ac ſolutione, vel etiam citra eandem, igne leniori, e veſica, aut cucurbita deſtillantur, mobile principium cum ſpiritu vini transmittunt in receptaculum, et in fundo cucurbitæ aut veſicæ corpus craſſum atque viſcoſum relinquitur, quod, iterata ſpiritus vini recentis adfuſione et abſtractione, tandem odore, ſapore, atque viribus ſpecificis prorſum ſpoliatur; Immo, eadem olea, ſi cum ſimplici ſaltem aqua aliquoties deſtillantur, aut agitatione vaſculi cum illa ruditer miſcentur, aquam

(*a*) Conf. Bœrhaave in Chym. T. II. Proc. 27.

aquam ſpecifico odore, atque ſapore, et ſpecifica pariter virtute imbuunt; ipſa vero valde inertia redduntur: Hinc ſemper quoque fragrantiora olea impetrantur, quando plantæ deſtillandæ aqua ſpirituoſa, a præcedente ejusdem ſubjecti deſtillatione reſidua, et mobili principio jam ſatis impraegnata, ſuperfunditur.

§. IX.

Laudatum principium ſpirituoſum in plantis, earundemque oleis eſſentialibus *quantitate* magnopere differt, et in aliis largiſſimum eſt, in aliis parcius reperitur. Hinc ab odoris quoque fortitudine, et fragrantiæ gradu ad olei ſubſtantialis, in veſiculis latitantis, quantitatem concluſio ſimpliciter formari nequit. Multæ enim plantarum, quæ odorem balſamicum et aromaticum fortiſſimum ſpirant, parum duntaxat olei ſub humida deſtillatione reddunt, dum aliæ interim, quæ odore longe debiliori pollent, ſat copioſum oleum largiuntur. Exempla nobis præbeant *Salvia*, *Ruta*, *radix Calami aromatici*, et *folia Sabinæ*. Tria priora ſubjecta, adhuc recentia, fortem quidem odorem emittunt, parum nihilominus olei ſuppeditant. Nam ex calami aromatici libris XXV. ſaltem una olei uncia elicitur: Rutæ libræ undecim vix unciam dimidiam, et æqualis ſalviæ quantitas circiter drachmas quinque

cum ſemiſſe reddunt; ſabina ex adverſo, licet debili ſaltem odore polleat, multum olei ſuppeditat. Inde igitur ſatis patet, quod ex majori, vel minori fragrantiæ gradu principii quidem ſpirituoſi, neutiquam vero olei ſubſtantialis quantitas certo cognoſci queat. Non innaſcitur quoque oleum promiſcue ſingulis plantarum partibus, ſed apud alias præcipue floribus, apud alias præcipue foliis, aut cortici, ligno, ſeminibus, fructibus, ingenitum hæret.

§. X.

Olea ætherea ex *tenerrimis particulis inflammabilibus*, *ſalino-acidulis*, *aqueis*, et *terreis*, interveniente ſpecifica et intima miſcela, arctiſſimaque cohæſione, in plantis demum generantur. Elementa hæc, quorum præſentiam, et neceſſarium concurſum uberrime pridem in *Pharmacologia* (a) demonſtravi, partim cum ſucco nutritio, plantas e tellure per radices intrante, adferuntur, partim per patula corticis atque foliorum vaſcula inhalantia ex aere ambiente ſeſe inſinuant, et caloris poſtea atque perennis circuli ope tamdiu attenuantur, donec ad ſubeundam laudatam unionem ſpecificam apta evadant. Vero tamen ſimillimum eſt, oleum non adeo diu in ſucco circulante hoſpitari, ſed ſenſim

ſenſim-

(a) pag. 146. et 196. ſequ.

ſenſimque poſt geneſin ſuam in veſiculas antea deſcriptas ſecedere.

§. XI.

Quanquam olea ætherea in genere ex iisdem elementis componuntur, mirifice nihilominus, ob ingentem compoſitionis varietatem, diverſiſſimamque ingredientium proportionem, quoad *odorem*, *ſaporem*, *colorem*, *fluiditatem*, *volatilitatem*, *gravitatem ſpecificam*, *acrimoniam*, *indolem calidam*, et *vires ſpecificas* ab invicem diſtincta inveniuntur. Numeroſiſſimis hæc ipſa exemplis probare protinus et illuſtrare vellem, niſi multa pridem hujus commatis in vix allegata *Pharmacologia* (*a*) dicta fuiſſent, et ſpecialior præterea ſimplicium ſelectiorum deſcriptio generali huic aromatico-balſamicorum conſiderationi ſuccederet: Quare hoc loco ſolam duntaxat HOFFMANNI tabulam, quæ relativam oleorum quorundam gravitatem concernit, ſubjungere placet. Eſt autem ſequens:

Vitrum, cujus tara, ſeu pondus proprium ʒij. et grana 42. æquabat, in lance exactiſſima poſtea pendebat, penitus repletum

oleo ligni ſaſſafras - - -	ʒvj. gr.	53.
- - caryophyllorum - - - -		52.
- - cinnamomi vero - - - -		51.
- - cinnamomi adulterato - - -		48.

carvi

(*b*) L. c. p. 196. ſequ.

- - carvi	- - - - - -	51.
- - aniſi	- - - - - -	50.
- - fœniculi	- - - - - -	50.
- - menthæ	- - - - - -	40.
- - olivarum	- - - - - -	40.
- - ſpicæ	- - - - - -	37.
- - terebinthinæ igne ſicco deſtill.	- - - -	37.
- - philoſophorum	- - - -	37.
- - ſchœnanthi	- - - - -	33.
- - terebinthinæ cum aqua deſtill.	- - - - - -	32.
- - majoranæ	- - - - -	30.
- - lavendulæ	- - - - -	30.
- - de citro Ital.	- - - - -	20.
ſpiritu vini rectificatiſſ.	- - - -	32.

§. XII.

Binis aromaticorum et balſamicorum principiis volatilibus, hactenus conſideratis, in plantis quibusdam, earundemque partibus tertium adhuc, in aliis nempe *tenerrimum camphoratum*, in aliis *ſiccum ſaliniforme*, jungendum venit. Prius, quod in capite ſpeciali de *Camphora* uberius demonſtrabo, ſiccum tantummodo, atque volatile concretum terreo-inflammabile eſt; poſterius autem verum ſal volatile eſſentiale, ſubſtantiali oleo æthereo modice imprægnatum *(a)* exhibet. Utrum-

(a) Vid. Cap. de Gummi benzoino.

Utrumque ex ſubjectis pleriſque, quæ illo inſtructa ſunt, deſtillationis aut ſublimationis ope, nunc facilius, nunc difficilius ſeparari poteſt, immo camphoratum in certis plantarum quarundam veſiculis, forma ſalis foliati, concretum cernitur. Vero præterea ſimillimum eſt, camphoratam ejusmodi ſubſtantiam, quamquam tenerrimam, ac valde diſperſam, in multis adhuc, e quibus hactenus nondum ſub deſiderata conſiſtentia educi potuit, latitare, quoniam fortem camphoræ odorem ſpirant. Notatu quoque dignum eſt, principium hoc ſubinde ipſis oleis æthereis copioſe immerſum eſſe, et ita temporis progreſſu in iis concreſcere, ut totum, vel quoad maximam tamen partem in conſpectum veniat; uti plura de ſingulis hiſce, in futura tractatione ſpecialiſſima paſſim videnda ſunt. *(a)*

§. XIII.

Principia fixa reſinoſa ac *gummoſa*, quæ generalius quoque conſideranda reſtant, raro, vel nunquam, perfecte pura ac ſolitaria in plantis balſamicis et aromaticis occurrunt, ſed ordinario mixta, h. e., *gummeo-reſinoſa*, aut *reſinoſo-gummea* reperiuntur, ita tamen ut in aliis ſubſtantia reſinoſa, in aliis gummoſa, aut craſſior mucilaginea prædominium obti-

(a) Conferri etiam hoc loco poſſunt, quæ in *Pharmacologia p. 199. ſequ.* de eadem materia dicta fuerunt.

obtineat. Magnopere præterea, æque ac volatilia oleoſo-ſpirituoſa, reſpectu ſaporis ac virium, differunt, etiamſi eadem elementa in naturali ſua mixtione recondita gerant, et memoratæ igitur diſcrepantiæ ratio unice in differenti elementorum proportione et compoſitionis ſeu mixtionis modo lateat. Nam quævis reſinoſa, deſtillationi ſiccæ in retorta vitrea aut terrea ſubjecta, *phlegma copioſum*, *liquorem acidum* aut tamen *acidulum*, et *oleum empyrevmaticum* largiuntur, *multumque terræ* in retortæ fundo relinquunt. Gummoſa et mucilaginea, ſi valde pinguia ſunt, eadem reddunt; ſin vero tenuiora et magis aquoſa, loco olei completi, tenerrimam duntaxat ſubſtantiam phlogiſtam, phlegmati immerſam, ſuppeditant. Probat quoque reſinoſi principii elementa ipſa ſyncriſis artificialis: Ex oleo enim vitrioli, aut alio acido minerali concentrato, et oleo quodam æthereo, v. g. terebinthinæ, aniſi, caryophyllorum &c., corpus reſinoſum naſcitur, quando decenti quantitate relativa miſcentur, et, incaleſcentia atque coagulatione peracta, blande exſiccantur.

§. XIV.

Inter olea ætherea et reſinas ac gummireſinas *Balſami liquidi naturales*, qui ſponte ex inciſis, vel fortuito ruptis arborum quarundam, aliarumque plantarum tubulis profluunt,

fluunt, medium quaſi locum, reſpectu conſiſtentiæ, indolis atque virium, obtinent. Quando mobili enim parte oleoſo-ſpirituoſa ſucceſſive in vaſis apertis, vel corticis etiam ſuperficie maximam partem privantur, in maſſas denſas, tenaces, duriuſculas, reſinoſas aut reſinoſo-gummeas degenerant: Quibus, addito quodam liquido ſpirituoſo, major tamen, immo ferme priſtina, fluiditas reddi poteſt; quemadmodum ea ex ſequenti HOFFMANNI experimento patent: „Sumitur, *ſcribit (a)*, maſtiches electæ albiſſimæ libra dimidia; pulveriſata cum æquali pondere ſalis exacte miſcetur in mortario, poſtea ſpiritus vini rectificatiſſimus in cucurbita adfunditur, ad eminentiam quatuor digitorum; leniori ſubmiſſo calore ſolvitur reſina in ſpiritu, et obtinetur eſſentia valde reſinoſa, quæ loco vernicis uſurpari poteſt; calore aucto, deſtillat in receptaculum ſpiritus, oleo ſubtili balſamico hujus reſinæ imbutus, et ſaporem et odorem maſtiches exacte referens. - - - In deſtillatione hujus ſpiritus illud notabile occurrit, quod reſiduum hujus ſolutionis ab abſtracto ſpiritu perfectum balſamum liquidum, inſtar terebinthinæ, vel balſami de Copaiva, quoad conſiſtentiam, repræſentet, et rectiſſime etiam balſamum maſtichinum vocari mereatur. &c. Idem quoque

(a) In Obſ. phyſico-chym. ſelect. p. 68. 69.

que cum gummi elemi, anime, benzoe, ſandaracha, et ſimilibus concretis ſuccedit.

§. XV.

Cum ſubſtantiis reſinoſis vegetabilibus *Bitumina balſamica mineralia* valde quoad elementa conveniunt, præterquam, quod, loco olei ætherei, ſingulare oleum minerale, vulgo *petroleum* et *naphta* dictum, mixtionem ingrediatur. Quando lithantraces enim ex retorta terrea loricata, ſicco ac forti igne, deſtillantur, *phlegma*, *liquor flaveſcens ſpirituoſus*, *odoris empyrevmatici*, *ſaporis oleoſo-aciduli*, tandemque *oleum empyrevmaticum*, primo *ſubtilius*, deinde *valde craſſum*, *piceum*, ac *nigrum* prodeunt, et collo retortæ, ut et receptaculi lateribus *ſal volatile*, *ſiccum*, *albicans*, *acidulum*, adhæret, nihilque amplius, niſi *caput mortuum terreum*, *nigrum*, *iners*, in retortæ fundo relinquitur. Eadem pariter, quanquam ſubtiliora paullulum ac longe gratiora, ſuccinum, ambra *(a)*, et concreta ſimilia poſt violentam deſtructionem largiuntur.

§. XVI.

Longius multo, quam bituminoſa mineralia, a gummi-reſinis vegetabilis proſapiæ, reſpectu naturæ, elementorum ac generationis, *Balſamica illa concreta* recedunt, quæ regnum

(*a*) Vid. Cap. de Succino et Ambra.

gnum animale offert. Occurrunt nempe, poſt ſecretionem e ſanguine, vel ſub *pinguedinis*, nunc liquidioris, nunc ſpiſſioris oleoſo-unguinoſæ butyraceæ, vel *corporis grumoſi durioris* forma, et in certis quoque animantium folliculis, et celluloſo-glanduloſis receptaculis colliguntur. Conſtant ex *ſubſtantia craſſiori unguinoſa*, aut *unguinoſo-terrea*, quæ matricem quaſi ac receptaculum conſtituit, et *tenerrimo quodam*, adeoque *exhalabili*, ac *fragrantiſſimo principio oleoſo-inflammabili*. Valde cæteroquin probabile eſt, principium ſalinum, quod ad olei formationem concurrit, non acidæ, ut in oleis plantarum ac mineralium, ſed magis *urinoſæ* indolis eſſe, quoniam Zibethum &c., diutius in vaſculo argenteo adſervatum, colorem illi cœruleum paſſim inducit. Sine dubio iſtud in animantium corpore ex ſale cruoris ammoniacali reſuſcitatur, vel, caloris et perennis circuli beneficio, ex terra teneriori, acido ſucci nutritii, nondum ſubacto, et pauciſſima ſubſtantia oleoſo-inflammabili ſenſim prognatum, reliquis principiis conſtitutivis ita ſub actu ſecretionis jungitur, ut memoratæ maſſæ pingues, unguinoſo-balſamicæ, æque, ac bilis, interveniente ſingulari atque ſpecifica compoſitione, naſci queant.

CAPVT II.

DE MODO OPERANDI ATQVE VIRTVTIBVS BALSAMICORVM ET AROMATICORVM.

§. I.

Activitas medica ſimplicium balſamicorum et aromaticorum partim volatili oleoſo-ſpirituoſo, partim fixo gummeo-reſinoſo aut reſinoſo-gummeo principio adſcribenda venit. Illud, poſt adſumtionem, blando ventriculi calore facile expellitur, et in tenerrima ac mobiliſſima effluvia mutatur; hoc autem a liquore gaſtrico, calore non minus, quam motu ventriculi periſtaltico adjuvante, ſolvitur, extrahitur, et a portione terrea recrementitia ſeparatur.

§. II.

Reſoluta pars oleoſo-ſpirituoſa notabilem quidem effectum, tum reſolvendo atque diſcutiendo contenta, tum ardendo quaſi ac vellicando ipſas tunicas, in ventriculo edit, non adeo longas tamen moras in hujus et inteſtinorum cavo trahit, ſed, brevi elapſo tempore, ob eminentem, qua pollet, ſubtilitatem ac mobilitatem, per vaſa lactea et reliqua inhalantia et abſorbentia lymphatico-venoſa, ad humores circulantes progreditur, ibidem-

ibidemque, calore ac motu inteſtino attritorio magis magisque attenuatum, et in minutiſſimas moleculas diviſum, per machinæ univerſæ receſſus diſſeminatur, valideque ſub tranſitu ſuo per vaſa, canalium quorumvis parietes nervoſo-membranaceos et muſculoſos, mediante ſingulari quodam ardore, irritat, globulos ſanguinis, ceterorumque humorum particulas ſecum in motum velociorem rapit, principia cruoris ſalino-oleoſo-inflammabilia expandit, influxum liquidorum moventium in fibras ſolidorum motrices vegetiorem reddit, ſubſtantiali materiæ igneſcentis miſcela, materiam calorificam auget, adeoque vario modo vim contractilem, et actualem totius generis nervoſo-muſculoſo-membranacei contractionem, cum inde pendente velociori humorum circuitu, et majori fluiditate *(a)* atque calore, egregie ſuſcitat, et intendit: Hinc aliter fieri nequit, quin preſſo ſtatim pede aliqua ſolidorum exſiccatio, et largior partium exhalabi-

 lium,

(a) Virtus reſolvens partim ab aucta ſolidorum vi contractili, et velociori ac validiori contractione actuali, partim ab introitu, et immediata partis ſpirituoſæ mobiliſſimæ miſcela dependet. Quemadmodum enim ſubtile hoc principium craſſas atque tenaces ſubſtantias reſinoſas et gummeo-reſinoſas, ceu oleorum matrices, durante unione, in decenti fluiditate conſervare, immo eandem reſtituere valet; ſic nulla plane ratione dubitandum eſt, quin ſimiles vires in juſto craſſiores animantium humores exſerere queat.

lium, mobiliumque per cutis foraminula diſcuſſio, adeoque diaphoreſis, et in aliis pariter organis copioſior ſe-et excretio ſuperveniant.

§. III.

Ex indicatis effectibus generalibus, principio oleoſo-ſpirituoſo, niſi unice, maxime tamen tribuendis, facili poſtea negotio virtutes ſpecialiores atque ſpecificæ, quas dudum multiplex comprobavit experientia, *nervina* nempe, *cephalica*, *cardiaca*, *pectoralis*, *carminativa*, *ſtomachalis*, *anthelmintica*, *uterina*, *aphrodiſiaca* &c., deduci poſſunt, ac ſolide explicari. Monendum tamen, virtutem roborantem non ſolo fortiori ac velociori humorum in fibras motrices influxu niti, ſed ſimul quoque ab exſiccatione, eidemque ſuccedente majori ſolidorum denſitate et compactiori textura derivandam eſſe. Quo denſiora enim motus organa ſunt, eo quoque robuſtiora exiſtunt, eoque validiorem actionem in fluida, et hæc vice verſa in ſolida exercent, ita, ut motuum augmenta, et vigor actionum in ſolidis ac fluidis corporis partibus mutuo ſequantur.

§. IV.

Quamvis virtutes allegatæ communes exiſtant, et ſingulis ſimplicibus aromaticis et balſamicis in genere competant, aliæ nihilominus in hiſce, aliæ in illis eminentiores

ac

ac magis propriæ reperiuntur; cujus differentiæ ratio partim in ſpecifico principii volatilis oleoſo-ſpirituoſi genio, partim in diſtincta ſociatæ ſubſtantiæ fixæ gummeo-reſinoſæ, aut reſinoſo-gummeæ indole latet. Nam ſubſtantiæ dulces ſimul demulcent et abſtergunt, et ſubjecta igitur, quæ ejusmodi principio fixo inſtructa ſunt, majores vires pectorales exſerunt; ſubſtantiæ fixæ amaræ magis roborant, validiusque urinam pellunt, et ſubjecta hujus commatis aliis, reſpectu virtutis ſtomachalis, anthelminticæ, antifebrilis &c., præferenda ſunt, et fixæ denique ſubſtantiæ auſteriuſculæ modice adſtringunt, et roborantem proinde, ſtomachalem, aliasque virtutes augent. Singularem quoque annotationem *ſiccum* atque *volatile principium camphoratum* meretur, quod multis plantis aromaticis et balſamicis ineſſe, ſupra demonſtratum fuit. Hoc quippe, purum tamen et a reliquis principiis perfecte ſeparatum, ſingulari plane modo, quem alibi fuſius explicabo *(a)*, notabile refrigerium corpori adfert; ſub nativa autem mixtione cum cæteris reſolvendi ac diſcutiendi vires mirifice intendit.

§. V.

Solida modi operandi, viriumque generalium cognitio uſum ſpecialiſſimum facile mani-

(*a*) Cap. de Camphora.

manifeſtum reddit, et inde protinus perſpicere licebit, quod aromatica et balſamica in omnibus profutura ſint morbis, quorum cauſſæ potiores ad imbecillitatem, flacciditatem, nimiamque humiditatem partium ſolidarum, vel etiam ad liquidi nervei penuriam, depreſſionem caloris naturalis, abundantiam partis ſeroſo-lymphaticæ, et ſanguinis, cæterorumque humorum craſſitiem, viſcoſitatem, inertiam ac variam impuritatem, adeoque in genere ad torpidam ſolidorum contractionem, languidumque humorum circuitum, et imminutas aut plane ſuppreſſas ſe-et excretiones redeunt. Quare ſpecialius quoque huc referri merentur debilitas memoriæ, vertigo idiopathica, apoplexia pituitoſa, adfectus ſoporoſi, coryza, cephalalgia rheumatico-catarrhalis, hemicrania, paralyſis membrorum, lipothymia, et ſyncope, otalgia, odontalgia ſeroſo-pituitoſa, tinnitus *(a)*, et adhuc magis ſuſurrus aurium, obauditio, ſurditas,

(a) Non promiſcue aromatica et balſamica calidiora in aurium tinnitu locum inveniunt. Nam, quoties hic adfectus forti ſanguinis a partibus inferioribus ad partes ſuperiores congeſtioni originem debet, impetuoſum adfluxum magis augent, quam minuunt, adeoque magis nocent, quam proſunt: Sin vero a copioſo impuritatum mucidarum decubitu, indeque naſcente multorum cerebri vaſculorum obſtructione dependet, valide diſcutiunt, reſolvunt, aperiunt, roborant, ac multum itaque ad tinnitus curationem conferunt.

ditas, imbecillitas viſus, incipiens gutta ſerena, et cataracta, ophtalmia ſeroſa, melancholia, epilepſia, praeſertim idiopathica, nec minus raucedo, tuſſis, dyſpnoea, aſthma pituitoſum et cachecticum, catarrhus ſuffocativus, colica et cardialgia vere flatulenta, vitia digeſtionis et adpetitus, obſtructio hepatis, lienis ac meſenterii chronica, hydrops aſcites, paſſio hypochondriaca et hyſterica, defectus et ſuppreſſio fluxus menſtrui, lochialis, et hæmorrhoidalis, fluor albus, ſterilitas, partus difficilis, retentio placentæ uterinæ, prolapſus uteri et inteſtini recti, impotentia virilis, vomitus, diarrhoea, lienteria, coeliaca, cachexia ſimplex et icteritia, adfectus ſcabioſi, venerei, ſcorbutici, rheumatici et frigidi arthritici, vermes, febres intermittentes, et continuæ catarrhales atque malignæ, immo, varia venena animalis ac vegetabilis proſapiæ, et morbi complures alii, quos rationalis pathologiæ gnari facile determinare poterunt.

§. VI.

Præter indicatum multiplicem et egregium uſum internum, pleraque ampliſſimum quoque externum obtinent, et opem omnino eximiam diſcutiendo ac roborando ferunt, quando in debilitate capitis et memoriæ, coryza et gravedine rebelli, hemicrania, cophoſi, imbecillitate viſus, nec non in para-

lyſi membrorum, doloribus arthriticis et rheumaticis, adfectibus oedematoſis, tumoribus glandularum, odontalgia, colica, anaſarca, tympanitide, inflammationibus eryſipelaceis, aliisque, debilitate ligamentorum, &c., ſub forma epithematum ſiccorum, ſacculorum, cucupharum, vel in vulnerum quoque atque ulcerum inflammationibus, contuſionibus, et puncturis nervorum cum vino calido adplicantur. Creberrime quoque pulveres dentifricios, et cyprios, nec minus cataplasmata, decocta travmatica, unguenta, linimenta, emplaſtra, ſuffimigia, gargarismata, in laxitate uvulæ, angina ſpuria, ſtomacace &c. maxime proficua, itemque balnea, pediluvia, et inſeſſus uterinos, in ſterilitate, fluore albo, ſuppreſſione menſium &c. nonnunquam utiliſſimos, ingrediuntur.

§. VII.

Cognitis præcipuis ægritudinum ſpeciebus, quibus pharmaca hujus claſſis plerumque egregie medentur, facile pariter ſubjecta, quibus nocent, nec minus morbi, in quibus nullum locum inveniunt, cognoſci poterunt: Non conducunt nempe, præſertim calidiora, hominibus bilioſis, cholericis atque plethoricis, nec tuto quoque exhibentur in morbis, qui ex nimia fibrarum ſiccitate atque ſtrictura, contractione ſolidorum juſto celeriori, ac fortiori, defectu ſeri, et partium bilio-

biliosarum, aliarumque ſalino-oleoſo-inflammabilium abundantia, nec minus congeſtione, ebullitione atque orgaſmo cruoris, et inde neceſſario promanante motuum augmento proficiſcuntur. Secundum ſummum tamen rigorem memorata nequaquam intelligenda ſunt: Varii enim dantur morbi, qui proxime quidem et immediate ex motibus ſolidorum exorbitantibus naſcuntur, et fortiora nihilominus commoventia non ſolum ferunt, ſed etiam ad ſui curationem poſtulant, quoniam virulenta ſcilicet, corrupta, ac ſimul valde tenax materia quædam, vel fluidis mixta, vel tubulis minoribus hinc inde pertinaciſſime inhærens, præternaturali motuum augmento occaſionem præbet, et ſolida ſenſibilia atque elaſtica continuis ſtimulis ad violentiorem contractionem tamdiu impellit, donec penitus per apta organa excludatur; quemadmodum hæc febrium quarundam, venenorum animalium ac vegetabilium, dyſenteriæ, colicæ, cardialgiæ, immo epilepſiæ et morborum ſimilium curatio abunde probat. Sub cujuscunque enim morbi curatione vera medicus rationalis non tantum de mitigando motu præternaturali, et profliganda cauſſa formali, ſed ſimul quoque de corrigenda cauſſa materiali ſollicitus eſſe debet, quoniam hæc illam ordinario producit, et hac igitur præſente ac perdurante, illa ceſſare nequit.

CAPVT III.

DE RADICIBVS ZEDOARIÆ, ZINGIBERIS, ATQVE CVRCVMÆ.

§. I.

ZEDOARIA, Zittwer, Zittwer-Wurtzel, quæ etiam *Zaduaria*, *Zadura*, *Zadera*, *Zerumbeth* SERAPIONIS &c. vocatur, in *rotundam* ac *longam* diſtinguitur. Hæc virtute illam nonnihil ſuperat, et unice proinde in Officinis noſtris venalis proſtat. Radix eſt brevis, compreſſa, quodammodo tuberoſa, paucis ſolummodo fibris intertexta, craſſitie digiti minoris, colore foris albido, ad luteum, aut fuſcum, aut gryſeum vergente, intus ſubfuſco aut cinereo-ſubluteo, odore fragrante, camphorato, ſapore aromatico et amaricante. Rotunda plerumque colorem gryſeum obtinet, quoad reliquas vero proprietates cum longa convenit, præterquam, quod debilior ſit, et minorem ſubſtantiæ camphoratæ quantitatem in mixtione foveat. Nonnulli utramque unius ejusdemque plantæ radicem eſſe, et rotundam caput quaſi ſeu partem radicis ſuperiorem, longam vero truncum ſeu partem inferiorem conſtituere, perhibent; alii ex adverſo, quorum relationi major in hoc paſſu fides habenda eſt, diſtincta-

ſtinctarum prorſus plantarum radices judicant, et plantam, quæ ex longa progerminat, ac folia, iridis aut cannacori junioris foliis haud diſſimilia, habet, *Zingiber latifolium ſylveſtre*, alteram vero, rotundæ nimirum radicis progeniem, *Colchicum Zeylanicum* vocant. Creſcunt in *China*, *Bengala*, *Malabaria*, *Ceylonia*, aliisque Indiæ orientalis locis, optima tamen Zedoariæ longæ ſpecies ex inſula Ceylania adfertur.

§. II.

Radix Zedoariæ longa bonæ notæ, h. e. integra, recens, carie nondum correpta, ponderoſa, compacta, parum fibroſa, et intus ſaturato colore fuſco-cinereo donata, *copioſis* ac *valde activis* gaudet *principiis*, tam *volatilibus oleoſo-ſpirituoſo-camphoratis*, quam *fixis reſinoſo-gummeis*. Oleum æthereum, cujus unica circiter drachma ex integra Zedoariæ libra obtinetur *(a)*, craſſiuſculum eſt ac ponderoſum, et quoad maximam ideo partem in aqua deſcendit. Portio, quæ primum expellitur, limpida et comparative levior exiſtit, deinde autemirideſcens, tandemque nigricans ſequitur. Principium ſpirituoſo-camphoratum non tantum ex ipſius radicis et aquæ deſtillatæ odore fragrantiſſimo camphorato cognoſcitur, ſed ita quoque humida

(a) Vid. Neumanni Prælect. chemico-pharmacevt. p. 1212.

humida deſtillatione ac ſublimatione, præſertim ex radicibus recentibus *(a)*, ſeparari poteſt, ut in conſpectum veniat, et vera camphora ſubſtantialis, quanquam tenerrima, ſub ſquamularum tenuiſſimarum, albicantium ac ſplendentium forma, aquæ ſuperficiei paſſim innatet. Subſtantia fixa gummoſa reſinoſam ſapore et odore camphorato, adeoque etiam activitate medica ſuperat, et majori præterea quantitate inhæret. In una enim radicis uncia binæ circiter drachmæ, totidemque ſcrupuli ſubſtantiæ gummoſæ, et vix ſcrupulus unus aut drachma dimidia ſubſtantiæ puræ reſinoſæ latent. Infuſum aquoſum colore fuſco, ſapore ſubacri, amaro et camphorato gaudet, eundemque, quem ipſa radix contuſa, odorem naribus imprimit. Extractum, inde paratum, longe debilius eſt, et odore ferme caret; manifeſto documento, partes præcipuas, volatiles nempe oleoſo-camphoratas, ſub evaporatione abiiſſe in auras. Infuſum ſpirituoſum colorem flavo-rubicundum obtinet, et ſapore amaro atque acri aquoſum ſuperat, odore autem et ſapore camphorato multo inferius reperitur. Eadem pariter de extracto inſpiſſato dicenda ſunt, præterquam, quod hoc longe majori amaritie et acrimonia præditum inveniatur, et eminentem igitur fervoris ſenſum

(a) Conf. Miſcell. A. N. C. G. Ann. IX. et X. Obſ. 196. no. 14.

ſenſum aliquamdiu in lingua ac faucibus relinquat.

§. III.

Vires medicæ hujus radicis maxime quidem volatili principio oleoſo-camphorato adſcribendæ ſunt, valde nihilominus activitatem ejus fixa quoque principia reſinoſo-gummea augent. Militat inter efficaciſſima, tametſi paullo calidiora, medicamenta *diſcutientia*, *ſudorifera*, *alexipharmaca*, *pectoralia*, *cardiaca*, *ſtomachalia*, *carminativa*, *anthelmintica* et *uterina*, ac, rite uſurpata, eximium ſubinde auxilium in morbis exanthematicis, febribus malignis et catarrhalibus, adfectibus frigidis rheumaticis, cachecticis et oedematoſis, tuſſi et aſthmate pituitoſo, anxietatibus præcordialibus, dyſpepſia, dyſorexia, vomitu, diarrhoea mucoſa, cardialgia et colica vere flatulenta, fluore albo, ſuppreſſione menſium chronica, partu difficili, et placentæ uterinæ retentione præſtat. Incolæ Ceyloniæ tanti eam æſtimant, ut omnibus ferme medicamentis aliis præferendam ducant. Addunt proinde ſingulis præparatis ſuis, et multi recentem, ad corrigendam ventriculi imbecillitatem, cum oryza commedunt: Alii farinam ejus cum juſculo bibunt, alii illam manducant, et halitu, quem ore emittunt, culices, aliaque inſecta alata, in regionibus orientalibus noctu valde moleſta,

ſta, abigunt, imo nonnulli ſaltem manu tenent, aut, amuleti inſtar, collo ſuſpendunt, et hac quoque ratione corpus ſuum contra morbos varios, maxime autem putridos contagioſos, optime ſeſe tueri credunt *(a)*. Exhibetur in eſſentia et infuſo vinoſo, et creberrime pariter pulveres, electuaria, pilulas, atque potiunculas ingreditur. In ſubſtantiā datur a paucis granis ad ſcrupulum ſemiſſem, in infuſo vinoſo autem a drachma dimidia ad integram. In officinis quoque radix condita proſtat, quæ remiſſior eſt, et majori proinde quantitate adſumi poteſt. Externe inter cataplasmata, vulneribus, venenato cruore aut putrido ichore turgidis, imponenda, nec minus inter decocta anthelmintica recipitur.

§. IV.

Cum Zedoaria quoad multa ZINGIBER ſive ZINZIBER convenit: Radicem enim ſiſtit brevem, tuberoſam, nodoſam, ramoſam, paullulum compreſſam, ac multis fibris donatam, coloris intus albicantis aut flavofuſci, foris albidi, ſublutei, aut fuſco-rubeſcentis, ſaporis valde acris aromatici, odoris fragrantis quidem, aſt debilioris, ac minus camphorati, quam Zedoaria. Planta, *Zingiber anguſtifolium*, *Zingiber foemina*, itemque

(a) Conf. Miſcellan. A. N. C. G. Dec. II. Ann. 3. Obſ. 208.

que, ob foliorum ſimilitudinem, *Iris latifolia tuberoſa flore albo* dicitur, et in multis Indiæ orientalis inſulis ac regionibus non tantum ſponte creſcit, ſed hic pariter, et in America in locis calidis ac ſimul humidis ſtudioſe colitur. Zingiber ſylveſtre, absque cultura in tractibus paluſtribus adoleſcens, ſativo ignobilius exiſtit, et huic igitur, intuitu uſus medici, poſtponendum eſt.

§. V.

PAVLVS HERMANNVS *(a)*, aliique Zingiberi naturam alcalinam tribuunt; aſt citra ullum fundamentum ſolidum. In naturali enim mixtione ejus, præter inertes partes terreas, nil, niſi *tenerrimum principium ſpirituoſo-camphoratum*, *oleum æthereum*, et *fixa ſubſtantia reſinoſo-gummea*, demonſtrari poteſt, immo, ſub deſtillatione ſicca, et nativæ mixtionis deſtructione, non merum ſal alcalicum, nove genitum, ſed ſimul quoque multum acidi prodit. Siccum principium camphoratum ex radicibus vetuſtioribus et diutiſſime exſiccatis conſpicua mole vix quidem, aut ne vix, ſeparari poteſt, in India tamen cum recenti Zingibere ſylveſtri optime id ſuccedere IO. OTTO HELLBIGIVS teſtatur *(b)*. Oleum ſubſtantiale æthereum, cujus unica circiter drachma ex integra Zingiberis

(*a*) Vid. Cynoſ. Mat. Med. p. 10.
(*b*) In Miſc.. A. N. C. G. Ann. IX. et X. Obſ. 196.

giberis libra humida deſtillatione elicitur, valde temperatum eſt, ac multum in hoc paſſu a longe calidiori Zedoariæ oleo differt. Subſtantia fixa reſinoſa ac gummea arcte invicem mixta eſt, et difficillime igitur prior extractionis ope a poſteriori ſeparatur: Infuſum aquoſum primum colore flaveſcente, ſapore acri, urente, et ipſius Zingiberis odore gaudet. Inſpiſſatum extractum odore ferme deſtituitur, ſaporem tamen valde acrem ac fervidum obtinet. Pendet, ſi una radicis uncia recepta fuit, circiter drachmas duas. Infuſum ſpirituoſum primum, cum æquali Zingiberis quantitate blandæ digeſtionis beneficio paratum, colorem ſaturate aureum, odorem debilem, qui magis ſpiritum vini, quam radicem prodit, et ſaporem vehementiſſime urentem, atque pungentem poſſidet. Extractum, quod plerumque drachmam ſemiſſem, vel ſcrupulos duos pondere æquat, coloris flavo-ſubfuſci eſt, et naribus debilem odorem, linguæ autem ſaporem fervidum atque acerrimum imprimit.

§. VI.

Zingiber, etſi ſaporis acredine valde præpolleat, ob blandam nihilominus olei eſſentialis, ceu principii activi potioris, indolem, Zedoaria longe temperatius deprehenditur, et operationem ſuam magis irritando et incidendo, quam commovendo, in corpore exer-

exercet. Iure igitur inter medicamenta *ſtimulantia*, *attenuantia*, *ſtomachalia*, *carminativa* et *aphrodiſiaca* referendum eſt, quae toties inprimis utiliſſima reperiuntur, quoties motus ventriculi periſtalticus, aliarumque partium contractiones languent, et ob pravam ideo eſculentorum digeſtionem larga impuritatum viſcidarum ac flatuum generatio accidit. Plerumque, condimenti loco, juſculis, aliisque ciborum generibus additur, et ſubinde etiam pulveres, electuaria, infuſa vinoſa, &c. ingreditur. In ſubſtantia non facile ultra ſcrupulum dimidium, praeſertim apud ſubjecta ſicca, macilenta, cholerica, exhibendum eſt, conditum vero, quod pariter in Officinis proſtat, majori doſi adſumere licet.

§. VII.

Zingiberi atque Zedoariae, ob formae atque naturae, immo ipſius plantae, ſimilitudinem, CVRCVMAE RADICEM Gilbwurtzel, Curcumey, quam nonnulli etiam *Zingiber flavum*, *Crocum Indicum*, *Crocum terreſtrem*, itemque *Terram meritam* &c. vocant, eodem capite jungere, nullus dubito. Dividitur in *longam* et *rotundam*.) Longa, quae in officinis noſtris praecipue venditur, et rotunda, intuitu uſus medici, longe praeſtantior judicatur, oblonga, nonnihil tuberoſa, nodoſa, ac ponderoſa eſt; colore foris ſubluteo, intus croceo, in vetuſtiori tamen valde ad pu-

niceum vergente, odore aromatico, naribus quorundam paullulum ingrato, ſapore pingui, ſubacri et ſubamaricante. Rotunda atque perfecte tuberoſa, reſpectu coloris, odoris et ſaporis, longæ valde quidem analoga exiſtit, minus tamen aromatica, et ignobilioris, uti dictum, indolis deprehenditur, adeoque rariſſime in uſum medicum trahitur.

§. VIII.

Paſſim in *India orientali*, maxime in *Malabaria*, *Cananor*, *Calecut* &c., creſcit, indeque ingens ejus quantitas ad Europæas non minus, quam Aſiaticas et Africanas gentes evehitur. Planta, cujus folia Cannæ Indicæ junioris folia ratione formæ æmulantur, inter Zingiberis ſpecies numeratur, et ideo etiam *Zingiber flavum* dicitur. Radix longa, quæ ſola officinalis eſt, ex *partibus terreis*, *reſinoſis*, *gummoſis*, *oleoſis*, et *ſpirituoſo-camphoratis* componitur. Camphora ſubſtantialis in radice ſicciori difficilius demonſtratur, ex recenti vero, præſertim copia majori experimento adhibita, interdum conſpicua, tametſi valde exigua, mole educi poteſt. *(a)* Oleum æthereum, quod aureo colore et ſatis forti ſapore et odore pollet, parciſſime quoque inhæret, et integra radicis libra vix ſcrupulum unum vel drachmam ſemiſſem largitur. Infuſum aquoſum primum coloris flavo-

(a) Conf. Miſc. N. C. G. l. c.

flavo-ſpadicei eſt, et linguæ ſaporem amaricantem ac nauſeoſum balſamicum, naribusque ipſius radicis odorem imprimit. Extractum, inde poſt inſpiſſationem reſultans, odore curcumæ, colore fuſco, ad nigredinem vergente, et ſapore blande aromatico, amaricante, et ſalſo, qui poſtremus fortiſſimus eſt, donatum reperitur. Ex uncia una paratum, binas ferme drachmas pondere æquat. Infuſum ſpirituoſum primum ſeſe elegantiſſima rubedine commendat, digitos tamen, latera vitri, vaſa argentea &c. crocea flavedine tingit, odore magis ſpiritum vini, quam curcumam, prodit, et guſtu exploratum ſatis acre, aromaticum ac ſimul nauſeoſum deprehenditur. Docent hæc examina, principium gummoſum ac reſinoſum quantitate ferme æquali, et adeo quoque mixtum inhærere, ut alterum ab alterius conſortio extractione perfecte liberari nequeat: Immo, ex ſpeciali eductorum contemplatione patet, activitatem hujus radicis non ſoli principio volatili oleoſo-ſpirituoſo, ſed ſimul quoque fixo gummeo-reſinoſo adſcribendam eſſe.

§. IX.

Blande reſolvendo, abſtergendo, commovendo ac diſcutiendo in corpore agit, et in ictero proinde, præſertim cachectico, inertia bilis, adfectibus flatulentis, febribus intermittentibus, hydrope aſcite, nephritide

pituitoſo-ſabuloſa, fluore albo, obſtructione menſium, partu difficili &c. efficaciſſima ac plane ſpecifica deprehenditur. In India orientali ab incolis plerisque inter præcipua eſculentorum condimenta refertur, et cibis ferme omnibus, croci aut Zingiberis loco, additur. Apud nos pulveres, infuſa vinoſa, et electuaria, immo emplaſtra et unguenta roborantia ac diſcutientia &c. ingreditur. Doſis in pulvere a granis aliquot ad ſcrupulum unum, in infuſo autem a ſcrupulo ſemiſſe ad drachmam integram adſcendere poteſt.

* *

CAPVT IV.

DE RADICIBVS CYPERI ET GALANGÆ.

§. I.

Duplex CYPERI radix in Officinis proſtat, *longa* nimirum et *rotunda*. Hæc olivæ magnitudine eſt, ſcabra, multis fibris tenuibus, paſſim, pilorum quaſi inſtar, ex capite prodeuntibus, inſtructa, colore foris ferrugineo aut rufo, intus albo vel ex albido nonnihil flaveſcente aut rubeſcente, vel ſubfuſco, ſapore ſubacri, amaricante, ac blande aromatico, odore grato, et in recentiori ſatis fragrante: Illa autem ob-

longa

longa reperitur, tenuis, nodoſa, geniculata, contorta, fractu difficilis, coloris in externa ſuperficie fuſco-nigricantis, intus albidi, odoris grati, et ſaporis, æque ac præcedens, ſubacris, amaricantis et aromatici. Cyperus rotundus in *Ægypto*, *Syria* &c. ſponte circa flumina creſcit; longus vero *Indiam orientalem* præcipue agnoſcit patriam, licet ignobilior quoque ſpecies in *Sicilia*, *Italia* et *Gallia* hinc inde obvia ſit. Uterque cæteroquin ad plantas graminifolias ac junciformes pertinet.

§. II.

Alii cyperum longum, alii rotundum præſtantiorem judicant, aſt differentiam reſpectu virtutum non adeo magnam eſſe, examina chemica quodammodo oſtendunt. Utraque enim radix, præter *odoratum principium oleoſo-ſpirituoſum*, ejusdem ferme indolis *ſubſtantiam fixam reſinoſo-gummeam* poſſidet, et *terreis* inprimis *partibus* ſcatet. Oleum ſubſtantiale, ob exiguam, qua inhæret, quantitatem, ſeparari nequit, niſi magna radicis quantitas una vice humidæ deſtillationi ſubjiciatur; quare præſentiam ejus ex fragrante aquæ abſtractæ odore ſuſpicari magis, quam demonſtrare licet. Infuſum rotundæ aquoſum colore aureo, odore ſatis fragrante, ſapore modice amaricante et aromatico gaudet, et poſt inſpiſſationem extra-

ctum relinquit coloris ſordide ferruginei, odoris debilis fragrantis, ſaporis amari et aromatici, quod, ex integra uncia ſeparatum, circiter drachmas duas, totidemque ſcrupulos pendet. Infuſum ſpirituoſum primum colore aurantio eſt, odore magis ſpiritum vini, quam radicem, prodit, et ſapore ſatis acri, atque amaricante pollet. Extractum colore fuſco-rubente, odore debili aromatico, ſapore ſubacri et amaro donatum eſt, ac linguæ ſub deguſtatione pertinaciter adhæret. Ex uncia radicis una circiter drachmas duas, totidemque ſcrupulos obtinui.

§. III.

Infuſa et extracta, ex radice cyperi longa leni digeſtione et evaporatione parata, a prioribus parum diſtincta reperiuntur; Nam infuſum aquoſum primum, licet colore obſcure rubro, ad nigrum vergente, tinctum ſit, eundem odorem et ſaporem, quem præcedens aquoſum, obtinet, præterquam, quod amarities paullo major deprehendatur. Extractum inſpiſſatum magis differre videtur: Colore enim fuſco-nigricante, et ſapore ſubacri, amaro, et ſubadſtringente pollet, odore autem penitus ferme deſtituitur. Minori præterea quantitate gummoſam hanc ſubſtantiam in radice cyperi longa adeſſe, manifeſtum eſt, quoniam extractum, etiamſi

eadem

eadem radicis portio extractioni adhibeatur, nondum quinque ſcrupulorum pondus perfecte explet. Infuſum ſpirituoſum primum colore flavo-rubeſcente ſeſe commendat, et, præter debilem odorem balſamicum, ſaporem amaricantem et aromaticum poſſidet. Parum itaque vel nihil ab infuſo ſpirituoſo radicis cyperi rotundæ differt. Maſſa inſpiſſata coloris flavo-ac rubro-fuſci eſt, et odoris, ferme inſtar rob ſambuci, debilis balſamici, ſaporis amari et aromatici. Ex uncia radicis una ſeparatum, drachmas duas et aliquot grana pendet.

§. IV.

GALANGA MAIOR et MINOR groſſer und kleiner Galgan, cyperi radicibus valde analoga deprehenditur. Minor, quæ præſtantior eſt, radicem ſiſtit tuberoſam, nodoſam, craſſitie digiti minoris, colore foris ſpadiceo, ſive ex fuſco rubeſcente, pallidioribus geniculis circularibus hinc inde diſtincto, intus rufo, aut ex rufo-albicante, odore fragrante, et ſapore acri, aromatico, ac paullulum ſubadſtringente præditam. Planta in *China*, et aliis quibusdam *Indiæ orientalis* tractibus creſcit, ibidemque, teſte HERMANNO (a), *Lagondi* dicitur. Nonnulli minorem hanc galangam etiam *Galangam Chinenſem*, itemque *Cyperum Babilonicum* vocant.

(a) Lib. cit. p. 8.

§. V.

Galanga major cum minori maximam partem convenit, præterquam, quod pollice utplurimum craſſior ſit, et ingratiori odore ac ſapore, adeoque ignobiliori etiam indole medica gaudeat. Rarius igitur, ob rationem indicatam, in uſum medicum trahitur, et in pauciſſimis ſaltem officinis hodie venalis proſtat. Planta *Banchabe* nuncupatur, ac ſponte in *Malabaria*, *inſula Java*, *Sunda* &c. provenit.

§. VI.

Mixtionem naturalem galangæ minoris, quam ſolam ulteriori contemplationi ſubmittam, *principium ſpirituoſo-camphoratum*, *parum olei eſſentialis ætherei*, *copioſa ſubſtantia gummea*, *reſinoſa* parcius mixta, et *multæ partes terreæ inertes* ingrediuntur. Partes ſpirituoſo-oleoſæ non tantum ex odore fragrante patent, ſed humida etiam deſtillatione demonſtrari poſſunt, etiamſi integra radicis libra vix drachmam unam olei ſubſtantialis reddat. Sicca ſubſtantia camphorata rariſſime in conſpectum venit, niſi major radicis recentis *(a)* quantitas deſtillationi ſubjiciatur. Infuſum aquoſum primum odore fragrante, ſapore ſubacri ac paullulum aromatico, et colore fuſco-rubente gaudet. Inſpiſſatum,

(a) Conf. Miſcell. A. N. C. G. Ann. IX. et X. Obſ. 196.

ſatum, recepta radicis uncia una, circiter drachmas duas, totidemque ſcrupulos pendet, et ſatis acrem atque urentem ſaporem poſſidet. Infuſum ſpirituoſum primum, ex æquali radicis quantitate paratum, debiliori quidem odore, quam aquoſum, pollet, ſapore tamen acri ac fervido longe iſtud ſuperat, et rubro præterea colore ſeſe commendat. Poſt blandam evaporationem binos plerumque ſcrupulos maſſæ rubro-fuſcæ relinquit, quæ primo ſubadſtringentem et aromaticum, deinde, piperis acerrimi inſtar, tam mordacem atque urentem ſaporem linguæ imprimit, ut duo grana, aliquamdiu in ore detenta, apud ſubjecta ſicciora ac ſenſibiliora faucium atque palati inflammationem excitare poſſe, credam. Notatu quoque dignum eſt, extracti utriusque ſuperficiem ſubinde ſplendentibus ac valde acribus miculis ſalinis paſſim conſperſam cerni; unde ingentis acredinis ratio quodammodo innoteſcit.

§. VII.

Militat hæc radix, quæ in ſubſtantia ſeu pulvere, a granis aliquot ad ſcrupulum unum, in infuſo vinoſo autem a ſcrupulo uno ad drachmam integram exhiberi poteſt, inter activa medicamenta *nervina*, *cephalica*, *ſtomachalia*, *carminativa*, *antifebrilia* atque *uterina*, et eminentem igitur virtutem in vitiis digeſtionis et adpetitus, diarrhœa, vomitu,

 lien-

lienteria, cœliaca, adfectibus frigidis flatulentis, debilitate capitis ac viſus, vertigine, paralyſi, epilepſia cacochymica, ſuppreſſione menſium, fluore albo, doloribus poſt partum, cachexia, febribus intermittentibus quotidianis et quartanis &c. exſerit. Externe cucuphas, et ſacculos roborantes ingreditur.

* *

CAPVT V.

DE RADICE IRIDIS FLORENTINÆ.

§. I.

Radix iridis ſive ireos florentinæ, Florentiniſche Violen-Wurtzel, oblonga eſt, nodoſa, tuberoſa, pollicem craſſa, paullulum compreſſa, foris candida, fuſcis tamen punctulis paſſim ornata, intus vero vel perfecte albicans, vel, præſertim quoad partem medullarem, ex albido-flaveſcens. Odorem, repurgata ſcilicet et exſiccata, ſpargit ſubtilem, gratum, balſamicum, odori florum violæ Martiæ ſimillimum, et manducata ſaporem, ex amaricante, ſubacri, et nonnihil pingui mixtum, linguæ imprimit. E terra vix extracta, cortice tegitur rubente, multis fibris, ſeu radiculis circumquaque inſtructo, quo detracto, radix aliquantulum ſicca-

ſiccatur, ut a citiori carie atque corruptione immunis evadat. Poſt exſiccationem facile tritura in pulverem redigitur, farinæ ex albo flaveſcenti haud diſſimilem, qui, naribus attractus, mucum potenter incidit, et ſternutationem provocat.

§. II.

Planta, quæ *Iris Florentina flore albo*, itemque *Iris Illyrica* dicitur, in variis *Italiæ* provinciis, et campeſtribus inprimis atque montanis *Hetruriæ* tractibus, ſponte ac ſine cultura creſcit, nec raro pariter in multis Germaniæ, aliarumque Europæ regionum hortis ſativa ac culta viſitur: Teſtibus quoque plerisque rei medicæ ſcriptoribus, in inſulis *Rhodo* et *Cypro*, nec minus in *Lybia*, *Macedonia*, *Dalmatia* (*a*) &c. provenit. Olim, intuitu nempe uſus medici, radicem iridis Illyricæ et Macedonicæ præſtantiſſimam judicabant, noſtra vero ætate Florentinæ radix, quæ ab Jllyrica parum vel nihil differt, et vulgari noſtrate ſolummodo candidior, compactior, atque odoratior exiſtit (*b*), reliquis omnibus præfertur.

§. III.

(*a*) Vid. Valentini Hiſt. ſimpl. reform. Lib. II. Sect. 2. Cap. 20.

(*b*) „De Iride Florentina, HEUCHERUS *ſcribit*, et „Illyrica bene obſerves velim, quod vix differant, niſi floris odore, qui in Florentina fragrantior, et colore, qui in eadem candidiſſimus; in Illyrica pallide coeruleus - - - Iris

§. III.

Circa principia conſtitutiva, præſertim activa, hujus radicis apud pleroſque materiæ medicæ ſcriptores altum obſervatur ſilentium. LEMERY quidem, pro more ſuo, de *copioſo oleo* et *ſale eſſentiali* loquitur, et alii *pinguedinis*, *terræ levis*, *farinaceæ*, *poroſæ*, *abſorbentis*, nec non *ſalis acris* mentionem faciunt: Attamen nullus inde perſpicuus et ſufficiens conceptus naſcitur, et inſtituta examina chemica potius docent, radicem hanc ex *ſubtili terra farinacea*, *pauca ſubſtantia reſinoſa*, ac *paullo largiori gummoſa* ſive *ſalino-mucilaginea*, quibus omnibus *tenerrimæ*, *odoriferæ*, *particulæ oleoſo-ſpirituoſæ exhalabiles* mixtæ reperiuntur, compoſitam eſſe. Terra inſipida, farinacea, maximam ponderis partem conſtituit, et ordinario in uncia radicis una quinque drachmas ſuperat. Oleum eſſentiale æthereum minima quantitate inhæret,

„quoque alba Florentina a vulgari flore albo ſpecie diverſa non eſt, differentia ſola eſt in radicibus, quæ in Florentina majores, craſſiores, ſolidiores, candidiores, odoratiores; ut adeo recte Joh. Bauhinus diverſitatem regioni calidiori adſcribat. Sic foeniculum dulce in noſtras regiones translatum paulatim in vulgare degeneraſſe ipſi obſervavimus. Forte etiam Florentina dicta ſationi primam ſuam originem debuit; nam ab eodem ſemine proveniunt irides flore odorato, et inodoro. Vid. Ejusd. Novos Proventus Horti med. Acad. Viteberg. p. 11.

hæret, nec quicquam, niſi magna radicis quantitas recipiatur, ſub deſtillatione humida prodit. Quum octo enim radicis, antea probe maceratæ, uncias in arenæ balneo ex cucurbita deſtillarem, nil, niſi aquam, odore violaceo ac debili ſapore balſamico imbutam, cui fruſtula diſcerptæ cuticulæ pinguis, et pauciſſimæ miculæ oleoſæ innatabant, in receptaculum translatum fuiſſe, deprehendi.

§. IV.

Subſtantia fixa gummoſa, cujus quinque circiter ſcrupuli radicis unciæ innati reperiuntur, ſubſtantia oleoſo-reſinoſa, quæ minori quantitate adeſt, et binos ſcrupulos plerumque pondere æquat, adeo remixta eſt, ut notabilis ejus portio ſub prima digeſtione cum ſpiritu vini ſimul extrahatur. Infuſum aquoſum pallide flaveſcens eſt, ſaporis amaricantis, moderate acris, ac paullulum nauſeoſi, odoris violacei; Extractum vero colorem ſordide fuſcum, ſaporem amaricantem, leniſſima ſaltem acredine mixtum, et gratum odorem obtinet. Sub evaporatione odor violaceus nares conſtanter replet; manifeſto documento, odoriferum principium evaporabile copioſe in fixa hac ſubſtantia deliteſcere. Tinctura ſpirituoſa prima colore flaveſcente, odore violaceo, et ſapore amaricante, acri, ac temperate balſamico pollet. Acredo, brevi interjecto tempore, ſeſe eminentius

nentius manifeſtat, tantaque deprehenditur, ut, piperis inſtar, fortem in faucibus ardoris ſenſum excitet. Quando tinctura haec ſpiritus abſtractione aliqua in cucurbita concentratior redditur, moleculae quaedam ſpiſſiuſculae reſinoſo-oleoſae, ſuperficiei innatantes, in conſpectum veniunt, quae, cochleari ablatae, in loco frigidiuſculo paullulum coagulantur, et teneriorem ac liquidiorem maſſam reſinoſam referunt, accedente vero calore leniori ad priſtinam fluiditatem redeunt, et deguſtatae aromaticum, pinguem, ac valde acrem ſaporem linguae imprimunt. Extractum, ex integra reſiduae tincturae mole paratum, coloris fuſco-flaveſcentis eſt, et quoad ſaporem et eminentem acredinem cum deſcripta maſſa reſinoſo-oleoſa innatante convenit. Unde conſtat, radicis activitatem parti oleoſo-reſinoſae praecipue adſcribendam eſſe.

§. V.

Sub deſtillatione ſicca, adeoque violenta nativae mixtionis deſtructione, ex radice hac primo *aqua limpida*, deinde *liquor flaveſcens*, tandemque *liquor brunneo-rubens* et *ſaturate ſpadiceus*, cum notabili portione *olei nigri empyrevmatici*, prodeunt; in retorta autem caput mortuum nigrum, iners, terreſtre, quod, receptis quinque radicis unciis, binas ferme uncias pendet, relinquitur. Liquor flaveſ-

flaveſcens debili ſaltem ſapore acidulo gaudet, in ſuccedente vero liquore fuſcò-rubente aciditas tanta reperitur, ut acetum vini, niſi acore, certe tamen acrimonia, ſuperet. Poſtremum quoque hoc liquidum cum alcalicis vivide efferveſcit, et cutem, ſi guttula inſtilletur, colore flavo, aliquamdiu pertinaciter inhærente, tingit. Oleum empyrevmaticum, ſimul ex prædicta radicis quantitate prolectum, ac poſtea a liquore, cui innatat, ſeparatum, ad drachmæ pondus et ultra plerumque adſcendit.

§. VI.

In genere huic radici vires leniter *commoventes*, *diſcutientes*, *reſolventes*, *abſtergentes*, *aperitivæ*, *diureticæ*, *antacidæ* atque *anodynæ* competunt. Mediante enim principio, ſubtili, exhalabili, balſamico, blande diſcutit, ac lenem virtutem anodynam exſerit: Mediante autem ſubſtantia fixiori reſinoſo-gummea, et oleoſa ſpiſſiuſcula acriori, humores commovet, mucoſitates valide attenuat, et abſtergit, parteſque ſolidas, præſertim nervoſo-membranaceas, adeo vellicat, ut fortiori ac vegetiori niſu in humores agant, et hac ratione circuitum non minus, quam fluiditatem eorum augeant. Et terra denique farinacea, quæ, extracta portione ſolubili, relinquitur, acidum, primæ culinæ inimicum, nonnihil deſtruit. Ob varias igitur

vires haſce generales ad profligandos multos morbos valet, ac valde inprimis in debilitate capitis, atque ventriculi, fœtore oris, tuſſi, aſthmate pituitoſo, adfectibus flatulentis, torminibus ventris, praeſertim apud infantes *(a)*, obſtructione atque tumore hepatis, lienis, glandularum meſeraicarum, ſuppreſſione fluxus menſtrui, calculo et epilepſia infantili ſeſe commendat, immo, contra gravedinem, coryzam, hemicraniam rebellem, cachexiam icteritiam, hydropem, febres intermittentes, et continuas catarrhales atque malignas, venena animalia, diarrhœas, et plures ægritudinum ſpecies alias, quæ per blanda diapnoica, abſtergentia, ac diuretica maxime curanda ſunt, et copioſo inprimis muco, in ventriculo, inteſtinis, aliisque cavitatibus hoſpitanti, aut firmius etiam canalibus impacto, natales debent, multum ægris auxilii ferre deprehenditur. Optime datur in pulvere, apud adultos a ſcrupulo dimidio ad integrum, apud infantes a granis aliquot ad

(*a*) „Uſus ejus, BERNH. VALENTINI *in Hiſt.* „*ſimpl. reform. p.* 117. *ſcribit*, præcipue in omnibus pectoris affectibus, a tenaci pituita oriundis, valde eſt decantatus, quippe quam reſolvit, et ad faciliorem ejectionem idoneam præſtat. Id quod in tenellorum infantum tuſſi, torminibus, aliisque affectibus cum emolumento fit eo majori, quoniam pulvis, ad aliquot grana datus, interdum etiam leniſſimum vomitum excitat. &c.

ad ſcrupulum ſemiſſem; commode tamen etiam inter infuſa vinoſa, a drachma dimidia ad integram et ultra, recipitur.

§. VII.

Externe, ſub forma pulveris groſſioris aut ſubtilioris adhibita, exſiccando, valide incidendo, abſtergendo, diſcutiendo, ac ſtimulando agit, et frequentiſſime proinde inter pulveres errhinos, ptarmicos, dentifricios, cyprios, eryſipelaceos, ſacculos, nervinos, et ſpecies pro cucuphis recipitur. Subinde etiam a chirurgis felici effectu oſſibus carioſis, et ulceribus fiſtuloſis, laxis, ichoroſis &c. inſpergitur, ut carnem luxuriantem abſumat, et abſorbendo humidum acre corrigat, adeoque conſolidationem adjuvet.

* *

CAPVT VI.

DE CALAMO AROMATICO ET RADICE HELENII.

§. I.

CALAMVS AROMATICVS ſive ACORVS VERVS OFFICINARVM, Calmus, Ackerwurtzel, radicem ſiſtit oblongam,

in ſuperficie nonnihil geniculatam, fungoſam, colore foris ex albido aut ſubflavo rubeſcente, intus albicante, ſapore acri, aromatico, amaro, et odore admodum fragrante præditam. Planta loca humida, paluſtria, amat, ac paſſim copioſe creſcit. Acorus *Indicus* ſeu *Aſiaticus* ſeſe ab *Europæo* ſola radice diſtinguit, quæ, teſte HERMANNO (a), tenuior eſt, compactior, in ſuperficie crebrius geniculata, et ſaporis quoque, atque odoris gratioris.

§. II.

Copioſo quidem *principio ſpirituoſo*, et *copioſa* pariter *ſubſtantia fixa reſinoſo-gummea*, aſt *pauco* ſaltem *oleo ſubſtantiali æthereo* radix calami noſtratis inſtructa eſt, quare eminens odoris fragrantia magis mobiliſſimis partibus ſpirituoſis, quam oleo æthereo, cujus unica circiter drachma, vel interdum bini duntaxat ſcrupuli integræ radicis libræ inhærent, in acceptis ferenda erit. Infuſum aquoſum primum, colore aureo tinctum, fragrantem odorem ſpirat, et balſamico ac valde amaro ſapore gaudet. Inſpiſſatum maſſam ex flavo-fuſcam relinquit, quæ priſtinum quidem ſaporem balſamicum et amarum retinet, odore autem penitus ferme ſpoliata reperitur. Tinctura ſpirituoſa prima coloris ſpadicei eſt, odore magis ſpiritum vini, quam calamum aroma-

(a) Lib. cit. p. 5.

aromaticum, prodit, et ſaporem valde acrem, pungentem, amaro modice ſaltem mixtum, poſſidet. Extractum inſpiſſatum parum vel nihil a tinctura differt, præterquam, quod mordacitas ſaporis in illo paullo remiſſior ſit, idemque melius, quam tinctura, ipſum calamum ſapore referat. Ex uncia radicis una ferme drachmas tres extracti primi aquoſi, adeoque maximam partem gummoſi, et binas circiter drachmas extracti primi ſpirituoſi obtinui: Unde apparet, ſubſtantiam fixam gummoſam longe majori, quam reſinoſam, quantitate mixtionem ingredi, et amaritiem radicis præcipue a parte gummoſa, aromaticam vero acredinem maxime a parte oleoſo-reſinoſa derivandam eſſe.

§. III.

Operationem ſuam in corpore humano valide commovendo, diſcutiendo, irritando, ac roborando calamus abſolvit, quare caute etiam apud ſubjecta, ſicca, bilioſa, cholerica, et plethorica in uſum vocandus eſt. Conducit magis ſubjectis humidis, frigidis atque pituitoſis, adeoque in iis quoque morbis, qui ex mucida lymphæ dyſcraſia, lentore humorum et partium ſolidarum laxitate oriuntur, multum auxilii ſpondet. Pertinent huc varia adpetitus atque digeſtionis vitia, ex ventriculi flacciditate, et muci adcumulatione perſæpe naſcentia, nec minus inertia bilis, ver-

mes inteſtinales, adfectus flatulenti, febres intermittentes quartanæ, cachexia, oedema membrorum, leucophlegmatia, aſthma pituitoſum ſimplex et cachecticum; nephritis pituitoſa, ſcabies humida, fluor albus, ſterilitas, torpor venereus, tumores glandularum, coryza diuturna &c. Nonnulli eum ſpecifice quoque contra ſcorbutum, hydropem aſcitem, febres malignas, peſtilentiales, et benignas catarrhales, immo, contra paralyſin, atque tremorem membrorum, præſertim apud aurifabros, aliosque, qui halitus mercuriales, ſeu rectius, mercurium vivum, igne in halitus reſolutum, ſæpiuſcule intra corpus recipere coguntur, commendant.

§. IV.

Plerumque in infuſo vinoſo, a drachma dimidia ad integram, rarius in aquoſo, exhibetur. In Officinis quoque radix condita proſtat, quæ cruda longe remiſſior eſt, et majori ideo quantitate adſumi poteſt. Externe decocta vulneraria et anthelmintica nec minus ſacculos et epithemata ſicca, membris paralyticis, arthriticis &c. adplicanda, ingreditur, et interdum quoque, amuleti inſtar, contra aerem corruptum, effluvia contagioſa, et inſecta, de collo ſuſpenditur. Ultimum hunc uſum non reprobo quidem, credo tamen, radicem hanc, per intervalla manducatam, graſſantibus morbis malignis, corpus

corpus a contagio certius, quam ſub amuleti forma, immune præſtituram eſſe.

§. V.

RADIX HELENII, ſive ENVLÆ, Alant-Wurtzel, quam calamo aromatico hoc capite jungam, craſſa eſt, oblonga, foris ſubfuſca, intus pallida, contactu pinguis, ſaporis amari et ſubacris, odoris fragrantis, paullulum ingrati. Planta, vulgo *Enula campana*, itemque *Helenium* &c. nuncupata, in hortis colitur, et paſſim quoque in locis ſylveſtribus provenit.

§. VI.

Quanquam diſſecta enulæ radix valde pinguis deprehendatur, parum tamen, vel nihil, olei ſubſtantialis ætherei in mixtione fovet: Nam integra libra ſub deſtillatione humida ne guttulam olei reddit, ſed aquam tranſeuntem mobili duntaxat principio ſpirituoſo impraegnat. Notatu quoque dignum eſt, nonnunquam, adhibita nimirum majori radicis quantitate, in alembico, quin ipſa aqua, *materiæ cujusdam camphoratæ* moleculas in conſpectum venire, quæ forma externa floſculos nivales æmulantur, et partim aquæ innatant, partim alembici ac roſtri lateribus adhærent. B. NEVMANNVS ex radicis libris duabus drachmam unam et ſcrupulum dimidium obtinuit, eamque ſpiritu vini

 qui-

quidem, neutiquam vero aqua, ſolvi teſtatur (*a*).

§. VII.

Penuriam olei *copioſa principia fixa reſinoſo-gummea* compenſant, et præcipuam radici activitatem largiuntur. Subſtantia gummoſa reſinoſam quantitate ſuperat, et in una radicis uncia ferme ad unciam dimidiam adſcendit, reſinoſa ex adverſo circiter drachmam dimidiam aut duos ſcrupulos pondere æquat. Infuſum aquoſum primum nonnihil turbidum eſt, colorem tamen flaveſcentem poſſidet, et odore ac ſapore ipſam radicem refert. Poſt evaporationem maſſam, odoris debilis, ſaporis moderate balſamici et amari, coloris alibi albicantis, alibi ex albido flaveſcentis, alibi ex flavo-fuſci, relinquit. Infuſum ſpirituoſum primum dilute aureo colore gaudet, odore partim radicem, partim vini ſpiritum prodit, et ſatis acrem atque amarum ſaporem linguæ imprimit. In extracto inſpiſſato color aureus adhuc ſaturatior et amarities fortior exiſtit, acredo autem nonnihil imminuta deprehenditur. E quibus colligere licet, activitatem hujus radicis magis reſinoſæ, quam gummoſæ ſubſtantiæ adſcribendam, et acredinem quoque a principio volatili, quod ſub evaporatione maximam partem in auras diſpergitur, ſimul derivandam eſſe.

§. VIII.

(*a*) In Prælect. chemicis p. 880.

§. VIII.

Inter activa medicamenta *diſcutientia*, *diaphoretica*, *ſanguinem purificantia*, *alexipharmaca*, *ſtomachalia*, *carminativa*, *pectoralia*, *antiſcorbutica*, *vulneraria* &c. locum ſibi vindicat, et frequentiſſime proinde, nec ſine inſigni plerumque emolumento, in infuſo vinoſo aut aquoſo, vel ſubinde etiam in decocto, a drachma dimidia ad drachmas duas, contra adfectus flatulentos, cachecticos, catarrhales, frigidos rheumaticos, ſcorbuticos, et ſcabioſos, tam benignos, quam malignos, nec minus contra tuſſim et aſthma pituitoſum, hydropem aſcitem, chloroſin, fluorem album, profluvia alvina, febres intermittentes et continuas malignas, præſertim exanthematicas, paralyſin, imbecillitatem ventriculi, viſus ac cerebri, melancholiam &c. præſcribitur, immo multum quoque ad expellenda venena animalia, et ſananda ulcera ac vulnera valet. Externe inter unguenta, atque decocta travmatica et anthelmintica recipitur.

CAPUT VII.

DE RADICE SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ ET VALERIANÆ.

§. I.

RADIX SERPENTARIÆ ſeu VIPERINÆ, VIRGINIANÆ, Virginianiſche Natter- oder Schlangen-Wurtzel, tenuis eſt, fibroſa, foris gryſeo-aut luteo-fuſca, intus albicans, ſaporis acris, amaricantis et camphorati, odoris aromatici, ac pariter camphorati. Adfertur ex *America*, præſertim *Virginia*, et Ariſtolochiæ ſive Piſtolochiæ ſpecies eſt; hinc planta etiam a Botanicis non tantum *Serpentaria* ac *Viperina*, ſed etiam *Ariſtolochia* et *Piſtolochia Virginiana* vocatur.

§. II.

Præter egregium *principium volatile ſpirituoſo-camphoratum*, quod ex odore ſatis cognoſcitur, multas quoque *partes reſinoſo-gummeas* continet, *olei ſubſtantialis* vero nihil inde deſtillando elicitur, niſi magna quantitas una vice dictæ operationi ſubjiciatur. Infuſum aquoſum ſaturate fuſcum eſt, odorem ſpirat balſamicum camphoratum, et ſapore amaro, leniter balſamico et camphorato gaudet. Extractum, inde blanda evapora-

poratione paratum, nigricans eſt, odore rob ſambuci æmulatur, et amarum, ſubacrem, balſamicum atque camphoratum ſaporem obtinet. Uncia radicis una binas circiter drachmas ſuppeditat. Tinctura ſpirituoſa prima aurantii coloris eſt, ſaporis acris, amaricantis, camphorati, odoris nonnihil ſaltem balſamici. Maſſa inſpiſſata, quæ ſub evaporatione fortem odorem balſamico-camphoratum ſpirat, colorem flavo-fuſcum, odorem aromaticum, et ſaporem amarum, ſubacrem, et nonnihil camphoratum obtinet. Superat activitate extractum aquoſum, et ex uncia una circiter drachmam unam pendet.

§. III.

Ab incolis Virginiæ magni hæc radix æſtimatur, quoniam ſeſe ſimplici hoc remedio contra virulentiſſimos anguium quorundam morſus egregie tueri poſſunt. Apud nos inter *diaphoretica*, *diuretica*, *roborantia*, *carminativa*, *anthelmintica*, et præſtantiſſima *alexipharmaca* atque *purificantia* numeratur, et ſpecifice inprimis in peſte, aliisque febribus malignis, ſcorbuto, angina ſpuria, adfectibus ſoporoſis et apoplecticis ſeroſo-pituitoſis, refractaria febre quartana et quotidiana &c. magnopere prodeſſe, ac multum quoque ad deſtruenda venena animalia, et variolas, aliaque exanthemata expellenda valere

 depre-

deprehenditur: A largo tamen atque frequenti ejusdem uſu in morbis paullo calidioribus abſtinere decet, ne juſto fortius commovendo et irritando noceat. Plerumque in infuſo vinoſo, a ſcrupulo uno ad drachmam integram, præſcribitur, et ſubinde quoque pulveres et electuaria ingreditur. Tinctura, cum ſpiritu vini parata, calidioris indolis eſt, et ſaltem a guttis 10. ad 20. 30. 40. propinatur. Externe, groſſiuſcule contuſa, ſpeciebus pro ſacculis diſcutientibus et nervinis miſcetur, nec raro quoque decoctis vulnerariis additur.

§. IV.

RADIX VALERIANÆ, Baldrian-Wurtzel, dividitur in *Hortenſem*, *Sylveſtrem majorem*, et *Sylveſtrem minorem*. *Hortenſis* craſſa eſt, rugoſa, in ſuperficie geniculata, foris gryſeo-fuſca, intus pallida, ſaporis ſubacris et aromatici, odoris fragrantis ingrati. Planta in hortis colitur, et *Phu magnum*, *Valeriana Pontica*, *Phu Ponticum*, *Valeriana hortenſis* &c. dicitur. *Sylveſtris major* tenuis, atque fibroſa eſt, et foris colore fuſco, intus cinereo-aut ſubflavo-albicante, odore aromatico atque ſimili etiam ſapore donata reperitur. Fibræ ſeu radiculæ minores ex capitulo craſſiori prodeunt. Planta, quam *Valerianam ſylveſtrem majorem*, *Phu Germanicum*, *Phu majus vulgare* &c. vocant, in locis

cis humidis ſylveſtribus creſcit. *Sylveſtris minor* ſive *paluſtris* cum ſylveſtri majori maximam partem convenit, præterquam, quod radiculæ adhuc tenuiores ſint, et ſaporem magis amaricantem, quam aromaticum, obtineant.

§. V.

Reſpectu virtutis *radix Valerianæ ſylveſtris majoris* reliquis ſpeciebus præferenda eſt, et frequentius proinde in uſum trahitur. Continet *activa principia ſpirituoſa*, et *fixa reſinoſo-gummea*, oleum ſubſtantiale autem in eâ vix, aut ne vix, demonſtrari poterit. Infuſum aquoſum primum coloris fuſco-nigricantis eſt, fortem atque ſpecificum radicis odorem eructat, et ſaporem amaricantem ac valde nauſeoſum poſſidet. Maſſa inſpiſſata coloris nigricantis eſt, odorem ſat fortem ac valde nauſeoſum ſpirat, et ſaporem dulcamarum, ſeu potius amaricantem, aliqua in principio dulcedine mixtum, linguæ imprimit. Tinctura ſpirituoſa prima, colore obſcure aureo, odore ingrato, et ſapore acri atque balſamico gaudet. Inſpiſſata extractum coloris ex fuſco-nigricantis, odoris debilis balſamici, et ſaporis ſubacris, aromatici, atque amari, relinquit. Major activitas, quod ſapor teſtatur, in extracto ſpirituoſo, magis reſinoſo, quam in extracto aquoſo, magis, vel unice, gummoſo, latet. Ex uncia radicis

cis una drachmas duas et grana 35. extracti primi aquoſi, et drachmam unam cum ſemiſſe extracti primi ſpirituoſi obtinui.

§. VI.

Viribus medicis radici Serpentariæ valde analoga eſt, in operando tamen longe remiſſior deprehenditur, et eximiam inprimis ac plane ſpecificam activitatem in imbecillitate viſus, incipiente cataracta, et epilepſia monſtrat. Antepilepticam virtutem dudum FABIVS COLVMNA *(a)* laudavit, eamque poſtea, præter complures alios *Dominus* MARCHANTIVS *(b)* ulterius confirmavit, et novis exemplis plane evictam dedit. Multis enim hominibus, ætatis diverſæ, qui truculento huic morbo ab infantia, vel per longum tamen tempus obnoxii fuerant, radicem pulveriſatam, præmiſſis laxantibus, ſemel, vel iterata etiam vice, ad drachmam unam, tam felici exhibuit ſucceſſu, ut plerique perfectam ſanitatem, alii notabilem ad minimum ſymptomatum mitigationem inde reportaverint. Apud infantes et delicatiores pulveris doſin minuere, et eo ſæpius eundem propinare præſtat; nec opus quoque eſt, ut in quovis morbo, cui opitulari ſolet, in pulvere exhibeatur, ſed ſubinde

(*a*) In Hiſt. plant. cap. de Phu Dioſc.
(*b*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royale des Sciences ann. 1706.

de vino quoque infundi, immo inter decocta recipi poteſt: Certo tamen certius eſt, radicem pulveriſatam in adfectibus epilepticis efficaciſſime operari. Externe travmaticis accenſetur, et humidis epithematibus vinoſis, quæ, præſente viſus debilitate, atque glaucomate, imminente cataracta ac gutta ſerena &c., oculis imponuntur, perſæpe additur. Nonnulli antimagicam quoque atque magneticam illi virtutem tribuunt, et, amuleti inſtar de collo ſuſpenſam, febres intermittentes inprimis profligare credunt: Verum enim vero, putatitias haſce vires ſuperſtitionis ſobolem eſſe, medicos rationales facillime cognituros ſpero.

* *

CAPVT VIII.

DE
RADICIBVS IMPERATORIÆ, ANGELICÆ, LEVISTICI, ATQVE MEI.

§. I.

Imperatoriæ radix, Meiſter-Wurtzel, craſſa eſt, oblonga, et geniculata, foris fuſca, intus alba, aut ex albido-flaveſcens, odoris admodum fragrantis aromatici, ſaporis acris et amari. Diſſecta hinc inde numeroſas veſiculas, materia oleoſo-reſinoſo-gummea repletas, oſtendit. Planta *Imperatoria*, *Aſtran-*

Aſtrantia, *Oſtrutium*, *Magiſtrantia*, *Smyrnium hortenſe*, *Laſerpitium Germanicum* &c. adpellatur, et in *Auſtria*, *Styria*, *Helvetia*, *Comitatu Tyrolenſi*, et *montibus Tridentinis* ſponte creſcit, apud nos autem plerumque in hortis colitur.

§. II.

Radix recens, et carie, cui valde obnoxia eſt, nondum corrupta, *copioſis partibus reſinoſo-gummeis* et *paucis* quoque *oleoſis æthereis* inſtructa eſt. Nam libra radicis una circiter drachmam ſemiſſem olei, octo propemodum uncias ſubſtantiæ gummoſæ, et binas, immo tres uncias ſubſtantiæ reſinoſæ reddit. Infuſum aquoſum primum nonnihil turbidum eſt, coloris fuſci, odoris, inſtar ipſius radicis, fragrantis, ſaporis ſatis amari, et quodammodo nauſeoſi, cui poſt aliquam moram lenis acredinis ſenſus jungitur. Inſpiſſatum ſuppeditat maſſam ex fuſco-nigricantem, ſaporis amari, odoris debilis, et, inſtar rob ſambuci, nonnihil balſamici. Præter amaritiem, tandem aliqua etiam acredo percipitur. Tinctura ſpirituoſa prima colore dilute aureo; odore valde fragrante, et ſapore amaricante ac longe acriori, quam infuſum aquoſum, pollet. Extractum, poſt evaporationem relictum, colorem ſaturate aureum, odorem ipſius radicis, et ſaporem amarum ac valde acrem obtinet: Unde ma-

nifeſtum

nifeſtum evadit, virtutes hujus radicis primario principiis ſpirituoſo-oleoſo-reſinoſis adſcribendas eſſe, etiamſi multo minori quantitate, quam ſubſtantia gummoſa, inhæreant. Quicquid enim circa copiam deficit, abunde indole calidiori, et eminenti acredine compenſatur.

§. III.

Efficaciſſimum, et ſubinde plane egregium medicamentum *carminativum*, *ſtomachale*, *pectorale*, *diureticum*, *uterinum* et *alexipharmacum* eſt; caute nihilominus, modice, et apud humida ſaltem, frigida, et torpidioris naturæ ſubjecta, præſente cauſſa materiali magis frigida, quam calida, in uſum vocanda eſt. Conducit maxime in debilitate ventriculi, pituitoſis cruditatibus onuſti, cardialgia ac colica vere flatulenta, diarrhoea mucida, febre intermittente quotidiana et quartana, ſuppreſſione urinæ, calculo, nephritide pituitoſa, hydrope, fluore albo, ſuppreſſione menſium chronica, aſthmate, cachexia, peſte, ac pluribus morbis, quorum curationi paullo calidiora aromatica, balſamica et amara tuto impendi poſſunt. Locum etiam inter anthelmintica, et travmatica obtinet, nec parum ſubinde in refractaria viſcerum obſtructione, et morbis catarrhalibus prodeſt. Interne plerumque in infuſo vinoſo, aut aquoſo, a drachma dimidia ad

drach-

drachmas duas, præſcribitur, et crebro pariter inter electuaria recipitur. Externe multum valet ad ſcorbutum oris, intumeſcentiam glandularum ſalivalium, et ulcera ac vulnera impura curanda, ſi pulveribus, gargariſmatibus, decoctis &c. addatur.

§. IV.

Imperatoriæ radice temperatior, adeoque etiam præſtantior eſt RADIX ANGELICÆ SATIVÆ ODORATÆ MAIORIS, Angelicken-Heilige-Geiſt-Bruſt-Wurtzel. Multas hæc ipſa fibras ſeu radices minores e capite craſſiori emittit, quæ, æque ac ipſe truncus ſeu caput, colore foris ſubluteo-ferrugineo, intus albicante, punctis hinc inde ex fuſco-flaveſcentibus diſtincto, odore fragrante aromatico, ſapore acri et amaricante, grata quadam dulcedine mixto, pollent. Præter angelicam ſativam hortenſem majorem, in officinis etiam RADIX ANGELICÆ MINORIS SYLVESTRIS proſtat, quæ præcedente ſativa, reſpectu virium, niſi ſuperior, certe tamen non inferior eſt, et ſponte in *Helvetiæ*, *Bohemiæ*, *Norwegiæ*, *Lapponiæ*, *Islandiæ* &c. montibus ac rupibus progerminat. Septentrionalis montana cenſetur optima: Huic Bohemica et Helvetica, et hiſce denique vulgaris ſativa ſuccedit. Longe facilius adhuc, quam Imperatoriæ radix, ob junctam dulcedinem, carioſa redditur; hinc

ſemper

ſemper integram, recentem, ac probe reſinoſam ad uſum ſeligere præſtat.

§. V.

Activis principiis *oleoſo-ſpirituoſis*, *reſinoſis* ac *gummeis* inſtructa eſt. Olei eſſentialis ætherei quantitas in integra libra raro ad drachmam unam adſcendit, fixa autem principia eo majori copia mixtionem ingrediuntur, et uncia radicis una plerumque drachmas tres extracti aquoſi, et drachmas duas extracti ſpirituoſi primi largitur. Infuſum aquoſum, quod luteo colore eſt, balſamico-ſubdulcem ſaporem poſſidet, et odore ſuo radicem quodammodo æmulatur, etiamſi tam debilis ſit, ut ſimplex paullo difficilius inde cognoſcatur. Maſſa inſpiſſata, cujus color ſaturate fuſcus eſt, odore adhuc debiliori gaudet, et aromaticæ duntaxat dulcedinis ſenſum in lingua excitat. Tinctura ſpirituoſa, dilute aurea, radicem ipſam valde redolet, et acri, balſamico et amaricante ſapore, qui longe majoris, quam in priori, activitatis index eſt, donata reperitur. Maſſa inſpiſſata ab infuſo vix diſtincta videtur, præterquam, quod color flavus ad fuſcum vergat, et aromatica acredo longe adhuc potentior ſit, adeoque morſicatione ſua linguam ac fauces fortius adficiat.

§. VI.

Medicaminum præſtantiſſimorum auget numerum, et *bezoardica* inprimis, *antiſcorbutica*, *carminativa*, *pectorali*, et *uterina* virtute ſeſe commendat. Operationem ſuam partim irritando et diſcutiendo, partim abſtergendo ac demulcendo abſolvit. Virtus demulcens ſubdulci principio gummoſo, vires reliquæ partibus reſinoſo-oleoſo-ſpirituoſis primario adſcribendæ ſunt. Imperatoriæ radici ubivis ſubſtitui poteſt, immo eidem, ob indolem longe temperatiorem, in caſibus plerisque, maxime autem in ſcorbuto, adfectibus flatulentis, et pectoris pituitoſis, paſſione hyſterica, et febribus malignis præferri meretur. Datur in infuſo vinoſo et aquoſo, a drachma dimidia ad drachmas duas, et ſubinde etiam in decocta et infuſa theiformia recipitur. Externe inter maſticatoria antiputredinoſa, antiſcorbutica, anticatarrhalia et prophylactica, locum habet, et frequentiſſime etiam gargariſmata, contra odontalgiam, et tumores glandularum ſalivalium præſcribenda, nec minus decocta, unguenta, epithemata et cataplasmata, diſcutientia, roborantia, carminativa, travmatica, atque alexipharmaca, ulceribus ſcorbuticis, ac venenatis vulneribus, punctura aut morſu inflictis, adplicanda, ingreditur.

§. VII.

§. VII.

RADIX LEVISTICI, ſive LIGVSTICI VVLGARIS, Liebſtöckel-Wurtzel, craſſa eſt, oblonga, in multas fibras rectas ac ſatis quoque craſſas diviſa, coloris extrinſecus ſubfuſci, intus albicantis aut pallide flaveſcentis, odoris fragrantiſſimi, ſaporis ſubdulcis, ſubacris et blande aromatici. Facile, et intra modicum tempus, æque, ac radices præcedentes, pulverulenta atque carioſa evadit. Planta ordinario in hortis ſeritur, et apud Botanicos etiam *Angelica major*, *Laſerpitium Germanicum* &c. audit.

§. VIII.

Praeter *copioſum principium ſpirituoſum*, quod ſeſe maxima odoris fragrantia manifeſtat, *parum* quoque *olei*, ac *multum ſubſtantiæ fixæ reſinoſo-gummeæ* in mixtione fovet. Oleum eſſentiale æthereum in integra radicis libra drachmæ pondus rariſſime excedit, ſubſtantia fixa autem, præſertim gummoſa, quantitate longe majori inhæret. Infuſum aquoſum primum, ſaturate aureum, odorem ſpirat debilem, et balſamico-ſubdulcem ſaporem obtinet. Maſſa inſpiſſata, quæ ex uncia radicis circiter drachmas tres pendet, vix diſtincta eſt, et majori ſolummodo dulcedine balſamica, et colore obſcuriori, nimirum ſubfuſco, ſeu flavo-fuſco pollet. Tinctura ſpirituoſa, cujus color aureus eſt, odore ra-

 dicem

dicem æmulatur, et acris atque balſamici ſaporis ſenſum in lingua excitat. Extractum inſpiſſatum, quod, integra pariter radicis uncia recepta, drachmas duas et ſcrupulum dimidium pondere æquat, quoad odorem cum infuſo convenit, reſpectu ſaporis et coloris autem aliquantulum differt, dum ſubfuſco-flavum eſt, et ſaporem ſubdulcem et aromaticum poſſidet. Notatu quoque dignum eſt, extracto huic, cum evaporando jam ad conſiſtentiam mellis redactum eſſet, materiam paullo liquidiorem, pinguem, reſinoſo-oleoſam, valde aromaticam, innataſſe, quæ maſſæ reliquæ activitatem præcipue largiri videbatur: nec prorſus ſilentio prætermittendum eſt, dulcedinem in extracto aquoſo radicis leviſtici majorem, acredinem contra aromaticam extracti ſpirituoſi multo minorem fuiſſe, quam apud ſimilia extracta radicis angelicæ.

§. IX.

Virtute *carminativa*, *pectorali*, *diuretica* et *uterina* multa ſimplicia hujus commatis ſuperat, et ſpecifice inprimis in adfectibus colicis et cardialgicis, aliisque flatulentis, cachexia icteritia, tuſſi, aſthmate, calculo, ardore et ſuppreſſione urinæ, malo hyſterico, obſtructione menſium et lochiorum, ceterisque morbis, in quibus radix angelicæ prodeſt, convenit. Datur in infuſo vinoſo, rarius in decocto aut infuſo theiformi aquoſo, a drachma

ma una ad duas, immo unciam dimidiam. De uſu externo eadem prorſus, quæ de radice angelicæ dicta fuerunt, memorare licet.

§. X.

Cum Leviſtici radice, quoad formam externam, odorem et ſaporem, adeoque etiam quoad principia activa ac vires, RADIX MEI ſive MEV, Bärwurtzel, perfecte convenit, præterquam, quod minori dulcedine, majori ex adverſo acredine donata ſit. Planta, quæ etiam *Anethum ſylveſtre*, *Anethum tortuoſum*, *Foeniculum urſinum* &c. dicitur, ſponte in montibus et pratis ſiccioribus creſcit. Iisdem morbis, quibus leviſtici radix, medetur, in operando tamen potentior exiſtit, et paullo minori proinde doſi præſcribitur, præſertim apud illa ſubjecta, quæ vertigini obnoxia ſunt, et fragantiora medicamina perferre nequeunt. Externe, groſſiuſcule contuſa, et cum vino cocta, mammis, ad tumores duros diſcutiendos, imponitur.

CAPVT IX.

DE

RADICE CARLINAE.

§. I.

RADIX CARLINAE ſive CARDVI ANGELICI FLORE SESSILI, Eberwurtzel, radix oblonga eſt, digiti utplurimum craſſitie, colore foris pallide ferrugineo, intus ex flavo aut fuſco albicante, odore fragrante ingrato, ſapore ſubacri ac debili balſamico. Sponte in tractibus *Helvetiæ*, *Bohemiæ*, *Moraviæ*, *Thuringiæ* & *Hercyniæ* montanis atque apricis creſcit, indeque in Officinas noſtras ſat magna copia transmittitur. Facile in ſuperficie ſitum contrahit, poſteaque carie corrumpitur, niſi effoſſa probe ſiccetur, et ſicco pariter loco adſervetur.

§. II.

Copioſas partes reſinoſas ac *gummeas*, *paucas* vero *ſpirituoſo-oleoſas* poſſidet. Portio eſſentialis oleoſa portioni reſinoſæ tam alte immerſa eſt, ut altera ab altera primæ deſtillationis et extractionis ope perfecte ſeparari nequeat. Ex libra radicis una circiter ſcrupuli duo, rariſſime drachma integra eliciuntur. Hoc oleum, quod paullo fortiorem ignem ad ſui ſepara-

ra-

rationem poſtulat, ob partium quarundam reſinoſarum miſcelam, in aqua fundum petit, et ſpiſſioris conſiſtentiæ eſt, adeoque temporis ſucceſſu fluiditatem ſuam penitus amittit, et in balſamum craſſiuſculum condenſatur, niſi mature nova deſtillatione humida a mixtis particulis reſinoſis, quæ, ſubſtrato igne moderato, in veſica remanent, ſeparetur. Rectificatione laudata perfecte fluidum redditur, et aquæ poſtea innatat, multumque virtutis obtinet, immo reliquis principiis intima unione ſua præcipuam activitatem conciliat *(a)*.

§. III.

Infuſum aquoſum primum ipſam radicem nonnihil redolet, et valde debili ac parum grato ſapore balſamico pollet. Color ex flavo-et rubente ſubfuſcus eſt. Extractum flavo-brunnum vix præſtantius exiſtit, licet uncia radicis una dimidiam ferme unciam, vel ad minimum drachmas tres largiatur. Major virtus in parte reſinoſa latet. Nam infuſum ſpirituoſum primum, quod aureo colore gaudet, ſubacrem, et, ipſius radicis inſtar, ingrate balſamicum ſaporem linguæ imprimit. Ejusdem ferme conditionis extractum inſpiſſatum deprehenditur; quippe quod colore ſaturate aureo, ad rufum nonnihil vergente, odore debili balſamico, et ſapore ſubacri et

 ama-

(a) Conf. Neumann. Lib. cit. p. 671. ſequ.

amaricante præditum eſt. Vncia radicis una duas circiter drachmas mihi reddidit.

§. IV.

Inter medicamenta *ſudorifera, alexipharmaca* et *anthyſterica* non infimum locum occupat, et in peſte inprimis, febribus malignis exanthematicis, adfectibus ſcabioſis, paſſione hyſterica, et ſopore præternaturali effectus plane ſingulares edere traditur. Nonnulli etiam ſpecifice illam contra tremorem membrorum, a mercurialibus ortum, commendant; quæ virtus, ſi eventus exſpectationi reſpondet, unice in diaphoreſi, quam præſtat, rationem ſuam habere videtur. In decocto et infuſo aquoſo aut vinoſo datur a drachma una ad drachmas duas et ultra. Externe decocta travmatica, contra ſcabiem inprimis adhibenda, ingreditur.

CAPVT

* *

CAPVT X.

DE

MELISSA ET BASILICO.

§. I.

MELISSA CITRARIA, ſeu MELISSA HORTENSIS ODORE CITRI, Meliſſe, Citronen-Meliſſe, Hertz-Kraut ubique in hortis colitur, et a Botanicis perſæpe etiam *Meliſſophyllum*, *Meliphyllon*, *Citrago*, *Citronella*, *Cedronella*, *Apiaſtrum* &c. nuncupatur. Folia, quæ præcipuum in medicina uſum invenerunt, oblonga ſunt, acuta, in margine paululum inciſa, nonnihil aſpera, atque obſcure viridi et ſplendente colore tincta, ſapore ſubacri ac blande balſamico, odore citrino gratiſſimo.

§. II.

Principiis plane eximiis, *temperatis* nempe, et nihilominus *efficaciſſimis*, *partibus volatilibus oleoſo-ſpirituoſis*, et *fixis reſinoſo-gummeis* natura hanc plantam, præſertim folia donavit. Oleum ſubſtantiale æthereum non adeo magna quidem quantitate ingenitum reperitur, penuria tamen indole nobiliſſima abunde compenſatur, et HERMANNVS *(a)* ideo, aliique volatilia meliſſæ prin-

(a) L. c. p. 207.

cipia tanti æſtimarunt, ut ſpiritibus corporis humani analoga judicaverint. Volatilibus principiis, intuitu virtutis, pars fixa reſinoſa, tandemque gummoſa ſuccedit. Nam tinctura ſpirituoſa prima, ſaturate viridis, vel etiam ex viridi nigricans, ipſius meliſſæ odorem ſpirat, et acrem atque balſamicum ſaporem poſſidet. Extractum inſpiſſatum nigricans eſt, odore balſamico quidem, non adeo tamen grato, ſapore ſubacri, amaricante, ac paullulum adſtringente. Ex uncia foliorum integra drachmam unam cum ſemiſſe obtinui. Infuſum aquoſum coloris quidem ex rubro-ac fuſco-nigricantis eſt, et herbam, unde paratum fuit, odore ſatis prodit, nullo ſingulari tamen ſapore donatum, ſed nauſeoſum ac valde iners deprehenditur. Aliter comparatum eſt cum inſpiſſata maſſa nigricante; quippe quæ auſteriuſculum et amaricantem ſaporem linguæ imprimit, et activitate igitur non prorſus deſtituta videtur. Ex æquali foliorum quantitate drachmas duas, totidemque ſcrupulos impetravi.

§. III.

Operationem ſuam blanda commotione, diſcuſſione, ac moderatiſſima irritatione et ſubadſtrictione abſolvit, nec parum fortaſſis, uti medicorum aliqui cum vix allegato HERMANNO firmiter credunt, ad partes ſpirituoſas in ſanguine et nervis ſubſtantialiter au-

augendas confert. Iure igitur inter medicamenta *nervina*, *cephalica*, *cardiaca*, *pectoralia*, *ſtomachalia*, *carminativa*, et *uterina*, niſi primum, certe tamen valde eminentem, locum ſibi vindicat, et magnum inprimis atque egregium auxilium in debilitate memoriæ, vertigine idiopathica, melancholia, epilepſia, apoplexia pituitoſa, ſyncope, imbecillitate viſus, flacciditate ventriculi et inteſtinorum, cardialgia, colica, paſſione hypochondriaca et hyſterica, ſuppreſſione menſium, fluore albo, ſterilitate muliebri, gomorrhoea ſimplici, tremore et palpitatione cordis, tuſſi, aſthmate, et ſingulis morbis reliquis, ex debilitatione generis nervoſi, et partium ſpirituoſarum penuria, atque depreſſione maxime oriundis, ferre conſuevit. Optime propinatur in infuſo vinoſo, et aquoſo theiformi, a pugillo uno ad duos, tres, quatuor. Externe inter inſeſſus uterinos, in paſſione hyſterica, fluore albo, ſterilitate, et menſium defectu valde proficuos, nec minus inter balnea nervina, et ſacculos roborantes ac diſcutientes recipitur. Recens contuſa ſubinde etiam vulneribus venenatis, morſu aut punctura ab animalibus rabidis, ſerpentibus, viperis, ſcorpionibus, apibus &c. inflictis, imponitur, ac multum pariter ad reſolvendos tumores ſcrophuloſos, et purificanda ac ſananda vulnera vulgaria valet.

§. IV.

§. IV.

Hactenus deſcriptâ meliſſâ citrariâ, ob principia paullo rudiora ac calidiora, MELISSA ROMANA, TVRCICA, et ſpecies reliquæ ignobiliores ſunt: Hinc eidem quoque in nonnullis ſaltem caſibus, in quibus potentiora tuto admittuntur, ſubſtitui poſſunt; præſtantior tamen meliſſa Romana, quam Turcica, quoniam purioribus, ac gratioribus partibus activis volatilibus oleoſo-ſpirituoſis, et fixis reſinoſo-gummeis, adeoque meliori etiam virtute *nervina*, *cardiaca*, *ſtomachali*, *carminativa*, et *uterina* inſtructa reperitur. Raro infuſa theiformia ingrediuntur, ſed ordinario in infuſo vinoſo, a drachma dimidia ad integram, exhibentur. Meliſſa Turcica, quod addendum duco, ſub deſtillatione humida plus olei ætherei reddit, quam ſpecies reliquæ, et inde etiam calidior ejus indoles præcipue derivanda eſt.

§. V.

Meliſſæ BASILICVM ſeu OCYMVM CITRATVM MINIMVM ac MEDIVM VVLGATIVS, klein- und mittel-Citronen-Baſielien-Kraut jungi meretur, quoniam meliſſæ Romanæ et Turcicæ indole ac viribus valde analogum eſt. Utrumque, minimum nempe ac medium vulgatius, apud nos unice in hortis colitur. Folia, de quibus hoc loco præcipue ſermo eſt, odorem ſpirant fragran-

grantiſſimum, et ſubacrem atque balſamicum ſaporem linguæ imprimunt; ſeminibus tamen, quæ pariter in medicina uſum invenerunt, ac multis adduntur compoſitionibus, naturæ bonitate inferiora ſunt. Quondam Phyſicorum ac Medicorum quamplurimi crediderunt, ocymum citratum, ſæpius interne exhibitum, aut creberrime ſaltem odoris cauſſa naribus admotum, in corpore humano, præſertim cerebro, ſcorpiones generare, et multi eapropter herbam hanc in uſum trahere vix auſi ſunt: Verum enimvero, traditionem memoratam prorſus fabuloſam eſſe, certior neotericorum experientia, ratione ſuffulta, docet. Scio quidem, ſcorpiones amare baſilicum, et in calidioribus regionibus, v. g. in Italia, &c. ſæpiſſime inter folia degere, ibidemque ovula ſua deponere; aſt inde nondum ſequitur, baſilicum ſcorpionibus in corpore aut extra illud generandis aptum eſſe. Ego ad minimum teſtari poſſum, me herbam hanc frequentiſſime adhibuiſſe, et nunquam noxios, ſed ſemper ſalutares, ab uſu ejus obſervaſſe effectus. Quare aliis quoque eam commendare, et vires ejus *nervinas*, *cardiacas*, *carminativas*, *pectorales* et *uterinas* deprædicare nullus dubito. Plerumque in infuſo vinoſo, ad unum alterumve pugillum, præſcribitur, et ſubinde etiam, tametſi, ob nimiam fragantiam, paullo rarius, ſpeciebus pro infuſo theiformi additur. Externe inter bal-

nea

nea nervina, inſeſſus uterinos, et ſacculos diſcutientes ac roborantes, æque ac meliſſæ ſpecies, recipitur.

* *

CAPVT XI.

DE HERBA AC FLORIBVS RORISMARINI ET SALVIÆ.

§. I.

ROSMARINVS, LIBANOTIS CORONARIA, ANTHOS &c. Roßmarin, eſt planta fruticoſa, quæ apud nos in hortis colitur, in regionibus calidioribus autem, v. g. *Hungaria, Italia. Hiſpania, Gallia Narbonenſi* &c., paſſim in locis ſylveſtribus provenit. Folia fragrante ac grato odore aromatico, nonnihil camphorato, pollent, et acrem atque amaricantem ſaporem linguæ imprimunt. Flores paullo temperatioris indolis ſunt, ratione odoris nihilominus atque ſaporis cum foliis conveniunt.

§. II.

Principia activa, tam fixa, quam volatilia, in foliis et floribus unius quidem ejusdemque naturæ deprehenduntur, majori tamen copia foliis, quam floribus inhærent. Volatilia partim

partim *ſpirituoſo-camphorata*, partim *oleoſa* ſunt, fixa autem indolem *reſinoſo-gummeam* obtinent. Tenerrimæ ſubſtantiæ camphoratæ præſentia ex aquæ deſtillatæ, præſertim vetuſtioris, odore abunde innoteſcit, et ſubſtantiale oleum æthereum, cujus una circiter, vel una interdum et dimidia drachma ex integra foliorum libra elicitur, aquæ innatat, paullulumque poſt ſeparationem virideſcit. Flores longe adhuc minorem olei quantitatem reddunt, quæ penuria princeps ſine dubio activitatis remiſſioris cauſſa exiſtit: Paucum præterea hoc oleum magis in calyce eorum, quam petalis, reſidet. Folia, primum cum ſpiritu vini digeſta, infuſum largiuntur, ex flavo viride, grato atque ſpecifico rorismarini odore imbutum, et ſapore balſamico, amaricante, ac ſatis acri præditum, quod inſpiſſatum maſſam relinquit coloris ferrugineo-viridantis, ſaporis, inſtar ipſius rorismarini, ſubacris, amaricantis ac camphorati, et balſamici quoque, debilioris tamen, nec tam grati amplius, quam antea, odoris. Uncia foliorum dimidia drachmam ſemiſſem mihi reddidit. Infuſum aquoſum primum longe ignobilioris, quam tinctura ſpirituoſa, indolis eſt, et debilem duntaxat atque inertem ſaporem amaricantem poſſidet, etiamſi ſaturato colore fuſco, ad nigrum et viridem nonnihil inclinante, tinctum ſit, et ipſius herbæ odorem eructet. Parum differt

ex-

extractum, præterquam, quod color nigricans ſit, et debili amaritiei aliqua acredo admixta ſentiatur. Ex æquali foliorum quantitate drachmam unam et grana 24. impetravi. Inſtituta hæc examina docent, vires rorismarini præcipuas principio volatili oleoſo-ſpirituoſo-camphorato, et fixo reſinoſo adſcribendas eſſe, in gummoſo autem parum vel nihil virtutis latitare.

§. III.

Vires generales, quibus folia et flores rorismarini pollent, *roborantes*, *nervinæ*, *cephalicæ*, *cardiacæ*, *pectorales*, *ſtomachales* et *uterinæ* ſunt; hinc valide etiam ægris, epilepſia, vertigine, melancholia, debilitate memoriæ, ſopore præternaturali, cephalalgia chronica, apoplexia pituitoſa, ſyncope, paralyſi, imbecillitate viſus, tremore et palpitatione cordis, adfectibus pectoris mucoſis, flacciditate ventriculi, obſtructione menſium, fluore albo, et ſterilitate muliebri, cachexia &c. laborantibus, opitulantur. Plerumque in infuſo vinoſo, a pugillo uno ad duos, tres, præſcribuntur, et interdum pariter ſpeciebus pro infuſo aquoſo theiformi, immo decocto, miſcentur. Externe in hemicrania refractaria, aliisque capitis adfectibus, e meningum atque nervorum debilitate præcipue reſultantibus, nec minus in paralyſi membrorum, doloribus frigidis rheumaticis,

cis, et arthriticis, aphonia, raucedine, laxitate uvulae, angina ſpuria, tumore glandularum ſalivalium, ulceribus impuris cancroſis et fiſtuloſis, ſuppreſſione fluxus menſtrui, fluore albo, ſterilitate etc. auxilium plane eximium praeſtant, quando, pro morbi et partis adfectae diverſitate, modo inter cucuphas et ſacculos, modo inter pulveres cephalicos aut errhinos, modo inter gargariſmata, decocta, epithemata, balnea, inſeſſus uterinos, et ſuffimigia recipiuntur.

§. IV.

Rorimarino FOLIA et FLORES SALVIAE, tam MAIORIS LATIFOLIAE, quam MINORIS ANGVSTIFOLIAE, virium praeſtantia perfecte æquiparanda forent, niſi nimia eorum fragrantia multis ſubjectis aliquam crearet moleſtiam: Flores tamen, ſive ſint albi, ſive pallide coerulei, ob majorem principiorum teneritudinem, foliis paullo remiſſiores ac temperatiores reperiuntur, et ſaepius proinde, quam folia, apud ſubjecta ſenſibiliora in uſum vocantur.

§. V.

Principiis ſpirituoſo-camphoratis ſalvia magis, quam roſmarinus, abundat, *olei ætherei* autem longe minorem quantitatem continet, et integra foliorum libra vix drachmam dimidiam, aut ſcrupulos duos reddit. Oleum

 hoc

hoc aquae innatat, et ordinario poſt deſtillationem amoeniſſimo tinctum cernitur colore viridi, qui, modico tamen tempore elapſo, in ſubfuſcum mutatur: Memini quoque, me aliquoties, præſertim ex foliis adultioribus, appropinquante autumno decerptis, oleum ſubflavum accepiſſe. Infuſum aquoſum, cujus color fuſcus eſt, odore herbam prodit, et moderato ſapore amaricante atque ſimul camphorato pollet. Extractum inſpiſſatum, quod ex uncia una circiter drachmas duas ac totidem ferme ſcrupulos pondere æquat, coloris ſaturate fuſci eſt, ad nigrum nonnihil inclinantis, odoris debilis, fere inſtar prunorum coctorum, ſaporis ſubamaricantis, ſubſalſi et paullulum in receſſu adſtringentis. Parum in hoc ipſo virtutis latet. Tinctura ſpirituoſa prima colorem ex viridi nigricantem, odorem ſolius vini ſpiritus, et ſaporem acrem obtinet, ac longe majori, quam infuſum aquoſum, activitate inſtructa deprehenditur. Hoc poſtremum etiam de nigricante maſſa inſpiſſata, cujus pondus, recepta æquali foliorum quantitate, nondum ad quatuor ſcrupulos adſcendit, dicendum erit: Odorem enim balſamicum, non amplius tamen ſalviæ ſpecificum, ſed mellis potius ac ceræ odorem æmulantem, ſpirat, et acris, amaricantis atque camphorati ſaporis ſenſum in lingua excitat. Quae ſingula ſatis docent, virtutem medicam præcipue parti

ſpiri-

ſpirituoſo-oleoſo-reſinoſæ ingenitam eſſe, ſubſtantiam gummeam vero, per ſe conſideratam, nullum ſingularem edere poſſe effectum.

§. VI.

Folia et flores commovendo, diſcutiendo, attenuando, ac roborando agunt, et jure maximo inter præſtantiora *nervina*, *alexipharmaca*, *antiputredinoſa*, *purificantia*, *anticatarrhalia*, *pectoralia*, *uterina* et *travmatica* referenda ſunt. Conveniunt igitur in ſingulis ferme morbis, quibus curandis roſmarinus inſervit, multumque inprimis contra catarrhos, et ictus morſusque virulentos valent, etiamſi araneæ, bufones, immo ſerpentes plantam hanc valde ament, et folia noxio humore ſæpiſſime conſpurcare dicantur. Interne ſub forma infuſi vinoſi, a pugillo uno ad plures, exhibentur, et flores ſubinde etiam infuſa theiformia ingrediuntur; ante infuſionem tamen tam folia, quam flores, ob rationem antea allegatam, aqua abluere decet. Uſus externus latius propemodum patet: Miſcentur enim ſpeciebus pro ſacculis, gargariſmatibus, decoctis, et balneis, quorum medicaminum alia in doloribus arthriticis et rheumaticis, tumoribus oedematoſis, &c., alia in laxitate uvulæ, raucedine, angina ſpuria, intumeſcentiis glandularum ſalivalium, aphtis benignis et malignis,

 apho-

aphonia, ſcorbuto oris, odontalgia, ulceribus impuris, vulneribus venenatis &c., et alia denique in ſterilitate muliebri, fluore albo, aliisque uteri adfectibus pituitoſis ac frigidis cum fructu in uſum vocantur. Quando aceto infunduntur virtus antiputredinoſa et alexipharmaca, præſertim ſub uſu interno, valde intenditur; hinc peſtis quoque tempore acetum ejusmodi inter optima prophylactica militat, immo, ſub ipſa morbi invaſione plus, quam multæ tincturæ, aliaque pharmaca concentrata, præſtat.

§. VII.

Salviæ hortenſi SALVIA SYLVESTRIS, quæ etiam *Sclarea*, itemque *Horminum* dicitur, nonnihil quidem analoga eſt, longe rudioribus tamen principiis inſtructa reperitur, ac tuto igitur, ob ingentem fragrantiam, et impetuoſam prorſus operationem, interne adhiberi nequit, nullumque amplius locum inter medicamenta tueri poſſet, niſi, ſpeciebus pro balneis et inſeſſibus uterinis addita, in ſterilitate, fluore albo, aliisque morbis muliebribus validas et ſat eximias vires monſtraret. Folia principio pingui camphorato valde turgida ſunt: Sicco enim ac calido æſtatis tempore hinc inde in ſuperficie tenerrima, ſicca, albida, ſplendentia, corpuſcula, quæ foliola, vel potius tenues moleculas camphoratas referunt, perſæpe concreſcunt,

creſcunt, et camphorata quoque hæc ſubſtantia deſtillationis humidæ beneficio interdum ita ſeparari poteſt, ut ſub camphoræ veræ, quamquam tenerrimæ, forma, ac conſiſtentia quodammodo in conſpectum veniat. *(a)*

****

CAPVT XII.

DE FOLIIS AC FLORIBVS MAJORANÆ, THYMI, SERPILLI, ATQVE ORIGANI.

§. I.

MAIORANA VULGARIS ſive ANNVA LATIFOLIA planta notiſſima eſt, et in hortis plerisque ſeritur. Folia, quæ medicis uſibus præcipue deſtinata ſunt, ſapore acri, amaricante, aromatico, odore fragrante gratiſſimo pollent, et egregiis omnino *principiis volatilibus oleoſo-ſpirituoſo-camphoratis, fixisque reſinoſo-gummeis* donata inveniuntur. Oleum æthereum, deſtillatione humida ſeparabile, in una foliorum libra circiter drachmas duas pondere æquat, et plerumque ſubflavi coloris eſt. Quando in vitro probe obturato diu adſervatur, flores albicantes in eo naſcuntur, immo color et conſiſtentia ita quandoque mutantur, ut in corpus ſalinum concretum videatur; quemadmodum hoc poſte-

(a) Conf. Neumann. Lect. de camphora.

poſterius DANIEL CRVGERVS aliquando obſervauit: Reperiit videlicet in pharmacopolio quodam vitrum, anguſtiſſimi orificii, cera atque veſica probe munitum, et ſex unciis olei majoranæ ſtillatitii repletum, quod per annos viginti ſeptem in cella reconditum fuerat, ac totum ferme in ſalem albicantem transmutatum adparebat. Miſit illud Norinbergam, ut SCHROECKIVS pariter magma hoc intueretur, et naturam ejus ulterius exploraret. Concretum hoc, uti examina monſtrabant, eodem, quo oleum majoranæ recens, odore et ſapore pollebat. Cum ferro calefacto pauxillum imponeretur, ad priſtinam olei fluiditatem ac formam redibat, ab igne autem denuo remotum ac refrigeratum, formae ac conſiſtentiæ ſalinæ iterum compos fiebat; rurſus tamen, igni in ferro memorato admotum, diffluebat, tandemque penitus, relicta ſaltem exigua olei craſſioris, vel potius maſſæ reſinoſæ portiuncula, evolabat in auras, et ſub diſceſſu ſuo conclave olei majoranæ vetuſtioris ac rancidi odore replebat. Portio alia, rectificato vini ſpiritui injecta, prompte ſolvebatur, et ſolutio, aqua frigida admixta, nonnihil ſtatim lacteſcebat. Cum ſpiritus in arenæ balneo abſtraheretur, remanentia clara reddebatur, et, ulteriori evaporatione partibus aqueis liberata, in maſſam albicantem, floresque, argenteo quaſi nitore ſplendidos, et ſapore nonnihil nauſeoſo

ſeoſo præditos, concreſcebat. Flores hi, iterum iterumque aqua ſoluti, neque infuſo oleo tartari p. d., neque inſtillato olei vitrioli, quicquam ad fundum dejiciebant, ferro calefacto autem impoſiti, rurſus oleoſam fluiditatem recuperabant, ac, debilem majoranæ odorem ſpirantes, paullatim in aerem, exigua ſaltem pulviſculi albicantis parte relicta, migrabant *(a)*.

§. II.

Principia fixa, quae æque, ac in plantis hujus cenſus reliquis, ad gummea, ut dictum, et reſinoſa redeunt, ſat magna pariter copia adſunt. Gummea enim ſubſtantia, quæ parum tamen activa, in uncia foliorum una circiter drachmas duas et ſemiſſem, ſubſtantia reſinoſa autem, cujus activitas longe major eſt, circiter drachmam unam et ſcrupulum dimidium pondere explet. Infuſum aquoſum primum colore fuſco eſt, et, præter debilem ac parum gratum ſaporem amaricantem, ſpecificum herbæ odorem poſſidet. Inſpiſſata maſſa fuſco-nigricans nullum amplius odorem ſingularem diffundit, et amaricante atque ſubadſtringente ſapore gaudet. Tinctura ſpirituoſa prima coloris ex viridi nigricantis eſt, odore magis ſpiritum vini, quam herbam prodit, et acri aromatico ſapore prædita reperitur. Poſt evaporationem extra-

(a) Vid. Miſcell. A. N. C. G. Dec. 2. ann. 5. Obſ. 38.

ctum relinquit nigricans, ſapore amaro, ſubacri et ſubadſtringente donatum.

§. III.

Nervos haec folia, membranas, ceterasque partes ſolidas roborant, calorem ſanguinis augent, humores viſcidos blande commovendo attenuant, putredinem avertunt, flatus diſcutiunt, et excellentiſſima proinde virtute *cephalica*, *pectorali*, *cardiaca*, *ſtomachali*, *carminativa*, et *uterina* pollent. Specifice laudantur in debilitate memoriae, vertigine idiopathica, adfectibus ſoporoſis, epilepticis, melancholicis, apoplexia pituitoſa, amavroſi, incipiente cataracta, ſuſurru aurium, lipothymia, palpitatione cordis, prava digeſtione, cardialgia, et colica flatulenta, tympanitide, aſthmate ſeroſo-mucido et cachectico, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, et pleriſque adfectibus uteri frigidis. Praeſcribuntur in infuſo vinoſo, rarius aquoſo, ad pugillos aliquot, et frequentiſſime etiam eſculentis, condimenti loco, adduntur. Externe cucuphas, pulveres cephalicos, errhinos, ptarmicos, ſacculos nervinos, clyſteres carminativos et anthyſtericos, balnea antiparalytica et uterina, decocta vulneraria, gargariſmata, immo unguenta, emplaſtra &c. ingrediuntur.

§. IV.

§. IV.

THYMVS VVLGARIS TENVIORE FOLIO, alias etiam *Serpillum hortenſe*, *Serpillum Italicum* &c. nuncupatus, in locis quibusdam *Galliae* et *Italiae* ſponte creſcit, apud nos autem ſolummodo in hortis colitur, et unicuique ob frequentem uſum domeſticum notiſſimus eſt. Folia et flores ſatis gratum odorem aromaticum ſpirant, et acri atque amaricante ſapore gaudent. Folia floribus potentiora ac præſtantiora cenſentur, et frequentius ea propter in uſum medicum trahuntur.

§. V.

Quoad principia activa, tam fixa, quam volatilia, cum majorana convenit, *largius* tamen *principium camphoratum*, et *oleum æthereum longe acrius* continet. Hoc aureo colore gaudet, ſi igne blando elicitur; ſin violentior vero ignis gradus adhibitus fuerit, ſaturata rubedine tinctum cernitur. Acrimonia ejus tanta eſt, ut, parti cutis teneriori illitum, fortem ardoris et roſionis ſenſum excitet, et, recens naribus admotum, halitu ſuo vividam in iis titillationem, cui perſæpe ſternutatio ſupervenit, efficiat. Pondus ejus in una herbæ libra circiter ad drachmam unam et ſemiſſem adſcendit. Subſtantia tenerrima camphorata ſub deſtillatione humida cum aqua et oleo eſſentiali expellitur, et ita non-

 nunquam

nunquam in illis concreſcit, ut quodammodo ſub forma ac conſiſtentia camphoræ vulgaris manifeſta evadat; uti hoc ex ſubjuncta NEVMANNI obſervatione, quam *Miſcellaneis Societatis Regiæ Berolinenſis* inſeruit, uberius patet (*a*). Tinctura ſpirituoſa prima, [illegible] ex

(*a*) „Deſtillaveram, *ſcribit Cont. II. p.* 72., anno „1719. ex dicta herba olei copiam bene multam, „inſtitutaque hujus ab aqua ſeparatione cum goſ- „ſypio, cernebam, tam ad orificium vitri, quam „in goſſypio oleo imbuto, parvos figuratos cry- „ſtallulos hærentes, qui ipſam deſtillationem, „alias ſatis celerem, magis magisque remoraban- „tur, adeo, ut neceſſarium eſſet, goſſypium con- „tra morem aliquoties renovare. Mirabar, quid „rei novæ et extraordinariæ contigerit, varias- „que cogitationes agitabam, parum tamen vel „nihil certi ea de re, unde venerit, et quid eſſet, „poteram colligere, lagenam igitur oleo plenam „bene munitam reponebam. Interim ſemel ex- „citatæ et conceptæ de rei novitate cogitationes „inquietum me tenebant, quare ſciendi cupidi- „tate ductus, poſt paucos dies reſumo lagenam „olei, viſurus, an denuo Cryſtallulorum quid „ad orificium vitri hæreat, et quantulumcunque „demum id fuerit, per experimenta tamen par- „vula probaturus, cujus indolis illud ſit, ſed „circa orificium nihil ejusmodi reperiebam, circa „fundum vitri vero, quod me tanto magis atten- „tum, ne dicam attonitum, habuit, conſediſſe vi- „di Cryſtallos in ſic ſatis magna quantitate di- „verſæ magnitudinis, partim avellanas exæquan- „tes, pleraſque cubiformes ſacharo cando ſimi- „les. Nondum ſuſpicabar Camphoram, ſed po- „tius ſal volatile, quod præ copia herbæ ſucceſ-

ex ſolis foliis ſiccatis parata, colorem ex viridi nigricantem, odorem debilem balſamicum, et ſaporem acrem atque ſubamaricantem obtinet. Evaporata maſſam, alibi flavam, alibi ex viridi nigricantem, ſuppeditat, quæ thymum paullulum adhuc redolet, et ſapore

„ ſive ſimul tranſcenderit, et in parte aquoſa ſo-
„ lutum, poſtquam hæc fundum petiiſſet, purum-
„ que oleum ſupernataret, tandem ita coaluerit.
„ Effundo igitur oleum, ut ſal, quod eſſe puta-
„ bam, impetrarem, et judicii mei certior fierem.
„ Sed denuo in admirationem rapiebar, quod ne
„ guttulam quidem aquæ in fundo invenirem, ubi
„ conſultius nihil erat, quam magma ſalinum a
„ fundo liberare, et ab oleo ſeparatum ſervare.
„ Quo me igitur ex dubio extricarem, vel po-
„ tius, ut de ſale, quod judicando præſumſeram,
„ certior eſſem, tentabam experimentum, quo
„ cuncta ſalia cujuscunque indolis et nominis fue-
„ rint, probantur; magnam ſcilicet quantitatem
„ aquæ deſtillatæ infundebam ſuper materiam
„ cryſtallinam, ſat diu ſimul agitabam, huic per
„ aliquot horas quieti dabam, ſolutionem Cryſtal-
„ lini per omnes horæ quadrantes cupide, ſed
„ fruſtra, expectans; neque enim ſolutionem, ne-
„ que ullam mutationem ejus animadvertebam,
„ præter quod minimæ particulæ in ſuperficiem
„ elevarentur, majores vero, quantumvis bene
„ interagitatæ, fundum ſemper repeterent, et
„ aqua particulis oleoſis cryſtallinæ materiæ ad-
„ hærentibus, ſed agitatione liberatis, impræg-
„ nata eſſet. Transfundo aquam, et nova adfuſa,
„ denuo tentabam Cryſtallorum pro indole ſalium
„ ſolutionem, poſtquam hi ab adhærente oleo,
„ quod forſan ſolutionem ejus in aqua impediret,

ſapore valde acri, pungente ac ſimul camphorato pollet. Huic itaque principio poſt ſpirituoſo-oleoſum, quod potentiſſimum eſt, primus, intuitu virium, locus aſſignandus erit. Infuſum aquoſum, cujus color flavo-ſubfuſcus eſt, ipſius herbæ gratum atque ſpecificum odorem eructat quidem, debili nihilominus ſapore amaricante præditum; ac ſatis ideo iners deprehenditur. Extractum rubro- et flavo-fuſcum priſtino odore maximam partem

„liberati eſſent, ſed pertinaciter ſolutioni renitebantur, quam neque adhuc dum, ſæpius licet tentatam, admiſerunt. De hinc præoccupatione de ſalino concremento plane abjecta, conjecturare cepi, quod plane quid aliud, ſcilicet mixtum oleoſum, vel quaſi reſinoſum volatile ex oleo condenſatum eſſe debeat: hoc mecum perpendens ſub examen revoco varia alias exiſtentia mihique nota ſubjecta, ſi quod eorum cum novo hoc comparari queat, et mox ob ſimilitudinem cogitabam Camphoram; ſine mora igitur nova quædam, per quæ me magis certum de re fore ſperabam, adornavi, et ecce rei certus eram, ſiquidem omnia, quæ modo feci, experimenta non alia, quam quæ communis camphora ſuppeditat, phoenomena exhibuerunt, inde tandem, utpote, veritatis convictum, nullo plane dubio relicto, concludere me oportuit, corpus hoc cryſtalliforme aliud nihil, quam veram eſſe Camphoram, quæ ab orientali non niſi in eo differat, quod hæc Thymum, illa vero aliud vegetabile redoleat, quod, quia camphoram copioſam ſuppeditat, huc usque nullo alio, quam Arboris Camphoriferæ nomine indigitatum fuit. &c.

tem ſpoliatum occurrit, fortiori tamen, quam infuſum, ſapore amaricante, ſubſalſo, et auſteriuſculo gaudet. Uncia herbæ una mihi drachmas duas et grana ſedecim extracti aquoſi primi, et drachmam unam et ſcrupulos duos extracti ſpirituoſi primi reddidit.

§. VI.

Ob virium analogiam majoranæ commode, tam interne, quam externe, ſubſtitui poteſt, potentiori tamen virtute *ſtimulante*, *attenuante*, et *abſtergente* pollet, et plus ideo ad ſanguinem congrumatum et coagulatum diſſolvendum, lotiumque retentum ac calculum, nec minus ſanguinem menſtruum, ſecundinas et foetum mortuum pellenda et expellenda valet. Eminentiorem quoque effectum in morbis ſeroſo-pituitoſis catarrhalibus capitis, partiumque reliquarum edit. Datur in infuſo vinoſo ad pugillos aliquot, et ſubinde pariter ſpeciebus pro decocto, et infuſo theiformi miſcetur. Externe eadem quoque præſtat, quæ majorana, et frequentius, quam illa inter ſacculos, balnea, et inſeſſus uterinos recipitur.

§. VII.

SERPILLVM, SERPYLLVM, THYMVS SYLVESTRIS, Quendel, wilder Poley, wilder Thymian, nec minus ORIGANVM ſive MAIORANA SYLVESTRIS. Wohlgemuth,

muth, braune Doſten, ſponte in locis ſylveſtribus creſcunt, et adeo cum thymo hortenſi, quoad naturam, principia, ac vires, conveniunt, ut eidem, præſertim ſerpillum, interne ſubſtitui queant: Raro nihilominus interne præſcribuntur, ſed unice propemodum ſpeciebus pro ſacculis diſcutientibus atque nervinis, nec minus inſeſſibus uterinis et balneis miſcentur.

* *

CAPVT XIII.

HYSSOPO, MENTHA, MATRICARIA ET TANACETO.

§. I.

HYSSOPVS VULGARIS ANGVSTIFOLIVS, SPICATVS, FLORE COERVLEO Yſop, ubique in hortis ſeritur, et planta proinde notiſſima eſt. Folia, quæ floribus præſtantiora cenſentur, odorem balſamico-camphoratum ſpirant, et acri atque amaricante ſapore donata inveniuntur. Cum hac ſpecie, intuitu naturæ ac virium, etiam ſpecies reliquæ, nimirum HYSSOPVS FLORE ALBO, et PVRPVREO conveniunt, et altera igitur in alterius locum commode ſurrogari poteſt.

§. II.

Activitatem huic plantæ partim *volatilia principia oleoſo-ſpirituoſo-camphorata*, partim *fixa*

fixa gummeo-reſinoſa foenerantur. Oleum eſſentiale, quod principiorum reliquorum præcipuum eſt, mediocri quantitate inhæret, et, humida deſtillatione ex integra foliorum libra ſeparatum, plerumque drachmam unam et ſemiſſem, vel drachmas duas pendet. Non adeo magna quoque copia principium reſinoſum mixtionem ingreditur, et uncia foliorum una nondum integram drachmam extracti ſpirituoſi primi mihi ſuppeditavit. Subſtantia gummoſa, cujus vires tamen valde debiles ſunt, poſt recrementa inertia maximam ponderis partem conſtituit, et ultra drachmas tres adſcendit. Infuſum aquoſum primum flavo-ſubfuſcum eſt, debilemque herbæ odorem, et ingratum ſaporem camphorato-amaricantem poſſidet. Evaporatione in extractum mutatur, coloris flavo-fuſci, ſaporis ſubamaricantis, ſubſalſi et auſteriuſculi, odoris debilis, inſtar prunorum coctorum. Tinctura ſpirituoſa prima, ex viridi nigricans, ſapore acri aromatico gaudet, et odore ſuo partim ſpiritum vini, partim ipſam herbam prodit. Maſſa, inde inſpiſſando producta, alibi flavum, alibi viridi-nigricantem colorem obtinet, et odore debili balſamico, ſapore amaro, ſubacri, et camphorato prædita eſt. Patet uberius ex recenſitis examinibus, virtutem hyſſopi partim oleo æthereo, partim ſubſtantiæ reſinoſæ adſcribendam eſſe, portionem gummeam vero,

vero, licet maxima quantitate adſit, parum ad virium augmentum conferre poſſe.

§. III.

Vires *attenuantes*, *pectorales*, *diureticæ* et *uterinæ* in hyſſopo maxime a medicis prædicantur, frequentiſſimumque uſum in adfectibus pectoris pituitoſis, tuſſi videlicet, aſthmate, raucedine &c., nec minus in nephritide ſabuloſo pituitoſa, calculo, ſuppreſſione menſium, partu difficili et ſecundinis retentis, immo, in obſtructione hepatis et lienis, cachexia icteritia &c. invenit. Datur plerumque in infuſo vinoſo, rarius decocto, a pugillo uno ad duos, tres, quatuor. Externe cum aqua aut vino coquitur, et partibus, poſt plagam &c. ſanguine ſuffuſis, cum fructu imponitur, nec raro quoque ingredientia gargariſmatum auget, quæ contra tumorem glandularum ſalivalium, laxitatem uvulæ, anginam ſpuriam, odontalgiam, ſcorbutum oris, et linguæ paralyſin adhibentur.

§. IV.

MENTHA HORTENSIS CRISPA OFF. ſive ROTVNDIFOLIA ALTERA FLORE SPICATO LOB. krauſe Münze, fortem odorem balſamicum emittit, et acri atque amaricante ſapore pollet. Seritur in hortis, et probe a MENTHA AQVATICA, MEN-

THA

THA CATTARIA, MENTHASTRO ac reliquis ſpeciebus ignobilioribus diſtinguenda erit. *Copioſa* et valde *activa principia oleoſo-ſpirituoſa*, et *reſinoſo-gummea* in naturali ſua mixtione fovet. Oleum eſſentiale, quod primaria activitatis cauſſa exiſtit; poſt deſtillationem colore flaveſcente, qui intra breve tamen tempus in rubicundum, tandemque obſcure rubrum mutatur, tinctum cernitur, et valde calida indole, ſummaque fragrantia pollet. Ex libra una foliorum ſiccatorum, juſto tamen tempore collectorum, tres circiter drachmæ eliciuntur. Portioni ſpirituoſæ, quæ ſeſe maxime in aqua deſtillata manifeſtat, et oleo quoque æthereo extractum reſinoſum, intuitu nempe virtutis, ſuccedit; in gummoſa vero ſubſtantia, eſſentiali oleo prorſus ſpoliata, parum activitatis deliteſcit. Nam infuſum aquoſum primum, licet quidem colore flavo-ſubfuſco gaudeat, et ſat fortem herbæ odorem ſpecificum adhuc eructet, nullo tamen ſingulari ſapore pollet, ſed valde iners reperitur, et maſſam fuſco-nigricantem poſt evaporationem relinquit, quæ debili duntaxat atque nonnihil ingrato odore melleo, et debili pariter ſapore ſubacri, cui leniſſime amaricans et ſubadſtringens mixtus ſentitur, donata eſt. Ex uncia foliorum una ferme drachmas tres obtinui. Tinctura ſpirituoſa prima, cujus color ex viridi nigricans eſt, odor debilis balſamicus, ſapor aro-

maticus, peracta inſpiſſatione, extractum nigricans, priori longe præſtantius, largitur. Mentham enim odore adhuc prodit, et ſatis fortem ſaporem acrem, amaricante et ſubadſtringente mixtum, poſſidet. Uncia foliorum una mihi ſaltem grana quinquaginta reddidit.

§. V.

Vires hujus herbæ *ſtomachales*, *carminativæ*, et *uterinæ* præſtantiſſimæ ſunt, ita, ut non facile medicamentum ſimplex inveniatur, huic in adfectibus frigidis flatulentis et hyſtericis, chloroſi, fluore albo, ſuppreſſione fluxus menſtrui &c. intuitu activitatis præferendum. Multum etiam valet ad ventriculum roborandum, profluvia alvina cohibenda, et vermes expellendos, immo, in variis capitis ac pectoris morbis, ex uteri aut primæ culinæ vitio naſcentibus, utilitate non deſtituitur. Præſcribitur interne in decocto et infuſo, præſertim vinoſo, ad pugillum unum alterumve. Externe ſub forma ſacculi abdomini, præſente ventriculi imbecillitate, vomitu, colica, cardialgia, diarrhoea, itemque mammis mulierum, ad tumores duros diſcutiendos et ipſum lac minuendum ac diſſolvendum, imponitur. Frequentiſſime præterea ſacculos diſcutientes ac roborantes, in paralyſi, oedemate membrorum &c. proficuos, nec minus balnea uterina ingreditur.

§. VI.

§. VI.

HERBA et FLORES MATRICARIÆ ejuſdem indolis atque virtutis ſunt, et plerumque conjunctim adhibentur. Odore admodum fragrante, eoque balſamico ingrato, gaudent, et acriuſculum atque amarum ſaporem linguæ imprimunt. Seritur hæc planta in hortis, et ſponte pariter in locis campeſtribus creſcit. Præter principium oleoſo-ſpirituoſum, copioſa principia fixa reſinoſo-gummea in foliis non minus, quam floribus adſunt. Unica enim uncia florum, quibus aliqua tamen foliorum portio mixta erat, mihi drachmas tres et ſcrupulum unum extracti primi aquoſi, maximam partem gummoſi, et ſcrupulos quatuor extracti ſpirituoſi primi reddidit. Infuſum aquoſum ipſam plantam redolet, et ſatis amaro ſapore, atque ſubfuſco colore eſt. Inſpiſſatum maſſam ſiſtit, ſalſo quidem ac ſatis amaro ſapore, aſt debili ſaltem odore, qui plantam non adeo amplius prodit, donatam. Tinctura ſpirituoſa colore flavo-ſubviridi, odore debili balſamico, ſapore acri, aromatico atque amaricante pollet, et evaporata extractum relinquit, quod colore ex flavo fuſco, ad nigrum nonnihil vergente, odore balſamico ſpecifico, ac ſatis grato, ſapore ſubacri, aromatico et valde amaro præditum eſt. Longe hoc poſterius activitate ſuperat extractum aquoſum, et inde igitur colligere licet, vir-

tutes hujus plantæ magis a partibus oleoſo-ſpirituoſis, et fixis reſinoſis, quam gummeis dependere. Oleum æthereum ſubſtantiale non adeo copioſe quidem innatum reperitur, ejusdem tamen penuriam relativam ſpirituoſa portio inſigni copia ſua, quam odor fragrantiſſimus demonſtrat, abunde compenſat.

§. VII.

Operationem ſuam hæc planta partim diſcutiendo et abſtergendo, partim roborando abſolvit, et inde quoque notiſſimæ ac ſatis eximiæ virtutes *uterinæ*, *diureticæ*, et *carminativæ*, quibus inſtructa deprehenditur, derivandæ erunt. Sterilitati nempe, ſuppreſſioni fluxus menſtrui et lochialis, paſſioni hyſtericæ, fluori albo, ceterisque uteri morbis, quoties ſcilicet ex atonia partium ſolidarum, et humorum craſſitie atque muciditate naſcuntur, ſpecifice ac valide medetur, et multum quoque ad vermes necandos, materiam ſabuloſam et urinam pellendam, flatus diſcutiendos, foetum mortuum excludendum, et ſanguinem congrumatum reſolvendum valet. Interne in decocto et infuſo, tam aquoſo, quam vinoſo, ad unum alterumve pugillum, præſcribitur; externe autem inter inſeſſus, et balnea uterina, nec minus inter epithemata humida et ſicca, contra inflammationes partium, tumorem atque duritiem

duritiem mammarum, dolores colicos &c. adplicanda, frequentiſſime recipitur.

§. VIII.

Matricariæ TANACETVM VULGARE LVTEVM, gemeine gelbe Rheinfarn, ratione naturæ ac virium valde analogum eſt. Uſum invenerunt folia et flores, poſteriores tamen palmam prioribus præripiunt, adeoque paullo frequentius adhibentur. Odor eorum plerisque hominibus diſplicet, et ingens fragrantia apud multa, præſertim plethorica et cholerica, ſubjecta, capitis dolorem excitat. Sapor ſubacris, amarus et aromaticus eſt. Paſſim hæc planta in locis incultis creſcit, et ſolum inprimis ſiccum atque arenoſum amat.

§. IX.

Abundat *principiis reſinoſo-gummeis*, et *ſpirituoſo-camphoratis*, immo, modicam *olei ætherei ſubſtantialis* portionem naturalem mixtionem ingredi, deſtillatio humida monſtrat. Infuſum aquoſum colore flavo-rubente tinctum cernitur, ipſos flores valde redolet, et ſapore balſamico atque eminenti amaro pollet. Maſſa inſpiſſata flavo- et rubro-ſubfuſca ſaporem ſubacrem, amarum, ſalſo nonnihil remixtum, et debilem odorem balſamicum, non amplius tamen adeo, ac prius in infuſo, ſpecificum, obtinet. Unde

cognoſcere licet, quod fragrantiæ ratio unice ab oleo æthereo, quod ſub evaporatione ſenſim in auras avolat, petenda ſit. Tinctura ſpirituoſa prima infuſo aquoſo longe præſtantior eſt, et, præter colorem dilute aureum, et moderatum odorem balſamicum, ſatis fortem ſaporem aromaticum atque amarum poſſidet, eodemque flores perfecte prodit. Iisdem proprietatibus etiam extractum inſpiſſatum gaudet, immo, intuitu ſaporis, adhuc potentius eſt. Ex una florum uncia drachmas duas et aliquot grana extracti aquoſi primi, et drachmam unam, et grana ſedecim extracti ſpirituoſi primi impetravi.

§. X.

Potiores hujus plantæ virtutes ad *carminativas*, *anthelminticas* et *uterinas* referendæ ſunt; hinc in ſingulis quoque morbis, in quibus matricaria commendata fuit, maxime autem in adfectibus flatulentis et verminoſis, egregiam utilitatem præſtat. Datur optime in infuſo vinoſo, ad unum alterumve pugillum, et e floribus efficaciſſimam pariter tincturam parare licet. Externe balnea uterina et antiparalytica, nec non decocta travmatica et anthelmintica ingreditur.

CAPVT

CAPVT XIV.

DE SATVREJA ET MARO VERO.

§. I.

SATVREIA SATIVA HORTENSIS, Saturey, Pfefferkraut, propter multiplicem atque frequentem uſum oeconomicum in hortis plerisque ſeritur, adeoque planta notiſſima eſt. Folia, quæ cæteris partibus præſtantiora ſunt, odore gaudent aromatico, et leviter ſaltem manducata valde acrem, pungentem, et, piperis ferme inſtar, urentem ſaporem guſtus organo imprimunt, immo, ſi adhuc recentia paullulum teruntur, naribusque admoventur, vividam in iis titillationem ac ſternutationem halitu ſuo excitant.

§. II.

Efficaciſſimis *principiis oleoſo-reſinoſo-guimmeis* inſtructa ſunt. Oleum ſubſtantiale æthereum, humida deſtillatione ſeparatum, magna acredine pollet, et ſpirituoſis particulis adeo refertum eſt, ut recens vulgaria vitri obturamenta penetret, et in naribus pruritum producat. Subſtantia gummea ſatis larga quantitate adeſt, activitate nihilominus par-

parciori principio oleoſo-reſinoſo longe cedit. Nam rubro-fuſcum infuſum aquoſum, licet odorem balſamicum emittat, admodum iners, et acredine prorſus deſtitutum ſentitur. Inſpiſſata maſſa nigricans non multo præſtantior eſt, et debili duntaxat odore balſamico, eoque nonnihil ingrato, debilique ſapore amaricante, ſubacri, ac paullulum adſtringente prædita reperitur. Uncia una mihi drachmas duas cum ſemiſſe ſuppeditavit. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate viridi, ad nigricantem paulisper vergente, gaudet, odorem herbæ ſpecificum, ac longe gratiorem, quam infuſum aquoſum, diffundit, et ſaporem acrem, modice urentem, ac pungentem poſſidet. Similes proprietates in extracto inſpiſſato inveniuntur, præterquam, quod odor, qui volatilibus particulis ſpirituoſo-oleoſis unice in acceptis ferendus eſt, paullo debilior, ſapor ex adverſo acrior et magis aromaticus exiſtat.

§. III.

Partibus ſolidis vividos hæc planta ſtimulos imprimit, et humores viſcidos quoque, incidendo ac commovendo, reſolvit, attenuat, et abſtergit, adeoque modo utroque motus in toto corpore intendit, et ſe- et excretiones quaſcunque egregie auget ac promovet. Non infimum igitur locum inter *an-*

tiſcor-

tiſcorbutica, *diuretica*, *lithontriptica*, *carminativa*, *ſtomachalia*, *pectoralia*, *uterina* et *aphrodiſiaca* occupat, et magnopere in variis morbis chronicis, a motuum languore, et humorum ſpiſſitudine atque lentore oriundis, maxime autem in ſopore præternaturali, refractariis febribus quartanis, ſcorbuto, cachexia, oedemate membrorum, tympanitide, aſthmate pituitoſo, calculo, ſuppreſſione menſium &c. ſeſe commendat, ſi interne, ſub forma infuſi vinoſi, a pugillo uno ad duos, exhibetur. Subinde etiam, præſertim in adfectibus ſcorbuticis, ſero lactis infunditur, immo frequentiſſime cibis flatulentis condimenti loco additur. Externe, cum vino prius cocta, partibus ſugillatis, nec minus oculis contra incipientem cataractam, auribusque contra ſuſurrum, et cophoſin imponitur. Non contemnendam quoque utilitatem in aphonia, intumeſcentia glandularum ſalivalium, et uvulæ laxitate ſpondet, quando gargariſmatibus modica quantitate additur.

§. IV.

Saturejæ, ob aliquam principiorum ſimilitudinem, MARVM VERVM jungi meretur. Planta hæc apud nos ſolummodo in hortis colitur, et tam ſingularis naturæ eſt, ut nonſolum inter *aromatica*, ſed inter *acria* pariter, *Sect. VIII.* pridem deſcripta, collo-

cari poſſit. Nam folia, parva, oblonga, acuta, pallide viridia, recentia, paullulum contrita, halitum, nares fortiter ferientem, exſpirant, et fortem quoque acredinis ſenſum in ore excitant, ita tamen, ut odori non minus, quam ſapori balſamici et aromatici quidquam admixtum ſit.

§. V.

Principia, quibus odor, ſapor, et vires recte adſcribuntur, æque, ac in reliquis hujus commatis plantis, in genere ad *oleum æthereum*, et *fixam ſubſtantiam reſinoſo-gummeam* redeunt. Oleum, deſtillando prolectum, valde ſpirituoſum atque acre eſt, et oleo cochleariæ, teſtante B. HOFFMANNO (*a*), neque odoris et ſaporis penetrantia, neque pretio multum cedit. Poſt oleum eſſentiale ſubſtantia reſinoſa præcipuam conſiderationem meretur, et infimo demum loco pars gummea collocanda eſt. Infuſum ſpirituoſum, viridi-flaveſcente colore tinctum, magnarum virium eſt, et vividum ſaporem acrem et aromaticum linguæ imprimit. Maſſa flavo- et ſubviridi-nigricans, poſt evaporationem relicta, adhuc potentior eſt, fortemque aromaticæ atque pungentis acredinis ſenſum in faucibus ac toto guſtus organo excitat. Infuſum aquoſum ipſam quidem plantam magis, quam tinctura ſpirituoſa, redolet, acri tamen

(*a*) In Obſ. Phyſico-chym. ſelect. p. 17.

tamen et aromatico ſapore longe inferius deprehenditur. Et hoc poſterius etiam de ipſo extracto dicendum eſt; quippe quod acredine caret, et amaricantem ſolummodo ſaporem poſſidet.

§. VI.

Ad medicamenta eximia, ac valde activa hæc planta pertinet, quoniam multa alia, analoga indole, ſimilibusque principiis donata, virtute *ſtimulante*, *attenuante*, *diuretica*, et *antiſcorbutica* ſuperat. Hactenus quidem uſus ejus in noſtris regionibus, ob parciorem ſine dubio proventum, non adeo frequens fuit, certo nihilominus certius eſt, folia, vino infuſa, vel etiam in eſſentiam cum ſpiritu vini redacta, in quibusvis morbis, a ſolidorum flacciditate, et craſſa ac copioſa pituita oriundis, aſthmate v. g., ſopore præternaturali, hemicrania, rebelli viſcerum obſtructione, fluore albo, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, ſcorbuto, cachexia, oedemate, et ſic porro, ſemper egregie profutura eſſe.

CAPUT

* *

CAPVT XV.

DE

SABINA ET ABROTANO.

§. I.

Folia *fruticis* et *arboris*, SABINÆ, Sade-baum-Blätter, ſatis fortem, præſertim contrita, odorem balſamicum ſpirant, et amari, acris, atque aromatici ſaporis ſenſum in lingua excitant. Folia fruticis, ſeu *Sabinæ vulgatioris folio tamariſci*, propter ſaporem acriorem, potentiora, quam folia arboris ſeu *Sabinæ majoris folio cupreſſi* cenſentur, et frequentius proinde in uſum medicum trahuntur. In noſtris regionibus binæ hæ Sabinæ ſpecies unice in hortis coluntur, in calidioribus autem paſſim quoque in locis montanis et ſylveſtribus ſponte creſcunt.

§. II.

Oleo eſſentiali aromatico abundant, idemque in libra civili ultra uncias duas et ſemiſſem pondere adſcendit. Non deficiunt quoque *principia fixa reſinoſa* et *gummea:* Una enim foliorum uncia mihi drachmas duas et grana aliquot extracti aquoſi primi, et drachmam unam cum ſemiſſe extracti ſpirituoſi primi reddidit. Virtus primaria in oleo et ſubſtantia reſinoſa latet, pars gummea vero

non

non adeo activa reperitur. Infuſum aquoſum primum colore ſubfuſco, ad flavum inclinante, odore foliorum ſpecifico, et ſapore amaricante gaudet. Inſpiſſatum ſatis tenax atque mucoſum foeneratur extractum, debilis quidem odoris balſamici, non amplius tamen ſpecifici, ſaporis ſubacris, ſubadſtringentis ac paullulum aromatici. Tinctura ſpirituoſa prima colorem obſcure viridem, odorem plantæ ſpecificum, et ſaporem ſubacrem, aromaticum atque amaricantem poſſidet. Maſſa inſpiſſata plane ſingularis eſt, et ex duplici materia, altera nimirum flava, altera nigricante, conſtat: Portio flava, quæ oleoſa et nonnihil fluida adparebat, ſapore acri, amaricante, atque aromatico prædita erat, et ſpecificum plantæ odorem ſenſibilius diffundebat, nigricans vero ſiccior atque tenacior reperiebatur, et, præter acrem et amaricantem ſaporem, ſimul quoque debilem adſtringentem obtinebat. Probabile itaque eſt, aliquam craſſioris olei eſſentialis partem remanere, et cum tenerioribus moleculis reſinoſis mixtum, laudatam maſſam ſpiſſiuſculam formare.

§. III.

Vires hujus plantæ *anthelminticæ*, *emmenagogæ*, et *diureticæ* hominibus plerisque notiſſimæ ſunt, adeoque contra ſterilitatem, et fluorem album, nec minus ad calculum, urinam, fluxum menſtruum, et foetum mortuum

tuum pellendum, vermesque necandos creberrime adhibetur. Non promiſcue tamen, ſed valde circumſpecte in memoratis et ſimilibus morbis in uſum vocanda eſt, ne nimia activitate corpori noxam inferat. Præſcribitur in infuſo et decocto aquoſo ac vinoſo ad unum alterumve pugillum. Externe ſuffimigiis, decoctis, clyſteribus, et balneis, diſcutientis, anthelminticæ, travmaticæ et uterinæ virtutis, additur, immo pulvis purificandis ac conſolidandis ulceribus malignis inſpergitur, et, cum melle prius ad emplaſtri aut cataplasmatis formam redactus, ſic dictum vermem umbilicalem, ſi aliquamdiu umbilico imponitur, necat.

§. IV.

ABROTANVM MAS VULGARE, Stabwurtz, Ebreiß, in hortis colitur, et ſapore amaro, gratoque odore citrino gaudet. Vires medicæ, poſtea recenſendæ, magis in *principio reſinoſo-oleoſo*, quam *gummoſo* latent, licet oleum eſſentiale æthereum, et ſubſtantia fixa reſinoſa longe minori quantitate, quam fixa pars gummea, mixtionem naturalem ingrediantur. Ex uncia enim foliorum una drachmas duas ac totidem ferme ſcrupulos extracti aquoſi primi, et drachmam duntaxat unam cum ſemiſſe extracti ſpirituoſi primi obtinui. Infuſum aquoſum, flavo-rubente colore tinctum, plantam odore ſatis prodit,

prodit, inertem nihilominus ſaporem amarum poſſidet, et poſt evaporationem maſſam obſcure fuſcam, grato ac quaſi melleo odore, atque ſubacri, nonnihil ſalſo, et amaro ſapore donatam, relinquit. Tinctura ſpirituoſa viridi-nigricans non adeo ſingularem quidem odorem emittit, vivido nihilominus ſapore aromatico atque amaricante pollet, et evaporata extractum valde activum, acre, amarum et aromaticum, alibi aurei, alibi nigricantis coloris, ſuppeditat.

§. V.

Abſtergendo, diſcutiendo ac roborando in corpore operatur, et egregie inprimis virtute *carminativa*, *anthelmintica*, *uterina*, immo, *cardiaca*, *pectorali*, *diuretica* et *alexipharmaca* ſeſe commendat. Melius in decocto et infuſo vinoſo, quam aquoſo, ad unum alterumve pugillum, præſcribitur, præſertim ſi in refractariis morbis pituitoſis, v. g. aſthmate, fluore albo, paſſione hyſterica, ſuppreſſione menſium, obſtructione hepatis, lienis &c. uſus ejusdem neceſſarius eſt. Externe ſpeciebus pro balneis uterinis, et decoctis anthelminticis ac vulnerariis ſæpiſſime miſcetur, immo ſacculis ſiccis diſcutientibus atque nervinis, nec minus clyſteribus carminativis et anthyſtericis haud raro additur.

CAPVT

CAPVT XVI.
DE
CHAMOMILLA ET MILLEFOLIO.

§. I.

Duplex in Officinis CHAMOMILLA proſtat, altera nimirum VULGARIS, altera ROMANA. Illa, quæ etiam *Chamæmelum*, ſive *Leucanthemum vulgare* dicitur, paſſim in arvis, vineis, aliisque locis campeſtribus, iisque cultis, creſcit; hæc autem, *Chamomilla* nempe *nobilis*, ſive *Romana*, apud nos in hortis ſeritur, et in calidioribus ſolummodo regionibus ſponte, et absque ulla cultura progerminat. Flores apud ſpeciem utramque palmam foliis præripiunt, adeoque longe frequentius, quam illa, uſibus medicis impenduntur. Odor eorum balſamicus eſt, paullo debilior tamen et quodammodo nauſeoſus (*a*) apud flores chamomillæ vulga-

(*a*) Odor pro ſoli natalis diverſitate admodum variat, et nunc gratior, nunc ingratior exiſtit. Idem B. SCHVLZIVS in *Diſſ. de Chamæmelo* teſtatur: „Notabile, videtur, *pag. 18. ſcribit*, quod chamæ„melum vix umquam alibi reperiatur, quam in „agris cultis: atque hos inter non tantopere amet „ſolum nigrum, et natura pingue, quam ali„quanto macrum et arenoſum; inque tali, ſi pro„be ſtercoratum fuerit, non ſolum copioſiſſime „proveniat, verum etiam odore malo cydonio

ſimplicis, fragrantior vero atque gratiſſimus apud chamæmelum Romanum. Similem differentiam circa ſaporem deprehendimus; quippe qui in floribus chamomillæ Romanæ magis amarus ac ſimul aromaticus eſt, in vulgaris autem chamæmeli floribus remiſſior, et ſimul mucilagineus.

§. II.

Principiis activis, tam *fixis ſalſo-reſinoſo-gummeis*, quam *volatilibus ſpirituoſis* ſcatent, *ſubſtantialis* autem *olei ætherei* non adeo multum ſub deſtillatione humida largiuntur, idemque raro ex libra integra florum chamomillæ ſimplicis ad ſcrupulum unum, et ex æquali florum chamomillæ Romanæ quantitate ad drachmam ſemiſſem pondere ſuo adſcendit. Oleum chamæmeli vulgaris poſt deſtillationem amoeniſſimo colore coeruleo tinctum conſpicitur, aſt ille non conſtanter remanet, ſed, elapſis aliquot ſeptimanis aut menſibus, in fuſcum mutatur, præſertim ſi aeri crebrior in vitrum acceſſus pateat. „Præ„terea, B. FRID. HOFFMANNVS ſcribit *(a)*, „mentio etiam eſt facienda oleorum florum „chama-

„proxime accedens. Ubi vero in agris nigriori „ſolo præditis et compactatiore, nuper etiam ſter„coratis, creſcit, non perinde jucundum odorem „ſpargit, et cotulæ foetidæ nomen meretur. &c.

(*a*) In Obſ. phyſico-chym. p. 11.

„chamomillæ vulgaris, et ſummitatum mil-
„lefolii, quæ olea ſi pura, et quamdiu re-
„centia ſunt, eleganti coeruleo oculis blan-
„diuntur colore, qui vero poſtea perit, in-
„que brunum mutatur. Enim vero, ſi diu-
„tius et ultra annum hic color olei florum
„chamomillæ pulchre coeruleus perſiſtit,
„certi mangonii ſiſtit indicium: nam oleum
„terebinthinæ, quod a cupro ſaturate coeru-
„leum fit, immiſcere illis oleis ſolent. &c.
Oleum chamæmeli Romani ſaphirino hoc colore deſtituitur, et ſaltem flaveſcens prodit, viribus nihilominus præcedenti analogum eſt, immo paullo adhuc calidius atque potentius deprehenditur, præſertim ſi planta in Italia, aliisque regionibus calidis adoleverit.

§. III.

Fixa principia reſinoſa et gummea in utraque chamæmeli ſpecie copioſius adſunt, et vires medicas, oleo memorato præcipue adſcribendas, miſcela ſua nonnihil augent, immo, vulgaris chamomillæ floribus emolliendi virtutem conciliant. Uncia florum chamæmeli Romani dimidiam ferme unciam extracti aquoſi primi, et drachmas duas, totidemque ſcrupulos extracti reſinoſi primi ſuppeditat. Infuſum aquoſum, cujus color ſaturate aureus eſt, ſpecificum ſimplicis odorem eructat, et debilem balſamicum, ac modice

dice amarum ſaporem obtinet. In extracto inſpiſſato odor flavus in ſubfuſcum mutatur, odor valde imminuitur, amarities vero increſcit, et ſapore auſteriuſculo paullulum remixta videtur. Tinctura ſpirituoſa aurei coloris eſt, odore magis ſpiritum vini, quam flores prodit, et ſatis forti ſapore amaro atque balſamico pollet. Maſſa inſpiſſata quoad ſaporem cum tinctura convenit, odore autem decoctum prunorum æmulatur.

§. IV.

A principiis chamomillæ Romanæ principia fixa florum chamomillæ vulgaris indole, ac pondere parum differunt: Nam uncia una florum memoratorum dimidiam unciam extracti aquoſi primi, et drachmas duas ac grana quinquaginta extracti ſpirituoſi primi mihi reddidit. Tinctura ſpirituoſa colore obſcure viridi eſt, odore debili balſamico, ſapore acri, blande balſamico et amaricante. Poſt evaporationem maſſa relinquitur, coloris viridi-nigricantis, odoris balſamici, et ſaporis amaricantis atque aromatici. Infuſum aquoſum deterioris conditionis eſt, et, licet quidem flores adhuc ſatis redoleat, ingratum ſolummodo et inertem ſaporem amaricantem poſſidet. In extracto fuſco-nigricante ſapor, mucilagineus nempe, ſubacris, ſalſus et amaricans fortior, odor ſpecificus vero longe debilior deprehenditur.

 §. V.

§. V.

Fixis hiſce principiis, præſertim gummoſo ſive mucilagineo, *ſal ſalſum*, culinari analogum, immerſum eſt. Cognoſcimus illud ex ſapore vix deſcripti extracti aquoſi, immo ipſius infuſi vinoſi: Hoc poſterius enim, ſi vinum aliquoties floribus recentibus ſuperfunditur, et blande cum iisdem coquitur, vel ſaltem digeritur, teſtante SIMONE PAVLI (*a*), tam ſalſum redditur, ac ſi aliquot ſalis culinaris pugilli injecti fuiſſent. Non hæret cæteroquin in intima mixtione, multo minus in ipſa planta generatur, ſed ex fimo, quo agri fertiles redduntur, ſenſim extrahitur, ſenſimque cum ſucco nutriente in plantæ tubulos tranſit, et reliquis principiis obiter miſcetur.

§. VI.

Uſus medicus florum chamomillæ utriusque, tam internus, quam externus, latiſſime patet, quoniam eximiis plane viribus *carminativis*, *uterinis*, *diſcutientibus*, *anodynis* et *antiſpasmodicis*, quibus in calidiori chamæmelo Romano *nervinæ*, et in temperatiori vulgari *abſtergentes* et *emollientes* accedunt, inſtructi ſunt. Iure igitur multis aliis medicamentis in adfectibus flatulentis et ſpasmodico-dolorificis, colica v. g., cardialgia, paſſione hypochondriaca et hyſterica, dolore nephri-

(*a*) Vid. Ejusd. Quadripart. Botan. p. 282.

nephritico &c. præferri merentur. Singulare præterea et ſpecificum omnino remedium a veterum non minus, quam neotericorum nonnullis in febribus intermittentibus, præſertim tertianis, prædicantur; quam virtutem tamen magis floribus chamæmeli Romani, quam vulgaris, adſcribendam eſſe arbitror, quum priores in morbis, ubi validiori reſolutione et diſcuſſione opus eſt, plus, quam poſteriores, qui magis emolliendo ac relaxando operantur, præſtare conſueverint. De virtute anthelmintica, quam aliqui ſimplici huic pariter tribuunt, nihil addam, quoniam nondum ſatis comprobata eſt, vel nullo tamen ſingulari fundamento nititur. Interne hi flores in decocto et infuſo aquoſo aut vinoſo ad aliquot pugillos præſcribuntur, et ex chamomillæ Romanæ floribus efficaciſſima quoque eſſentia paratur, quæ inter remedia carminativa et anthyſterica eminentem locum occupat.

§. VII.

Externe uſum adhuc frequentiorem inveniunt, multisque adfectibus, qui emollientia, paregorica, et blanda diſcutientia ad ſui curationem poſtulant, egregie medentur, quando pro ægritudinis et partis adfectæ diverſitate, modo inter clyſteres, modo inter ſacculos et epithemata ſicca, modo inter cataplasmata, emplaſtra, fomenta, inſeſſus, balnea

balnea vaporis &c. recipiuntur. Numerus morborum, quibus, extrinſecus ſub hac vel illa forma adhibiti, opitulantur, valde magnus eſt, iisdemque, obſervato tamen juſto applicationis modo ac tempore, cardialgia, colica, tormina ventris, paſſio iliaca, hypochondriaca et hyſterica, ſuppreſſio et defectus menſium atque lochiorum, dolor nephriticus, obſtructio urinæ, ſive a calculo ſive ſpaſmo orta, hernia incarcerata, dolores rheumatici, et arthritici, tumores, inflammatorii non minus, quam frigidi lymphatici, dolor, durities et intumeſcentia mammarum, oedemata membrorum, obſtructio alvi, hæmorrhoides coecæ et dolentes, rigiditas articulationum, ſiccitas ligamentorum, et ſtrictura membranarum præ reliquis adnumerari merentur. Iterum nihilominus iterumque monendum duco, flores chamomillæ ſimplicis operationem ſuam præcipuam emolliendo, flores chamæmeli Romani autem diſcutiendo abſolvere, et priores proinde ſæpius clyſteres, cataplasmata, fomenta, et balnea, poſteriores autem ſacculos et epithemata ſicca ingredi.

§. VIII.

MILLEFOLIUM, Schaaf-Garbe, Garbenkraut, cujus folia et flores, ob inſignem activitatem ſuam, uſibus medicis creberrime deſti-

deſtinantur, triplicis generis eſt, nimirum *vulgare flore albicante*, vel *ex albo purpuraſcente*, (a) *nobile flore purpureo*, et *luteum*. Vulgare in pratis et plerisque locis campeſtribus, maxime autem juxta vias et in paſcuis, ubi animalia ſtercora ſua projiciunt, creſcit, nobile autem flore purpureo ple-

 rumque

(a) „Natura interdum ludit, B. FRID. HOFFMAN-„NVS *in Diſſ. de Millefolio p. 11. ſcribit*, et flores „monſtrat purpureos vel ex albo purpuraſcen-„tes, uti idem in aliis quoque obſervatur plan-„tis, et cumprimis in coeruleo illo agrorum de-„core cyano, quem non ſemel flore albo vel pur-„pureo, aut aliis coloribus ornatum reperire con-„tigit. &c. Nonnulli agricolarum, quod pariter hoc loco addere placet, opinantur, ſenſim millefolium degenerare in chamæmelum, cujus opinionis, quam tamen falſam judico, B. SCHVLZIVS in antea allegata *Diſſertatione de Chamæmelo* uberiorem mentionem fecit: „Etiam illud, „*p. 18. ſcribit*, habeo a viro, qui ſæpius obſerva-„vit, quod iis locis, quæ nuper prata fuerunt, et „in culta arva mutata ſunt, primo anno millefo-„lium inter ſegetes crebrum ſit, chamæmelum „raro conſpiciatur: ſequentibus autem millefo-„lium rarius, chamæmelum longe frequentius „conſpiciatur: prorſus ut agricolis quibusdam „perſuaſum ſit, millefolium, quod prata magis „amat, cum tempore, et cultura accedente, in „chamæmelum mutari: atque viciſſim chamæ-„melum, ſi ager ipſo luxurians in pratum conver-„tatur, ad millefolii naturam migrare. Hanc ego „quidem obſervationem ſuis auctoribus relinquo, „et illis, quibus occaſio obſervandi favet, com-„mendo. &c.

rumque in hortis ſeritur, et luteum denique, quod rariſſimi tamen proventus eſt, in campis et hortis reperitur. Vulgare uſus frequentioris eſt, et ſapore acri amaricante, odore forti balſamico, nonnihil quaſi camphorato, gaudet. Flores foliis paullo præſtantiores judicantur, quoniam ſapor eorum magis aromaticus exiſtit. A millefolio vulgari reliquæ ſpecies, præſertim nobile flore purpureo, parum vel nihil in hoc paſſu differunt, et altera igitur alterius locum tempore uſus occupare poteſt.

§. IX.

Reſpectu principiorum millefolium cum chamomilla multa communia habet: Æque nempe, ac illa, ſub deſtillatione humida *parum olei coerulei* ſive *ſapphirini* reddit, ſi in pingui nempe ac ſtercorato ſolo natum fuerit; contrarium namque accidit, et oleum, ſubflavo colore tinctum, elicitur, quando in macriori et arenoſo ſolo adolevit. *Copioſa* præterea *principia fixa reſinoſo-gummea* poſſidet, quæ una cum ſubſtantia ſpirituoſo-oleoſa, cui primus intuitu activitatis concedendus erit locus, vires medicas ipſi foenerantur; præſtantior tamen portio reſinoſa, quam gummoſa, deprehenditur. Infuſum aquoſum primum, ex ſolis floribus paratum, rubro- et flavo-ſubfuſci coloris eſt, odoris nauſeoſi, ſaporis moderate amaricantis. Inſpiſ-

ſatum

ſatum maſſam offert obſcure fuſcam, vel potius nigricantem, odore ingrate balſamico, ſapore ſubacri ac paullulum ſalſo atque auſteriuſculo donatam. Ex uncia una drachmas duas et grana viginti quatuor impetravi. Tinctura ſpirituoſa prima flavo-viridi obſcuriori colore gaudet, et linguæ acrem, amaricantem atque aromaticum ſaporem imprimit. Maſſa inſpiſſata, ſaturate flava, gratum ſpirat odorem balſamicum, et amaricantem, aromaticum atque nonnihil camphoratum ſaporem obtinet. Uncia una circiter drachmam unam cum ſemiſſe mihi ſuppeditavit. Extracta et infuſa ejusdem ferme conditionis, largiori tamen quantitate, ipſa herba largitur. NEVMANNVS enim ex uncia una drachmas tres et ſcrupulum unum extracti aquoſi primi, et drachmas duas cum ſemiſſe extracti ſpirituoſi primi ſeſe impetraſſe teſtatur *(a)*.

§. X.

Simplici huic a medicis quamplurimis ſingulares vires *antiſpasmodicæ*, *ſedativæ*, *tonicæ*, *antepilepticæ*, *anthyſtericæ*, *travmaticæ*, et *anthelminticæ* adſcribuntur, et multi igitur folia non minus, quam flores, in cardialgia, colica, malo nephritico, paſſione hypochondriaca et hyſterica, tormentis hæmorrhoidalibus, doloribus poſt partum, a lochiorum

H 5 ſuppreſ-

(a) Lib. cit. p. 943.

ſuppreſſione oriundis, epilepſia idiopathica, et conſenſuali uterina, hæmorrhoidali ac verminoſa, nec minus in aſthmate; febribus intermittentibus, gonorrhoea benigna, fluore albo, exulceratione renum, cæterorumque viſcerum *(a)*, excedentibus hæmorrhagiis,

(a) „Denique, HOFFMANNVS in vix allegata *Diſ„ſertatione p. 23. ſcribit*, millefoliata mirifica pol„lent virtute in læſionibus, corruptionibus et ex„ulcerationibus internarum partium conſolidan„dis, adeoque in pulmonum, renumque exulce„ratione eorum uſus circumſpectus non plane eſt „contemnendus. *Rodericus a Fonſeca Tom. II. „Conſ. Med.*, et *Johannes Prævotius in Medicina „pauperum* valde extollunt pulverem millefolii in „phthiſi et ulceribus pulmonum, ſi quotidie ejus „drachma una in juſculo calido ſumatur. Ne„que dubium eſt, quin dictis in morbis maximam „interdum præſtet utilitatem, præſertim ſi ægro„tantis ætas non ſit provectior, ſi ſuccos adhuc in „venis alat benignos, nec marcor, languor, et „ſummus virium lapſus in corpore ſentiatur, ſi„que inſimul accuratior victus ratio obſervetur, „et medicatio hæc per dimidium annum et ultra „ſollicita cura continuetur. Eundem vero et il„luſtriorem adhuc effectum in phthiſi expectare „poſſumus ab uſu continuato decocti millefolii „cum conſerva roſarum rubrarum præparati et „bene clarificati. In læſionibus et exulcerationi„bus inteſtinorum poſt dyſenteriam gravem flo„res millefolii et chamomillæ in clyſtere adpli„cati, vel intus quoque in forma decocti adſumti „ad conſolidationem egregiam exerunt effica„ciam. In caſu ab alto ad ſanguinem congru„matum reſolvendum aqua millefolii deſtillata,

giis, immo contra peſtem et abortum imminentem magnopere commendant. Interne decocta et infuſa eorum, cum aqua, vino, aut ſero lactis paranda, nec minus tinctura ſpirituoſa adhibentur; externe autem, pro morborum, et partium affectarum diſcrepantia, modo inter epithemata ſicca, modo inter cataplasmata, decocta, clyſteres, gargariſmata &c. recipiuntur, iisdemque creberrime flores chamomillæ, ob naturæ ac virium analogiam aliquam, junguntur. Uſus externus non minorem, quam internus, ambitum habet: Aliæ enim ex recenſitis præparationibus in eryſipelate, et tumoribus inflammatoriis mammarum, aliæ in tumoribus oedematoſis, odontalgicis, aliæ in vulneribus et ulceribus, aliæ in doloribus hæmorrhoidalibus, colicis, cardialgicis, hyſtericis et hypochondriacis, et aliæ denique in odontalgia &c. egregie proſunt.

* *

CAPVT XVII.

DE

FLORIBVS LAVENDVLÆ ET CALENDVLÆ.

§. I.

Binæ LAVENDVLÆ, ſive LAVANDVLÆ ſpecies in Officinis noſtris locum inter

„vel ejus decoctum, pulvis quoque cum aceto itidem præſtantiſſimæ ſunt virtutis. &c.

ter præſtantiora medicamenta adeptæ ſunt, *Lavendula* nempe *latifolia*, *major*, *vulgaris*, *flore coeruleo*, ſive *Spica Nardi*, Spick, Spicanard, et *Lavendula minor*, *anguſtifolia*, *flore coeruleo*; Lavendel. Prior etiam *Pſeudonardus mas*, *poſterior Pſeudonardus foemina* nuncupatur. Apud nos hæ plantæ ſolummodo in hortis coluntur, in *Hiſpania* autem, *Italia*, *Gallia Narbonenſi* &c. in locis campeſtribus et montanis ſponte creſcunt. Valde quoad formam, proprietates externas, et naturam conveniunt, præterquam, quod lavendula anguſtifolia gratiori odore balſamico ſeſe commendet, et ideo naturæ magis amica videatur. Non tota planta, ſed ſolummodo flores in uſum medicum trahuntur, quoniam activis principiis longe largius, quam folia, inſtructi ſunt, et, præter odorem fragrantiorem, ſaporem quoque fortiorem, eumque ſubacrem et amaricantem, poſſident.

§. II.

Oleum eſſentiale æthereum floribus hiſce præcipuas vires medicas conciliat, et, licet *fixa* quoque *ſubſtantia gummeo-reſinoſa* virtute non penitus deſtituta ſit, oleo tamen in hoc paſſu longe cedit. Largior olei copia in floribus ſpicæ vulgaris ſeu lavendulæ majoris latifoliæ, quam minoris anguſtifoliæ, hoſpitatur, idemque utplurimum in horum libra civili ad drachmas duas, in æquali autem

tem illorum quantitate ad drachmas quinque vel ſex pondere adſcendit. Superat præterea oleum lavendulæ vulgaris oleum lavendulæ anguſtifoliæ gravitate ſpecifica *(a)*, et paullo calidioris proinde naturæ exiſtit. Ex memorata diſcrepante olei eſſentialis quantitate ratio patet, cur flores lavendulæ gratiorem, quam ſpicæ flores, odorem ſpirent, remiſſioremque in corpore operationem exerceant. Infuſum aquoſum florum ſpicæ vulgaris colore flavo-fuſco eſt, odorem gratum balſamicum eructat, et ſaporem amaricantem poſſidet. In maſſa inſpiſſata, quæ ex uncia florum una circiter drachmam unam ac totidem ferme ſcrupulos pendet, proprietates hæ externæ nonnihil mutatæ reperiuntur: Color fuſcus nempe ad nigredinem vergit, odor debilior et ingratior eſt, ac, præter amaricantem ſaporem, etiam ſubſalſus ſeſe manifeſtat. Tinctura ſpirituoſa prima ſubviridi colore pollet, naribusque odorem ſimplicis ſpecificum, linguæ autem acrem, amaricantem atque balſamicum ſaporem imprimit; Ejusdem quoque conditionis extractum eſt, præterquam, quod odor debilior exiſtat. Ex uncia florum una binas ferme drachmas, adeoque majorem, quam extracti aquoſi quantitatem obtinui. Infuſa et extracta lavendulæ minoris ſeu anguſtifoliæ parum vel nihil a deſcriptis differunt, et leviſſi-

(a) Vid. Cap. I. p. 12.

viſſimæ igitur diſcrepantiæ ratio, unice ferme, quod antea pridem monui, in oleo æthereo deliteſcere videtur.

§. III.

Inter activa pharmaca *nervina* et *cephalica* utriusque lavendulæ flores locum tuentur, multumque memoriæ debilitate, vertigine, hemicrania, coryza diuturna aut gravedine, epilepſia, melancholia, apoplexia pituitoſa, hebetudine ſenſuum externorum, paralyſi membrorum &c. laborantibus prodeſſe ſolent. Interne plerumque ſub forma infuſi vinoſi exhibentur, ac multa variaque præparata et compoſita pharmacevtica ingrediuntur. Externe, diſcutiendi ac roborandi fine, ſæpiſſime ſpeciebus pro cucuphis, ſacculis, pulveribus cephalicis, immo balneis, et ſuffimigiis miſcentur, viresque eximias varia hac adplicatione in multis capitis morbis, oedemate aut paralyſi membrorum, doloribus rheumaticis et arthriticis, ſuppreſſione menſium, ſterilitate, fluore albo &c. exerunt.

§. IV.

FLORES CALENDVLÆ VULGARIS ſeu SATIVÆ HORTENSIS, Ringel- oder Gold-Blumen, in hortis plerisque uberrime creſcunt. Sapore debili herbaceo gaudent, et fortem, ſi adhuc recentes ſunt, odorem balſa-

balſamicum, nonnihil tamen nauſeoſum, emittunt, qui maximam partem in exſiccatis perit; manifeſto documento, *copioſum* quidem atque *tenerrimum principium ſpirituoſum*, *parum* vero *olei ſubſtantialis ætherei* in naturali mixtione latitare. *Principia fixa reſinoſo-gummea* majori quantitate adſunt, eminentiori nihilominus activitate carent. Nam flaveſcens infuſum aquoſum primum, licet nauſeoſum odorem balſamicum diffundat, ſaporem ſolummodo inertem ſubamaricantem et mucilagineum obtinet. Extractum inde paratum valde tenax eſt, et odore panem mellitum, ſapore rob ſambuci quodammodo æmulatur. Tinctura ſpirituoſa prima paullo potentior exiſtit, quoniam, præter colorem aurantium et debilem odorem nauſeoſum, ſaporem ſubacrem ac blande balſamicum poſſidet, et, evaporatione peracta, maſſam relinquit rubro-ſubfuſcam, ſapore amaricante ac paullulum adſtringente præditam. Uncia florum una mihi ferme drachmas tres extracti aquoſi primi, et drachmam unam ac grana quinquaginta extracti ſpirituoſi primi reddidit.

§. V.

Vulgo hi flores, præſertim recentiores, fugaciſſimo principio ſpirituoſo adhuc prægnantes, ad medicamenta *alexipharmaca*, *expellentia*, *cardiaca* et *uterina* referuntur, et ſpeci-

ſpecifice inprimis in febribus malignis, variolis, morbillis, aliisque morbis exanthematicis, nec minus in ictero, palpitatione cordis, ſuppreſſione menſium, partu difficili, retentione placentæ uterinæ, et fluore albo prodeſſe dicuntur, quoniam diſcutiendo ac leniter abſtergendo agunt, et blandæ igitur humorum reſolutioni, mobiliumque impuritatum excluſioni per poros cutaneos inſerviunt. Interne optime operantur, quando ad aliquot pugillos vino, aceto, aut aqua fervida infunduntur. Infuſum aquoſum in febribus, vinoſum autem in morbis frigidioribus magis locum habet, acetum denique in peſte, ceterisque febribus putridis malignis maxime proficuum reperitur. Externe decoctum eorum inter vulneraria militat, et cataplasma quoque, coctione cum vino paratum, multum ad maturandos bubones peſtilentiales valere creditur.

* *

CAPVT XVIII.

DE LIGNO SASSAFRAS ET GVAJACO.

§. I.

LIGNVM SASSAFRAS, alias etiam *Lignum Pavanum*, *foeniculatum*, *anticatarrhale* &c., germ. Indianiſches Fenchel= oder Saſſa-

Saſſafraß-Holtz, dictum, colore rufeſcente, vel ex albido aut flavo gryſeo, odore grato fragrante, ſapore debili aromatico gaudet. Cortice cingitur, coloris intus ferrugineo-ſubrufi, foris cinerei, odoris, ſi raditur, fragrantiſſimi, ſaporis ſubacris, ſubadſtringentis et aromatici, qui ſubjacentem ſubſtantiam lignoſam medica virtute longe ſuperat, eidemque proinde in caſu quocunque præferri meretur. Arbor, quæ hoc lignum largitur, et *Pavame* dicitur, alta eſt, ac tanta copia et ubertate in variis *Americæ* tractibus, maxime autem in *Braſilia*, *Florida* atque *Virginia*, adoleſcit, ut paſſim integræ ſylvæ reperiantur. Folia habet ficulnea, floresque fert roſaceos, quibus baccæ nigricantes, lauri baccas forma et magnitudine æmulantes, ſuccedunt. Radix lignoſa, et rami minores trunci ligno præſtantiores ſunt, adeoque ad pharmacopolia noſtra præcipue transferuntur.

§. II.

Principio mobili ſpirituoſo hoc lignum, præſertim cortice ſuo adhuc tectum, valde turget, et ſat notabilem quoque *olei ſubſtantialis ætherei*, et *fixæ ſubſtantiæ reſinoſo-gummeæ* quantitatem in mixtione fovet. Oleum, cujus drachmæ duæ, ac totidem ferme ſcrupuli in libra una adſunt, in aqua fundum petit, et pleraque olea ætherea reliqua gravi-

tate ſpecifica ſuperat. Poſt deſtillationem limpidum eſt, deinde autem nonnihil rubeſcit. Tinctura ſpirituoſa prima colorem obtinet obſcure rubrum, ad nigrum pauliſper inclinantem, odorem ligni ſpecificum ſpirat, et balſamicum atque ſubacrem ſaporem linguæ imprimit. Inſpiſſata extractum largitur coloris fuſco-nigricantis, ſaporis ſubacris, balſamici ac paullulum adſtringentis, odoris debilis foeniculati. Ex uncia ligni una drachmam unam et grana quinquaginta obtinui. Infuſum aquoſum primum rubicundi coloris eſt, et licet fortem ligni odorem eructet, valde debili tamen ſapore balſamico pollet. Extractum inde reſultans rubro-ac fuſco-nigricans odore maximam partem reperitur orbatum, ſat auſterum tamen et amaricantem ſaporem poſſidet: Unde cognoſcere licet, quod ſapor aromaticus præcipue a partibus ſpirituoſo-oleoſis, et fixis reſinoſis, virtus ſubadſtringens autem magis a ſubſtantia gummoſa dependeat. Uncia ligni una binas drachmas et grana aliquot hujus extracti dedit. Quando coctione fortiori atque protracta partes fixæ gummoſæ ac reſinoſæ ſimul ſeparantur, extractum inde parari poteſt, viribus cortici Peruviano æquiparandum. *(a)*

§. III.

(*a*) Conf. Hoffmann. in Obſ. phyſico-chym. ſelect. p. 14.

§. III.

Cortex reſpectu naturæ ab ipſo ligno minime differt, præterquam, quod memoratis principiis activis largius inſtructus ſit, et eminentiores proinde vires in corpore exerat. Valide diſcutiendo humores commovent, ac leniſſime adſtringendo et irritando partium ſolidarum contractiones augent, adeoque ſudorem atque urinam pellunt; impuritates mucidas attenuant, et ſanguinem ac lympham egregie purificant. Uſus eorum ſpecialis notiſſimus ac plane eximius eſt in frigidis adfectibus catarrhalibus, lue venerea, ejusdemque prodromis et ſymptomatibus, nec minus in ſcabie benigna, et maligna, ulceribus impuris, ſcorbuto, cachexia, fluore albo, ceterisque morbis, qui ex ſpiſſitudine, muciditate, et impuritate variæ humorum præcipue naſcuntur. Datur interne infuſum vinoſum, et aquoſum, nec minus decoctum et eſſentia. In infuſo plerumque a drachma una ad duas præſcribuntur. Externe nonnunquam gargariſmata, in tumoribus glandularum ſalivalium, dolore dentium, raucedine, ſtomacace &c. proficua, ingrediuntur.

§. IV.

LIGNVM GVAIACVM ſive GVAIVACAN Frantzoſen-Holtz, Pocken-Holtz, cujus ſpecies quædam albicans LIGNVM SANCTVM dicitur, valde denſum, ſolidum, reſinoſum,

ac ponderoſum eſt, coloris gryſeo-fuſci, vel fuſco-nigricantis, et ſubinde quoque nonnihil virideſcentis, ſaporis ſubacris ac reſinoſi, odoris, ſi raditur, debilis balſamici. Cortex, quo cingitur, craſſus eſt, gryſeumque colorem, vel cinereo-ferrugineum, interdum maculis obſcure viridibus hinc inde diſtinctum, et eundem, quem lignum, ſaporem et odorem obtinet. Arbores in variis locis *Indiæ occidentalis*, maxime autem in *Mexico*, et *Inſulis Hiſpaniola*, *Jamaica*, *S. Dominici* &c., juglandium magnitudine creſcunt, et fructus duros cordiformes, caſtaneis non diſſimiles, binas tamen nuces includentes, ferunt. Quando truncus et rami majores ſpontaneas fiſſuras agunt, vel inciduntur, ſuccus acris reſinoſus effluit, qui ſenſim in corpus friabile, acre, fuſco-rubicundum aut virideſcens, gummeo-reſinoſum, ſive ſic dictum *Gummi Guajacum*, condenſatur.

§. V.

Principiis volatilibus parum in hoc ligno tribuendum eſt, quoniam portio ſpirituoſa parca admodum quantitate inhæret, et oleum ſubſtantiale æthereum plane deficit: Quod *fixam* vero *ſubſtantiam gummoſam* ac *reſinoſam* attinet, illa ſat notabili copia adeſt, ita tamen, ut poſterior pondere priori antecellat. Infuſum aquoſum primum, cujus color flavo-fuſcus, odor debilis et nonnihil aromaticus,

ticus, ſapor reſinoſus et ſubacris eſt, poſt blandam evaporationem extractum largitur, coloris fuſci, ad nigredinem aliquantulum vergentis, odoris debilis, ſaporis in principio ſubadſtringentis, ac paullulum reſinoſi, poſtea autem adeo acris atque urentis, ut piperis inſtar, quamquam remiſſius, fauces pungat, atque adurat. Quando perfecte ſiccatur, facile in pulverem tenerrimum teritur, cujus moleculæ, ſub tritura adſcendentes, pruritum in naribus (ein Krübblen), imo ſternutationem producunt. Ex uncia una ligni raſpati et ſatis compacti drachmam unam, et ſcrupulos duos obtinui. Tinctura ſpirituoſa prima colore ex rubro ac fuſco nigricante, odore reſinoſo ac debili balſamico, et ſapore ſubacri atque balſamico pollet. Extractum inſpiſſatum, quod fuſco-nigricantis coloris ac valde tenax eſt, odore vulgare rob ſambuci æmulatur, et linguæ ſaporem mere propemodum reſinoſum, nulla notabili amplius acredine mixtum, imprimit. Pendet circiter, una nimirum ligni uncia experimento adhibita, drachmas duas, totidemque ſcrupulos.

§. VI.

Vires medicæ, præſertim *ſtimulantes*, *attenuantes*, *abſtergentes* ac *diureticæ*, quod liquido ex inſtitutis examinibus patet, magis quidem gummoſo, quam reſinoſo principio

 adſcri-

adſcribendæ ſunt; certo nihilominus certius eſt, ſubſtantiam gummeam, particulis reſinoſis tenerioribus remixtam, operari efficaciſſime; quam ſententiam dudum quoque B. FRID. HOFFMANNVS amplexus eſt: „Præter reſinam hanc, *in Obſervationibus „phyſico-chymicis ſelect. Lib. I. pag. 66. „ſcribit*, quæ beneficio ſpiritus vini elicitur, adhuc alia reſiniformis ſubſtantia, non „parum ratione ſaporis et virtutis a priori „diſſidens, ex hoc ligno poterit obtineri, „idque non per macerationem cum menſtruis ſpirituoſis, ſed per ſimplicem et paullo longiorem coctionem cum aqua communi; quando nempe ligni guajaci decoctum „leni inſpiſſatur igne, tunc in fundo vaſis reſiduum manet ſpiſſamentum quoddam reſiniforme, quod balſamici et grati odoris eſt, „ſaporis acriuſculi, quod in pulverem tenuem „redactum et naribus admiſſum, ſtimulando „glanduloſas illas, quæ narium oſſa inveſtiunt, tunicas, pituitam ibi hærentem potenter colliquat atque educit, adeo, ut „omnibus a multo jam tempore notis, et „expertis errhinis, propter eximiam, quam „exſerit efficaciam, mihi reſina hæc præferenda videatur. Nam præter vim errhinam et ſtimulantem ſimul quandam poſſidet facultatem roborantem, nervoſis capitis partibus amiciſſimam. - - - - Hoc experimentum nobis perſpicue aperit mo-

„dum,

„dum, quo ligni guajaci decoctum ex aqua „operationem ſuam in lue Gallica ſananda exſerit. Quilibet enim facile hic „perſpicit, in decoctum non niſi hanc reſinam acrem, errhina facultate donatam, „tranſire, relicta in ligno copioſiori et magis oleoſa illa reſiniformi ſubſtantia. Quemadmodum itaque reſina hæc ſpiculis et „ſtimulis ſuis ſalino - acribus vellicando „glanduloſas narium tunicas, fundit et „liquat tenacem pituitam; ita nullum dubium eſt, quin ligni guajaci decoctum, ſpiculis iſtis ſalino-reſinoſis roboratum, dum „accedit ad partium ſolidarum glanduloſos „tubulos, eos eadem ratione vellicando et „ad validiorem conſtrictionis motum invitando, corruptos et tenaces, qui ibi hærent, humores colliquet, eosque e latibulis ſuis excuſſos, ad expulſionem e corpore „idoneos reddat, quæ primaria in hoc morbo ſanando medentis debet eſſe intentio. &c.

§. VII.

CORTICIS principia ſeparabilia, natura ac viribus, cum principiis ipſius ligni perfecte conveniunt, minori tamen quantitate reperiuntur ingenita, hinc cortex etiam doſi largiori, quam lignum, præſcribi poteſt. Non differt quoque nativum GVMMI GVAIA-

cvm, dum pariter ex *partibus reſinoſis*, *gummeis*, et *terreis inertibus* conflatum deprehenditur, ita tamen, ut portio reſinoſa gummeam quantitate longe ſuperet, et maximam totius ponderis partem conſtituat. Quando gummeo-reſinoſum hoc concretum, nec minus cortex et lignum ex retorta igne ſicco deſtillantur, multum olei empyrevmatici et ſat notabilem quoque ſpiritus aciduli quantitatem reddunt, quæ producta tamen, cum natales ſuos ſolummodo violentæ ſubſtantiæ gummeo-reſinoſæ deſtructioni debeant, nullam, intuitu principiorum naturalium, conſiderationem merentur.

§. VIII.

Lignum Guajacum frequentiſſime, cortex vero atque nativa gummi-reſina, licet ſumma, quod dictum fuit, virium analogia adſit, paullo rarius apud nos in uſum medicum vocantur. Locum inter præſtantiſſima *attenuantia*, *abſtergentia* et *purificantia* inveniunt, ac ſeſe mirifice inprimis in morbis venereis, adfectibus ſcabioſis, ſcorbuticis, atque cachecticis, ulceribus impuris et refractariis, catarrhis capitis, faucium, pectoris &c., rebellibus rheumatiſmis, fluore albo, et ſingulis morbis reliquis commendant, quorum cauſſæ primariæ ad ſpiſſitudinem et ſalino-mucidam humorum impuritatem redeunt. Lignum et cortex ordinario in decocto, rarius in infuſo vinoſo,

vinoſo, a drachma una ad unciam dimidiam, præſcribuntur, gummi-reſina autem pilulas, bolos, et electuaria ingreditur, vel, in ſpiritu vini, aut liquore terræ foliatæ tartari vinoſo ſoluta, ſub tincturæ forma, a guttis viginti, ad triginta, quadraginta, propinatur. Externe lignum et cortex decoctis vulnerariis, et gargariſmatibus, contra anginam ſpuriam, laxitatem uvulæ, tumores glandularum ſalivalium, odontalgiam et ſcorbutum oris adhibendis, adduntur, et ſiccum ac pulverulentum extractum aquoſum, cujus uberior mentio §vo 6. facta fuit, commode inter pulveres errhinos et ptarmicos, itemque abſtergentes ac ſtimulantes, in paralyſi linguæ proficuos, recipitur.

* *

CAPVT XIX.

DE LIGNO ALOES, RHODIO ET SANTALO FLAVO.

§. I.

LIGNVM ALOES OFFICINARVM, XYLO-ALOES, AGALLOCHVM, LIGNVM CALAMBAC, Aloes= oder Paradies=Holtz, denſum eſt, ponderoſum, coloris fuſci, aut ferruginei, nigricante paſſim diſtincti, odoris

grati balſamici, ſaporis ſubacris, amaricantis, et aromatici. Subinde etiam Agallochum occurrit coloris purpurei, venulis cinereis diſtincti, itemque perfecte nigricans, ligno ebeno non adeo diſſimile. Optimum cenſetur compactum, probe reſinoſum, in igne ceræ inſtar liqueſcens, et fragrantem gratiſſimumque odorem emittens. Scriptores quamplurimi Agallochum ſive Lignum Calambac in *verum* et *ſpurium* diſtinguunt, et hoc duntaxat ordinarium lignum *Arboris Chinenſis* atque *Tartaricæ Calambac*, illud autem interiorem ejus medullam lignoſo-reſinoſam eſſe perhibent: Verum, pro meo judicio, diſtinctio hæc parum apta eſt, et alterum potius *lignum aloes ignobilius*, alterum *nobilius* atque *præſtantius* nuncupandum eſſet. Nonnulli verum lignum aloes ſolummodo ex *China* et *Tartaria orientali*, vulgare ac ſpurium autem ex variis quoque *Indiæ* regionibus et inſulis adferri, (a) et prius

(a) Lignum Agallochum verum, uti GEORG. EBERHARDVS RVMPHIVS *in Miſcell. A. N. C. G. Dec. II. ann. 3. Obſ.* 22. refert, in regno Coinam naſcitur, et raro ad Europæos defertur, quoniam in India majoris eſt pretii, quam in Europa, ibidemque duplo et triplo argenti pondere redimitur: Spurium vero ab arbore excæcante, quæ circa Amboinam in inſulis paſſim obvia eſt, deſumitur, et ad ſuffiendum adhibetur. Prunis enim inſperſum, primo benzoinum olet, deinde mox in nidoroſum odorem deſinit. Arbor excaecans nihil habet commune cum agallochi veri

prius colore fuſco-purpureo, ac totum fere reſinoſum eſſe, poſterius vero magis textura ſua ad lignum ordinarium accedere, et colore fuſco-aut flavo-nigricante præditum eſſe, defendere ſuſtinent. Addunt quoque, veram arborem Calambac, licet ad quercus magnitudinem excreſcere conſueverit, vix dimidiam ligni præſtantioris libram reddere, et inde igitur inſignem ejus caritatem non minus, quam raritatem derivandam eſſe.

§. II.

Vulgare lignum aloes, in officinis noſtris venale, ſat *copioſam* quidem *ſubſtantiam fixam gummeo-reſinoſam*, *non adeo multum* vero *ſpiritus* et *olei eſſentialis ætherei* poſſidet. Nam

B. FRID.

arbore, ſed arbor deformis eſt, non niſi in littoribus ſolitarie creſcens, et male audiens apud nautas et incolas, quia lacteo quodam liquore turget, qui, caſu oculis immiſſus, magnos cruciatus excitat, inflammat, et, niſi citiſſime ſuccurratur, excaecat. Videtur Lathyris quædam arboreſcens eſſe, ubique fructus fert triquetros, Lathyridis baccis valde ſimiles, quæ vulgo Catapucia audit. Folia cum pyri foliis conveniunt, quæ in margine tamen obſcure dentata ſunt. Fruſtulum corticis, aut quinque lactis guttulæ validam provocant purgationem, ſed in gutture urunt. In caudicis, radicumque terræ exſtantium cavernis hæc arbor dictum lignum odoratum habet, quod gignitur ex pinguioribus ejus partibus, ſolis fervore, et crebra aſperſione aquæ marinæ probe excoctis, &c.

B. FRID. HOFFMANNVS ex decem ligni raſpati ac macerati libris vix unciam dimidiam liquidi cujusdam reſinoſo-oleoſi ſpiſſiuſculi humidæ deſtillationis beneficio elicere potuit. Mixtum hoc reſinoſo-oleoſum inſtar camphoræ albicans erat, et in ſpiritu vini rectificatiſſimo prompte ſolvebatur, eumque eximiis viribus nervinis imprægnabat (*a*). Tinctura ſpirituoſa prima, colore fuſco-nigricante prædita, ſaporem poſſidet ſubacrem, leniſſime amaricante atque balſamico remixtum, debilemque duntaxat odorem balſamicum ſpirat. Maſſa inſpiſſata nigricans eſt, ac valde debili ſapore et odore balſamico donata reperitur. Infuſum aquoſum primum turbidum eſt, ac ſordide fuſcum, fortiori tamen odore balſamico, et eminentiori amaritie atque aromatica acredine, quam tinctura ſpirituoſa, pollet. Extractum, peracta evaporatione relictum, odore ferme deſtituitur, et, præter colorem obſcure fuſcum, ſaporem amaricantem ac paullulum in receſſu adſtringentem obtinet. Ex uncia una ligni raſpati drachmas tres extracti ſpirituoſi, et drachmas duas extracti aquoſi primi impetravi; unde clare conſtat, quod pars reſinoſa majori quidem copia, quam gummoſa, inhæreat, quodque poſterior nihilominus, teſtante inprimis ſapore infuſi et extracti, activitate nonnihil præpolleat.

§. III.

(*a*) Vid. Ejus Obſ. phyſico-chymic. ſelect. p. 16.

§. III.

Vires medicæ, quibus hoc lignum, præſertim nobilius, inſtructum reperitur, ad *roborantes*, *nervinas*, *cephalicas* et *cardiacas* maxime redeunt, ac multum proinde auxilii ab uſu ejus exſpectandum erit in morbis ſingulis, in quibus ſolida nervoſo-membranacea atonia, et humores inertia quadam, partiumque ſpirituoſarum penuria laborant: Cujus cenſus ſunt vertigo, debilitas memoriæ, apoplexia, adfectus ſoporoſi, epilepſia, melancholia, lipothymia, palpitatio cordis, gutta ſerena, imbecillitas pulmonum et ventriculi, paſſio hypochondriaca, ſingultus, vomitus, incontinentia urinæ, abortus imminens, cachexia, fluor albus, gonorrhoea benigna et complures alii. Ingreditur pulveres, decocta, et infuſa vinoſa, a ſcrupulo uno ad drachmam integram. Externe raſura ejus ſpeciebus pro cucuphis, et ſacculis roborantibus nec minus, ob gratam fragrantiam, ſuffimigiis additur. Chinenſes, referente HERMANNO *(a)*, odoratu ejus maxime delectantur, et quo gratior amicus, eo meliorem portionem illi offerunt, immo, mulieres Benjanorum in India, quando ſeſe cum defuncto marito comburere volunt, lignis pro conſtruendo ferali rogo illud ipſum miſcent, et odorem ejus diis ſuis gratum eſſe, credunt.

§. IV.

(a) In Cynoſ. Mat. med. p. 107.

§. IV.

LIGNVM RHODIVM, ROSACEVM, CYPREVM, RHODYXILON, Roſen-Rhodiſer-Holtz, ſolidum eſt, compactum, colore ſubfuſco-flavo vel aurantio, ſapore oleoſo, amaricante, balſamico, odore fragrante, roſaceo, gratiſſimo præditum. Planta, cujus radix, truncus et rami craſſiores hoc lignum fœnerantur, ad frutices arboreſcentes pertinet, et ab HERMANNO *Cytiſus incanus ſiliquis falcatis*, ab aliis *Oleaſter Rhodius* vocatur. In *Syria*, et inſulis *Rhodo* atque *Cypro* præcipue creſcit, et truncus nonnunquam brachii virilis craſſitiem conſequitur. Eligendum eſt lignum rectum, ponderoſum, denſum, pingue, ac probe reſinoſum, quod colore ſaturate flavo, ad rufum aut ſubfuſcum nonnihil vergente, donatum eſt, cultroque leviter raſum, fortem protinus ac gratum odorem roſaceum diffundit.

§. V.

Principiis gaudet *oleoſo-ſpirituoſis*, *gummoſis* ac *reſinoſis:* Pondus olei ſubſtantialis ætherei exacte determinari nequit, quoniam quantitas, humidæ deſtillationis beneficio prolecta, pro valde diſcrepante ligni bonitate mirifice variat. Nunc enim libra una unciam dimidiam, nunc drachmas duas vel tres, nunc ſaltem aliquot ſcrupulos reddit. Oleum recens colorem aureum obtinet, temporis vero ſucceſſu rubeſcere incipit. Prin-

cipium

cipium fixum reſinoſum quantitate gummoſum ſuperat, et ex uncia una ligni optimi circiter drachmæ tres extracti primi ſpirituoſi, et drachmæ duæ extracti primi aquoſi ſeparari poſſunt. Tinctura ſpirituoſa prima colore gaudet aurantio, ad rubrum vergente, vel potius flavo-rubicundo, et naribus gratum odorem roſaceum, linguæ autem ſubacrem, balſamicum, et auſteriuſculo-amaricantem ſaporem imprimit. Inſpiſſatum extractum flavo-rubicundo-fuſcum cum infuſo quoad odorem atque ſaporem convenit, et adeo tenax eſt, ut deguſtatum, terebinthinæ inſtar, palato, linguæ, ac dentibus pertinaciſſime adhæreat. Infuſum aquoſum primum colore aureo ſeſe commendat, ipſius ligni odorem ſpirat, et ſapore amaricante atque balſamico gaudet. Cum hoc infuſo ipſum extractum inſpiſſatum convenit, præterquam, quod colorem flavo-fuſcum obtineat, et debiliorem quoque odorem balſamicum emittat.

§. VI.

Activitas medica ad oleum eſſentiale æthereum maxime quidem redundat, ſymbolum tamen ſuum fixa pariter principia, præſertim reſinoſum, conferunt. Illud enim præcipue commovendo ac diſcutiendo, hæc autem magis roborando et ſubadſtringendo operantur. Valet igitur uſus

ejus

ejus in morbis plerisque, in quibus lignum aloes prodeſſe dictum fuit, et interne quoque eodem modo, frequentius tamen in infuſo vinoſo, quam aquoſo, exhibetur. Doſis cæteroquin paullo moderatior eſſe debet, quoniam multi ægrotantes, præſertim foeminæ hyſtericæ, fragrantem ejus odorem roſaceum perferre nequeunt. Externe ſuffimigiorum, ſacculorum roborantium, cucupharum, pulverum odoratorum &c. ingredientia auget.

§. VII.

SANTALVM, SANDALVM CITRINVM, LIGNVM SANTALINVM FLAVUM, gelber wohlriechender Sandel, referente HERMANNO *(a)*, *arboris Timorenſis bacciferæ, Sercanda* dictæ, ſolida, denſa, ac flava medulla eſt. Odorem balſamicum gratiſſimum ſpirat, ſi cultro paullulum raditur, et amaricantem atque aromaticum ſaporem, prævia tamen protractiori manducatione, linguæ imprimit. In *inſula Timor, regione Tanaſſarin*, aliisque *Indiæ orientalis* tractibus uberrimus harum arborum proventus eſt, adeo, ut hinc inde integræ earum ſylvæ conſpiciantur.

§. VIII.

Oleum eſſentiale æthereum, cujus binæ circiter drachmæ ex libra una eliciuntur, quodque ambram et moſchum redolet, præcipuum

(a) L. c. p. 109.

puum principium activum conſtituit: Huic *ſubſtantia fixa reſinoſa*, tandemque *gummoſa* intuitu activitatis ſuccedit. Color infuſi aquoſi primi flaveſcens eſt, odor balſamicus quidem, non adeo tamen gratus, et ſapor debilis balſamicus nonnihil nauſeoſus. Maſſa inſpiſſata ejusdem ferme coloris reperitur, et ſapore amaricante ac debili aromatico pollet. Ex uncia ligni una ſcrupulos duos impetravi. Tinctura ſpirituoſa prima colore aurantio ſeu flavo-rubicundo, odore leniter balſamico, et debili ſapore aromatico gaudet. Extractum, inde evaporando paratum, quoad odorem et ſaporem cum tinctura convenit, obſcuriorem tamen, fuſcum nempe, colorem obtinet. Quantitate præcedens gummoſum ſuperat, et, ex uncia una ligni bonæ notæ ſeparatum, ſcrupulos quatuor pendet.

§. IX.

Viribus medicis ligno aloes niſi præferri, certe tamen æquiparari meretur, et mirandum omnino, quod uſus ejus hactenus paullo rarior fuerit. Militat inter optima nervina, cephalica et cardiaca, adeoque in morbis ſingulis, quibus balſamica hujus commatis opitulantur, non ſine emolumento inſigni in infuſo aquoſo et vinoſo, a ſcrupulo uno ad unam alteramve drachmam, propinari poterit. Nonnulli eidem adſtringentem quoque,

ac fortem virtutem diureticam adſcribunt, et ſpecialius proinde in ſudoribus colliquativis, et hydrope commendant: Verum enim vero, laudatam virtutem adſtrictoriam neque in ligno integro, neque productis deprehendere potui, et in hoc igitur paſſu calculum meum adjicere nequeo. Externe in caſu quocunque illud ligno Rhodio et Aloes ſubſtituere licet. Proſtat etiam LIGNVM SANTALVM ALBVM, ſed hoc ipſum viribus medicis deſtituitur, nec ulla proinde deſcriptione dignum exiſtit.

* *

CAPVT XX.

DE LIGNO JVNIPERI ET LENTISCI.

§. I.

LIGNVM IVNIPERI partim albicans, partim flaveſcens eſt, ac debili duntaxat odore et ſapore balſamico pollet. *Principio oleoſo-ſpirituoſo* parciſſime inſtructum reperitur, nec ullum proinde oleum ſubſtantiale reddit, niſi magna ejus quantitas deſtillationi humidæ una vice impendatur, ita ut præſentiam olei eſſentialis magis ſuſpicari, quam demonſtrare liceat. Quod *fixa* vero *principia reſinoſo-gummea* attinet, illa majori copia inhærent,

rent, et uncia ligni una plerumque ſcrupulos duos extracti primi aquoſi, et drachmam integram extracti primi ſpirituoſi largitur. Infuſi aquoſi color rubicundus eſt, ſapor ingrate balſamicus, et, ipſius Sandarachæ inſtar, reſinoſus, odor nauſeoſus oleoſus. Maſſa inſpiſſata colorem rubro-fuſcum obſcuriorem, odorem debilem balſamicum, et ſaporem amaricantem, ſubadſtringente et balſamico mixtum, poſſidet. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate aurantio, odore et ſapore reſinoſo-balſamico, inſtar maſtichis, gaudet, et, peracta blanda evaporatione, extractum flavo-fuſcum relinquit, reſinoſo pariter atque balſamico odore et ſapore, cui leniſſima ſaltem acredo admixta deprehenditur, præditum. Præcedens cæteroquin extractum aquoſum, majori, quam vix deſcriptum reſinoſum, activitate pollet.

§. II.

Multi lignum juniperinum ligno ſaſſafras viribus analogum eſſe, et alterum alteri commode eapropter ſubſtitui poſſe credunt: Verum, pro mea ſententia, prius ob olei ætherei defectum, aut magnam tamen penuriam, poſteriori longe debilius atque temperatius eſt. Virtutes ejus, a fixis duntaxat principiis reſinoſo-gummeis derivandæ, *blande roborantes*, *ſubadſtringentes*, *nervinæ*, *diureticæ*, adeoque etiam paullulum *purificantes* cenſen-

dæ erunt. Convenit igitur in lue venerea, adfectibus ſcabioſis, ſcorbuticis, catarrhalibus, rheumaticis et arthriticis, cachexia, hydrope, ſuppreſſione urinæ, calculo, fluore albo, et morbis quibusvis reliquis, quorum origo partium ſolidarum atoniæ, et ſpiſſitudini atque impuritati humorum præcipue adſcribenda venit. Exhibetur ordinario in decocto aquoſo, et infuſo vinoſo, a drachma una ad unciam ſemiſſem. Externe iſtud nonnulli decoctis travmaticis addunt.

§. III.

LIGNVM LENTISCI, Maſtix-Holz, quod multa cum ligno juniperino communia habet, intus flavo- et ſubfuſco-pallidum eſt, foris autem cortice ferruginei coloris cingitur. Odor et ſapor ejus valde debilis balſamicus eſt, poſterior tamen ſubadſtringente nonnihil mixtus deprehenditur. Cortex paullo potentior exiſtit, et adſtrictoria inprimis virtute lignum ſuperat. Creſcunt lentiſci in *Syria*, *Hiſpania*, *Luſitania*, *Italia*, *Gallia*, maxime autem in *Chio*, *Cypro*, *Candia*, aliisque *inſulis maris Ægei*, indeque non lignum duntaxat, ſed exſudans quoque concretum gummeo-reſinoſum, *Maſtiche* dictum, cujus uberior in ſequentibus mentio fiet, ad nos defertur.

§. IV.

§. IV.

Volatilia principia oleoſo-ſpirituoſa vix conſiderationem in hoc ligno merentur, et medicæ igitur vires unice propemodum *fixæ ſubſtantiæ gummeo-reſinoſæ* adſcribendæ ſunt. Portio magis gummoſa, in aqua ſolubilis, portione magis reſinoſa reſpectu quantitatis ſuperior eſt, et in uncia una ad integram ferme drachmam adſcendit, cum poſterior ex adverſo ſaltem grana viginti quatuor vel drachmam ſemiſſem pondere æquet. Tinctura ſpirituoſa prima aurei coloris eſt, ſaporis nonnihil balſamici et ſubacris, odoris nullius ſingularis. Maſſa inſpiſſata colorem flavo-fuſcum, odorem debilem balſamicum, ſimilemque ſaporem, ſubadſtringente et ſubſalſo mixtum, poſſidet. Infuſum aquoſum primum eleganti colore rubicundo, ad fuſcum paullulum inclinante, tinctum conſpicitur, gratum odorem balſamicum, inſtar gummi anime aut ſandarachæ, ſpirat, debilemque duntaxat ſaporem balſamico-reſinoſum poſſidet. Extractum, inde poſt evaporationem relictum, nigricans eſt, odoris grati, ſaporis balſamici, ſubacris et ſubadſtringentis.

§. V.

Blande diſcutiendo, ſubadſtringendo, et roborando operationem ſuam in corpore exercet, ac jure meritoque inter moderatæ

actiyitatis *nervina* et *adſtrictoria* collocandum eſt. Specifice ſeſe in diabete, gonorrhoea benigna, imbecillitate ventriculi, aliorumque viſcerum, nec minus in vomitu, calculo, arthritide, aſthmate pituitoſo et cachectico, vertigine, adfectibus oedematoſis, melancholia, apoplexia, epilepſia etc. commendat, quando in infuſo aquoſo, vinoſo, aut decocto, ad unam alteramve drachmam, praeſcribitur. Externe decoctis travmaticis, et gargariſmatibus, in odontalgia inprimis, laxitate uvulae, tumoribus glandularum ſalivalium, cruentatione gingivae ſcorbutica, raucedine refractaria etc. adhibendis, additur.

CAPVT XXI.

DE LIGNO NEPHRITICO ET COLVBRINO.

§. I.

LIGNVM NEPHRITICVM, Grieß-Holtz, in fruſtis majoribus conſideratum, ex duplici ſubſtantia conſtare deprehenditur: Altera videlicet, eaque exterior, colore pallide flaveſcente, altera vero, interior nempe ac medullaris, ſubfuſco, nunc ad obſcure rubellum, nunc ad nigricantem aut gryſeum nonnihil vergente, pollet. Odor ſubſtantiae utriusque, ſi cultro raditur, debilis balſamicus

cus eſt, ſapor autem amaricans, ſubacris, et paullulum aromaticus. Quando aqua ſimplici frigida infunditur, colorem ipſi coeruleſcentem, in ſuperficie maxime conſpicuum, conciliat; hinc a nonnullis quoque, tametſi ſatis incongrue, *Lignum Santalum coeruleum* vocatur. Multi laudato experimento, ad lignum genuinum a *ſpurio Braſilienſi* diſcernendum, utuntur: Aſt monendum duco, colorem memoratum, licet lignum genuinum ſit, ac ſatis diu in aqua relictum, interdum adeo debilem eſſe, pallidumque, ut vix, aut ne vix, niſi radii ſolares vitrum quodammodo colluſtrent, conſpici queat.

§. II.

Arbores, quæ lignum nephriticum verum largiuntur, in *Nova Hiſpania* maxime autem in *Regno Mexicano*, pyri vel pruni magnitudine, creſcunt, et a Botanicis plerisque inter *Cytiſi* ſpecies numerantur. Folia, alatim diſpoſita, ciceris aut rutæ foliis haud diſſimilia dicuntur, et flavi flores papilionacei tandem, uti PAVLVS HERMANNVS refert *(a)*, in ſiliquas retiformes, ſemina includentes, mutantur. Ab incolis Cytiſus hic Americanus *Coalti*, itemque *Coarthi* adpellatnr.

 §. III.

(*a*) In Cynoſ. Mat. Med. p. 112.

§. III.

Largiori *ſubſtantia reſinoſa*, quam *gummea*, lignum nephriticum inſtructum eſt, *olei ætherei eſſentialis* autem vel nihil prorſus, vel valde parum, continet (*a*). Virtus medica utrique quidem principio fixo, magis tamen gum-

(*a*) Circa principia conſtitutiva, præſertim activa, apud ſcriptores quamplurimos altum ſilentium eſt, vel falſa omnino, ac parum demonſtrata adducuntur. LEMERY v. g. multum *olei*, multumque *ſalis eſſentialis* huic ligno tribuit, et vix allegatus HERMANNUS de *blando ſale alcalico* loquitur. Sed ubinam memorata hæreant, nondum hactenus detegere potui. HERMANNUS ſuam quidem ſententiam cœruleo infuſi aquoſi tenuioris colore, quem acida extinguunt, alcalia reducunt, corroborare anniſus eſt; at parum vel nihil argumentum iſtud hoc loco probare, arbitror. Acida enim et alcalia colores corporum, ſive ſal acidum, ſive alcalicum, ſive neutrum in mixtione ſua gerant reconditum, facillime mutant, et facile pariter alcalia colores, ab acidis deſtructos, reducunt, et vice verſa; adeoque ſolida, me ſentiente, concluſio ad hujus vel illius ſalis inhæſionem inde formari nequit. Allegatum HERMANNI argumentum ejusdem pene valoris eſſe videtur, ac ſi dicerem: Salia acida ſanguinem et lac animantium coagulant, alcalia fixa autem utrique fluiditatem reddunt, ergo in lactis et ſanguinis mixtione naturali ſal alcali fixum deliteſcit. Non dico cæteroquin, acidorum et alcalium miſcelam principiis detegendis ineptam eſſe, ſed hoc loco duntaxat nego, experimentum laudatum, ob ſiniſtram applicationem, ad confirmandam HERMANNI hypotheſin quicquam conferre.

gummoſo, quam reſinoſo, tribuenda eſt. Infuſum aquoſum primum, corticis caſtanearum inſtar, colore obſcure fuſco, ſapore amaro, ac paullulum aromatico, et odore denique, mixti piperis et croci odorem quodammodo æmulante, gaudet. Extractum, quod poſt blandam evaporationem relinquitur, et ex una ligni uncia duos circiter ſcrupulos pendet, brunnei pariter coloris eſt, ad nigrum paulisper vergentis, odoris nonnihil balſamici, et ſaporis amari atque ſubadſtringentis. Tinctura ſpirituoſa prima colore rubro-nigricante tincta cernitur, odorem, inſtar radicis leviſtici, balſamicum quidem, aſt longe debiliorem, ac paullulum inſuper nauſeoſum, ſpirat, et amaricantem, ſubacrem, ac blande balſamicum ſaporem obtinet. Extractum, inde paratum, nigro colore eſt, et debiliſſimum duntaxat odorem balſamicum naribus, debilemque ſaporem amarum, balſamico et ſubadſtringente mixtum, linguæ imprimit. Valde præterea, picis propemodum aut ceræ flavæ inſtar, tenax eſt, et ex uncia ligni integra ad unam circiter atque dimidiam drachmam pondere adſcendit. Reſiduum ſiccatum, ſecunda vice cum aqua ſimplici digeſtum, tincturam quidem fuſco-flaveſcentem ſuppeditat, inſipidam tamen, inodoram, et nullius amplius virtutis. Ejusdem quoque conditionis maſſa inſpiſſata eſt,

 licet

licet drachmam adhuc dimidiam gravitate ſua ſuperet.

§. IV.

Ob principia amara, ſubacria et auſteriuſcula, lignum hoc, partim abſtergendo ac leniter irritando, partim ſubadſtringendo, in corpore operatur, et *aperitivis* ideo, *laxantibus*, *diureticis ſtricte ita dictis* (*a*), et *ſpecificis lithontripticis* (*b*) omnino accenſeri meretur.

(*a*) Medicamenta, quæ liberiorem, largioremque lotii ſe-et excretionem procurant, recte in diuretica *proprie talia*, et *improprie talia* dividuntur. Hæc enim ſolummodo ſe- et excretionis obſtacula tollunt, ut *emollientia*, *demulcentia* etc., vel ſeri ſecernendi copiam ſubſtantialiter augent, ut *diluentia*; illa autem, ſtricte nimirum ac proprie ita nuncupata, leniter irritando et ſubadſtringendo fibras ac tubulos renum atque veſicæ, ſe- et excretionem ſimpliciter accelerant, ac promovent. Et inde igitur ratio, cur lignum nephriticum diureticis proprie ita dictis adnumeraverim, manifeſta eſt.

(*b*) Lithontriptica *vere talia*, h. e., virtute, calculum jam concretum, ac plus minusve induratum, denuo diſſolvendi, inſtructa, exiſtere, parum probabile videtur: Sed, pro meo judicio, illa duntaxat medicamina ſub lithontripticorum nomine intelligenda erunt, quæ calculi concretionem impediunt, et materiam pituitoſo-ſabuloſam, grandioribus calculis prima ſtamina foenerantem, reſolvunt, diluunt, abſtergunt et expellunt. Non deeſſe quidem ſcriptores ſcio, vim quandam lithontripticam, proprie ita dictam, in medica-

retur. Virtus ſtimulans et blanda cathartica magis in parte reſinoſa, ſubadſtringens autem et diuretica magis in parte gummoſa latet: Ita tamen bina hæc principia invicem mixta reperiuntur, ut alterum vix prorſus ab altero ſeparari, et perfecte purum haberi poſſit.

§. V.

Ex indicato operandi modo viribusque generalibus variæ iterum virtutes ſpeciales, quas ipſa experientia dudum comprobauit, fluunt, et commode hoc medicamentum ſimplex, nec ſine fructu inſigni, contra hydropem aſcitem, ſuppreſſionem urinæ, nephritidem pituitoſo-ſabuloſam, et calculum adhiberi, immo uſus ejus internus ad reſerandas quoque aliorum viſcerum obſtructiones, ſcorbutum curandum, et vermes inteſtinorum expellendos extendi poteſt. Vulgo in infuſo aquoſo aut vinoſo præſcribitur, prius tamen ſolummodo urinam pellit, poſterius vero, teneriori ſubſtantia reſinoſa ſimul impraegnatum, præter diureſin, blandam pariter catharſin excitat. Doſis pro ſubjectorum ac ſcopi diuerſitate quidem variat, ordinario tamen apud adultos a drachma una ad unciam ſemiſſem adſcendit.

§. VI.

mentis nonnullis ſerio defendentes; verum, cum ſolidis argumentis deſtituti, ad ſolam plerumque experientiam, quæ tamen in hoc paſſu fallaciſſima eſt, provocare ſoleant, nunquam ad ſententiæ mutationem me deducent.

§. VI.

LIGNVM COLVBRINVM, Schlangen-Holtz, adfertur ex *India orientali*, arboresque, quarum nunc craſſa radix lignoſa, nunc ipſius trunci lignum eſt, in *Malabaria*, *Inſulis Timor*, *Ceylon* etc. inprimis creſcunt, et, teſte HERMANNO, nuces vomicas majores ferunt. Detracto cortice ferrugineo, ſolidum ac ponderoſum hoc lignum ſubflavo colore, albidis hinc inde ſtriis diſtincto, donatum reperitur, et licet quidem, in integro fruſto naribus admotum, nullo ſingulari odore polleat, debilem tamen balſamicum, ſi raditur, emittit, et valde amarum præterea ſaporem *(a)* poſt aliquam manducationem linguæ imprimit.

§. VII.

Raſura hujus ligni, blandæ digeſtioni cum aqua ſimplici aliquamdiu ſubjecta, infuſum largitur, colore ſaturate aureo tinctum, quod gratum odorem balſamicum, odori ligni Rhodii analogum, et valde amarum ac ſimul blande balſamicum ſaporem poſſidet. Extractum, poſt decentem evaporationem relictum, colore ſubfuſco, debili odore balſamico,

(*a*) Propter eminentem amaritiem, debilemque ex adverſo odorem et ſaporem balſamicum lignum hoc commode pariter ad AMARA, quæ SECT. IX, deſcripta ſunt, referri poteſt.

co, amariſſimoque ſapore gaudet, et, integra nempe ligni uncia experimento adhibita, quatuor circiter ſcrupulos pendet. Quando æqualis raſuræ recentis portio primum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo infunditur, poſt temporariam digeſtionem tinctura naſcitur, coloris aurei, odoris nullius ſingularis, ſaporis valde amari atque ſubacris. Extractum inſpiſſatum binas ferme drachmas pondere æquat, et colorem ſordide fuſcum, odorem balſamicum, et valde amarum ſaporem obtinet. Si caput mortuum, poſt primam hanc extractionem ſuperſtes, denuo cum aqua digeritur, menſtruum notabili adhuc amaritie, aureoque colore imbuit, et, evaporatione ſuſcepta, drachmam integram extracti amari et ſubacris relinquit.

§. VIII.

Præter *tenerrimum principium halituoſum balſamicum*, et *fixam ſubſtantiam gummeo-reſinoſam*, nullum prorſus, vel ſaltem pauciſſimum, *oleum eſſentiale æthereum* adeſſe videtur, æque, ac in ligno præcedente, quoniam ſub deſtillatione humida ex duabus ligni raſpati ac macerati unciis ne guttula quoque olei prodiit, ſed mera ſaltem aqua, debili odore balſamico imbuta, in receptaculo collecta fuit. Vero cæteroquin ſimillimum eſt, in ligno recenti principium halituoſum non tantum largiori hoſpitari copia, ſed etiam

valde

valde acre exiſtere. Nam anno primo, uti ſcriptores plerique teſtantur, venenatam quaſi indolem obtinet, et facile, ob acredinem eminentem, vomitum, tormina ventris, convulſiones, maniam, aliaque prava pathemata excitat, ita, ut multi etiam lignum hoc, ob memoratam operationem nocivam, e medicaminum cenſu prorſus ejiciendum eſſe, exiſtiment.

§. IX.

Quod me attinet, uſum hujus ligni, vetuſtioris tamen, ac ſatis exſiccati, plane damnare nequeo, ſi provide ac doſi minori, drachmam dimidiam non facile ſuperante, vel per ſe, vel additis adpropriatis, in infuſo aquoſo, aut vinoſo, quod perinde eſt, exhibeatur; juſto largiorem vero atque frequentiorem ejus adhibitionem omnino reprobandam duco, quoniam, experientia teſte, lignum quoque vetuſtum, diutius uſurpatum, tremorem membrorum, atque ſtuporem, immo amentiam, produxit. Virtutes medicæ, quæ in fixo principio præcipue latent, ad actionem *roborantem*, *ſtimulantem*, *abſtergentem*, *diureticam*, *diaphoreticam*, *anthelminticam*, *antifebrilem*, *laxantem*, quin *leniorem emeticam*, redeunt, et inde etiam ſpecificæ ejus vires, quas in refractariis febribus intermittentibus, præſertim quartanis, copioſa vermium inteſtinalium progenie, ca-

chexia

chexia vulgari et icteritia, atque hydrope humido incipiente exerere dicitur, facile cognoſci et explicari poſſunt. Nonnulli ſingularem quoque virtutem *bezoardicam* huic ligno tribuunt, et in India contra virulentos inprimis ſerpentum ſeu colubrorum morſus, unde etiam nomen accepiſſe videtur, validum incolis remedium fœnerari, immo, ſolo odore ſuo, qui, uti ſupra dictum, in ligno recentiori longe fortior, ſerpentes fugare, referunt. Prius facile concedere poſſum, an poſterius autem ita ſe revera habeat, experientia deſtitutus, confirmare nequeo.

CAPVT XXII.

DE CORTICIBVS CITRI ET AVRANTIORVM.

§. I.

Balſamico - amaricantes et fragrantiſſimi CORTICES MALI CITREI unicuique notiſſimi ſunt, et flava eorum pars exterior, cui odor, ſapor, ac reliquæ dotes excellentes unice inhærent, adeo eſſentiali oleo æthereo turgida eſt, ut humida non minus deſtillatione, quam expreſſione et ſcarificatione (quæ poſtrema ſeparandi methodus in *Italia*, *Luſitania* et *Hiſpania* uſitatiſſima eſt) ſat

ſat copioſe elici queat. Oleum, expreſſionis et ſcarificationis ope ſeparatum, flaveſcens eſt, vel inſtar aquæ limpidum, ac levitate ſua, fluiditate, et temperata atque gratiſſima indole ſeſe magnopere commendat; deſtillatum vero, ob aliquam partium ſpirituoſarum jacturam, et leviſſimam quandam metamorphoſin, quam ſub violentiori ignis actione pati cogitur, paullo craſſius, acrius, atque calidius exiſtit, et minori præterea quantitate prodit.

§. II.

Primario, ac prorſus eximio huic *principio ſpirituoſo-oleoſo*, exiliſſimis cellulis ſive veſiculis incluſo, *particulæ quædam gummoſæ ac reſinoſæ*, quæ corticis virtutem augent, ſociatæ inveniuntur. Uncia enim una, ab interiori albicante, fungoſa, et inerti ſubſtantia, quantum fieri poteſt, repurgata, circiter drachmas duas et ſemiſſem extracti primi aquoſi, et drachmas duas extracti primi ſpirituoſi, ſive magis reſinoſi largitur. Infuſum aquoſum poſt filtrationem colore ſaturate et elegantiſſime aureo gaudet, odore ipſum corticem æmulatur, et ſaporem balſamicum et amaricantem obtinet. Extractum fuſco-rubicundum eſt, odore tamen orbatum reperitur, et balſamicum duntaxat et amaricantem ſaporem, cui in principio dulcedinis quidquam admixtum videtur, linguæ imprimit.

Tin-

Tinctura ſpirituoſa prima coloris dilute aurei eſt, ſpecificum corticis odorem emittit, et balſamicum, ſubacrem, atque amaricantem ſaporem obtinet. Tincturæ huic ipſum extractum haud diſſimile deprehenditur, præterquam, quod color flavus ſaturatior, et amarities paullo fortior ſit. Docent recenſita examina, in fixis quoque principiis, aliquam, uti antea dictum, virtutem, majorem tamen in reſinoſo, quam gummeo, deliteſcere.

§. III.

Principia activa, prædictis natura et proprietatibus valde analoga, in ſuaveolente pariter AVRANTIORVM CORTICE reperiuntur, quantitate tamen inæquali. Eſſentiale videlicet oleum æthereum longe parcius adeſt, fixa contra ſubſtantia reſinoſo-gummea copioſius in mixtione latet, et uncia una portionis flavæ circiter drachmas tres et ſcrupulum unum extracti aquoſi primi, et octo ferme ſcrupulos extracti ſpirituoſi primi reddit. Infuſum et extractum aquoſum cum infuſo et extracto corticum citri, quoad odorem, colorem et ſaporem, conveniunt, ac paullo majori ſaltem amaritie a præcedentibus diſtincta ſunt. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate aureo ſeſe commendat, atque odore ſpecifico balſamico, et acri, amaricante ac pariter balſamico ſapore ſim-

 plex

plex ſatis prodit. In extracto flavo-rubente odor imminutus, amarities vero aucta ſentiuntur. Præcipua igitur virium ratio ad eſſentiale quidem oleum æthereum redundat, in fixis nihilominus principiis non contemnenda pariter virtus latet, præſertim, ſi reſinoſum, quod præſtantius exiſtit, intime adhuc cum gummeo mixtum eſt.

§. IV.

Cortex citri, ob majorem olei copiam, in operando potentior deprehenditur, quam cortex aurantiorum, reſpectu modi agendi autem ac virium, tam generalium, quam ſpecialium, tantam ſimilitudinem adeſſe obſervamus, ut alterum alteri ubivis ſubſtituere liceat. Virtus utriusque egregia omnino ac varia eſt, præcipue nihilominus vires *nervinæ*, *analepticæ*, *cardiacæ*, *ſtomachales*, *carminativæ* et *uterinæ* prædicantur, et jure quidem maximo: Vix enim medicamentum ſimplex novi, corticibus hiſce intuitu virium memoratarum præferendum. Latiſſime igitur uſus eorum patet, et in vertigine inprimis, melancholia, lipothymia, palpitatione cordis, tuſſi, aſthmate, colica, cardialgia, torminibus ventris, paſſione hypochondriaca, malo hyſterico, et doloribus poſt partum multum valet. Quando cortex recens fruſto ſachari Canarienſis ſenſim abraditur, inde ſic dicta *eſſentia corticum citri et aurantio-*

rum *ſicca*, ſeu elæoſcharum gratiſſimum magnæ virtutis reſultat. Frequentiſſime cæteroquin decocta, et infuſa vinoſa atque aquoſa theiformia ingrediuntur.

§. V.

Deſcriptis corticibus citri et aurantiorum CORTICES POMORVM SINENSIVM et LIMONIORVM itidem jungi poſſunt, virtute tamen, præſertim poſteriores, qui debili duntaxat odore et ſapore, oleoque eſſentiali pauciſſimo gaudent, inferiores exiſtunt, ac paullo rarius proinde in uſum vocantur. A fraudulentis corticibus citri et aurantiorum perſæpe miſcentur.

CAPVT XXIII.

DE CORTICE CASCARILLÆ ET THYMIAMATIS.

§. I.

CASCARILLA, a quibusdam, quanquam minus recte, etiam *Chaccarilla*, *Chaquarilla*, *Schacharilla*, *China china ſpuria* etc. adpellata *(a)*, corticem quendam denotat

 plus

(*a*) „Originem vox hæc (Caſcarilla nempe), *Clariſſ. Dn. Doct. et Prof.* PHILIPP. ADOLPH. BÖHMERVS *in Diſſ. de Cortice Caſcarillæ Cap.* 1. §. 2.

plus minusve convolutum, compactum, foris cinereo-albicantis, intus ſubfuſco-ferruginei coloris, odoris balſamici, ſaporis amari et aromatici. Ab arbuſcula detrahitur, quæ *Ricinoides elæagni folio* dicitur, et plerumque decem pedum altitudinem, atque unius circiter pedis craſſitiem conſequitur. Folia pro-

„*ſcribit*, debet Hiſpanorum *Caſcara*, quæ *corticem* „denotat, in vernacula dicimus **eine Rinde oder** „**Schaale.** Hinc *caſcara di huovo*, ovi teſta, *caſ*„*cara de naranja*, cortex aurantiorum, vocantur; „ut taceam varias denominationes, v. g. *Caſcara* „*de limon, caſcara de granada, caſcara del arbore* etc. „Itali dicunt *Corteccia*, ceu patet ex GIOVANNI „TORRIANO lexico, ubi v. *caſcara* ſeu *Corteccia* „ait: the ut moſt Barck ar Rind af ang Tree, h. e. „**die Schaale oder Rinde eines Baumes.** Corti„cula vero hiſpanice ſignificat *caſcarillam*, adeo„que eſt diminutivum vocis *caſcaræ*. Inde cor„ticem Peruvianum *caſcarilla de la Oja* **Fieber-Rin**„**de** vocari, nonnulli ſcriptores referunt; tan„quam ſignum, denominationem Hiſpanos Peru„viano cortici κατ᾽ ἐξοχὴν tribuiſſe. Itaque „tam late patet Hiſpanis ſignificatus hujus vocis, „ut non in genere ſolum pro corticibus intelli„gatur, verum etiam ad ſpeciem quandam corti„cum referatur. Quomodo vero ab hac generi„ca denominatione cortex noſter *caſcarilla* pro„prie dictus fuerit, aliam non invenio rationem, „quam quod botanices ignari illam ad ſpeciem „nullam referre sciverint, vel quod, ut veriſimi„le mihi videtur, propter tenuiorem corticula„rum texturam aliter denominare, ipſis non diſ„plicuerit, quam *caſcarillam*. &c.

protrudit oblonga, acuminata, anguſta, pallide viridia, floſculosque fert exiguos, hexapetalos, albicantes, flavis apicibus donatos, quibus baccæ ex albo virideſcentes, in tres loculos, ſemina nigra includentes, diſtinctæ, et piſum magnitudine æquantes, ſuccedunt. Copioſe hæ arbuſculæ in plerisque *Bahamæ* inſulis creſcunt, et paſſim quoque in *regno Peruviano*, *Nova Hiſpania*, aliisque *Americæ* tractibus adoleſcere dicuntur.

§. II.

Principiis volatilibus oleoſo-ſpirituoſis, et *fixis reſinoſo-gummeis valde activis* gaudet. Oleum eſſentiale æthereum, cujus unica circiter drachma ex integra corticis libra elicitur, ſubviride, mobiliſſimum, ſpiritu valde turgidum, adeoque fragrantiſſimum eſt, et fixæ ſubſtantiæ reſinoſo-gummeæ inhæſione ſua præcipuam activitatem fœneratur. Infuſum aquoſum primum flavo-rubicundi coloris eſt, odoris balſamici, ſaporis amari ac paullulum quoque balſamici. Sub evaporatione fragrantiam ſuam, abeuntibus particulis oleoſo-ſpirituoſis unice adſcribendam, amittit, et maſſam ſaturate fuſcam relinquit, debili duntaxat ſapore amaricante, et vix ſenſibili amplius odore præditam. Ex uncia una circiter drachmas duas, totidemque ſcrupulos obtinui. Infuſum ſpirituoſum

tuoſum primum, colore ſaturate aureo tinctum, corticem odore prodit, et ſubacrem et amaricantem ſaporem poſſidet. Extractum flavo-fuſcum, quod peracta evaporatione relinquitur, valde tenax eſt, odoris balſamici, nullius vero amplius ſaporis; unde manifeſtum redditur, parum virtutis principiis fixis, per ſe conſideratis, ingenitum eſſe, ac totam igitur, vel tamen præcipuam, virium rationem, quod antea pridem monui, in volatili portione oleoſo-ſpirituoſa latitare. Ex uncia corticis una drachmas duas et ſcrupulum unum impetravi.

§. III.

Noſtro ævo cortex hic, ob egregias vires *roborantes*, *diſcutientes*, *diaphoreticas*, et *ſedativas*, frequentiſſimi uſus eſt, et cum inſigni inprimis fructu in febribus exanthematicis, catarrhalibus, intermittentibus, inflammatoriis, adfectibus ſpasmodicis, convulſivis, ſcabioſis, ſcorbuticis, cachecticis, frigidis rheumaticis, atque arthriticis, nec minus in diarrhoeis, dyſen teria, coeliaca, lienteria, vomitu pituitoſo, imbecillitate ventriculi, morbis pectoris ſalſo-mucidis, ſuppreſſione menſium diuturna, et fluore albo, vel in pulvere a granis aliquot ad ſcrupulum dimidium, vel etiam ſub forma infuſi vinoſi, a ſcrupulo uno ad duos, exhibetur. Pertinet præterea ad ſuffimigia, et ſæpiuſcule, præſertim in Anglia, raſura ejus

ejus herbæ Nicotianæ, grati odoris cauſſa, miſcetur.

§. IV.

CORTEX THYMIAMATIS, olim *Thus judæorum* dictus, nusquam in Officinis noſtris ſub forma cannularum occurrit, ſed ex meris fruſtulis minoribus, quibus aridæ foliorum partes mixtæ deprehenduntur, conſtat, ita, ut, judicante B. HOFFMANNO (*a*), relictum quoddam magma compreſſorum foliorum et corticum ex arbore eſſe videatur. Fruſtula hæc colorem ſubfuſco-cinereum, et ſaporem ſubacrem, amaricantem, in receſſu nonnihil adſtringentem, poſſident, gratumque odorem balſamicum ſpirant. Nomen ſuum a vocabulo *θυμίαμα* accepit, quod apud Græcos in genere *Suffitum* ſive *Suffimentum* denotat. Adfertur ex *Syria, Cilicia, Pamphilia* etc., ac nihil ſane aliud eſſe videtur, quam cortex reſinoſus arboris Styracis, quæ Storacem liquidam reddit; cui ſententiæ etiam vix laudatus HOFFMANNVS adſtipulatur: „Noſtra quidem ſententia, loco „cit. ſcribit, videtur eſſe cortex arboris, ex „qua liquida ſtorax exprimitur, et arbor eſt „minoris Ciliciæ, cui etiam ſententiæ favet „Serapion, qui pro cortice ſtyracis arboris „eum habet, expreſſæ et excoctæ liquidæ

 ſtyraci

(*a*) In Obſ. phyſico-chym. p. 65.

„ſtyraci ſuperſtite, præſertim cum ejus odor „cum odore ſtyracis liquidæ quam maxime „conveniat. etc.

§. V.

Subſtantiam fixam gummeo-reſinoſam, partibus *oleoſo-ſpirituoſis* fragrantiſſimis ſatis prægnantem, continet; major tamen virtus in parte reſinoſa, quam gummoſa latet. Filtratum infuſum aquoſum primum coloris aurantii eſt, et ſaporem atque odorem ingrate balſamicum poſſidet. Extractum, inde paratum, colore rubro-fuſco, ad nigrum nonnihil vergente, odore ipſius corticis balſamico, et ſapore auſteriuſculo adſtringente, levi amaritie, blandaque acredine aromatica remixto, donatum reperitur, ac, integra corticis uncia extractioni adhibita, drachmam unam et grana duodecim pendet. Tinctura ſpirituoſa prima, annotante HOFFMANNO (*a*) inſtar eſſentiæ balſami Peruviani valde nigra eſt, et, aquæ communi infuſa, protinus lacteſcit. Spiritus abſtractus odoris fragrantiſſimi eſt, eumque ita diffundit, ut a drachma una aliquot menſuræ aquæ odorem fragrantem mutuentur. Relinquitur reſina ſatis copioſa, ita ut ex libra corticis una unciæ duæ ad minimum reſinæ haberi poſſint. Hæc reſina, uti porro refert, itentidem ſuavem et fragrantem odorem emittit, et commodiſſime

(*a*) L. c.

ſime extracto ſtoracis, gummi benzoino et balſamo Peruviano, ad efformandam maſſam odoratam, calidæ fornaci illinendam, admiſceri poteſt.

§. VI.

Uſus internus paullo rarior eſt, etiamſi virtute *nervina*, *ſedativa*, et *anodyna* polleat, nec contemnendum itaque auxilium in ſedandis doloribus, et compeſcenda tuſſi convulſiva præſtet, ſi nimirum ſub tincturæ aut infuſi vinoſi forma exhibetur. Externe frequentius in uſum trahitur, et egregium prorſus ſuffimentum, in oedemate partium, doloribus frigidis rheumaticis, coryza rebelli, etc. conſtituit.

CAPVT XXIV.

DE CINNAMOMO.

§. I.

Cinnamomvm, Zimt-Rinde, alias quoque *Caſſia cinnamomea*, *Caſſia Ceylanica*, *Canella Ceylanica*, *Canella Officinarum*, nec minus *Cinamomum*. quaſi Chinæ amomum, dictum, corticem ſiſtit tenuem, in cannulas convolutum, colore fuſco-rubente, odore balſamico gratiſſimo, et ſapore acri aroma-

tico, ſubdulci tamen et auſteriuſculo nonnihil remixto, præditum.

§. II.

Arbor, cujus truncum hic cortex ambit, a plerisque Botanicis, ob foliorum ſimilitudinem, inter *Lauri* ſpecies refertur, et proinde etiam ab HERMANNO *Laurus Ceylanica baccis calyculatis*, a LINNÆO *Laurus foliis oblongo-ovatis, trinerveis, nitidis, planis* (a), et a quibusdam aliis ſimpliciter *Laurus Canellifera Ceylanica* adpellatur. Excreſcit plerumque ad oleæ aut pruni altitudinem, et radicem habet, ſubſtantia oleoſo-camphorata, ex forti odore ſatis cognoſcenda, et deſtillationis quoque ac ſublimationis ope ſeparanda, valde prægnantem. Lignum non plane inodorum eſt, uti nonnulli tradunt, ſed roſaceum odorem ſpirat. Folia, lauri foliis, quod dictum, forma haud diſſimilia, amœniſſimo, dum primum erumpunt, colore purpureo, qui poſtea in viridem mutatur, tincta cernuntur, et contrita caryophylla aromatica aut juniperum olent, flores autem albi, monopetali, infundibuliformes, qui menſe Januarii prodeunt, odore prorſus deſtituti dicuntur. Hiſce tandem fructus ſuccedunt, qui forma et magnitudine glandes quercinas, vel olivas quodammodo referunt. In principio colore gaudent viridi, poſtea rubeſcen-

(a) V. Hort. Cliff. p. 154.

rubeſcentem tandemque nigrum ſplendentem induunt, odore caryophylla aromatica imitantur, et oleo quodam ſpiſſiori, quod, poſt coctionem in aqua, expreſſum, natura ad oleum nucis myriſticæ, albedine et conſiſtentia ad ſevum animale accedit, largius impraegnati ſunt.

§. III.

Truncus et rami cortice duplici, vel, ſecundum alios, triplici cinguntur, quarum exterior gryſea, inodora, inſipida, et plane inutilis eſt, binæ interiores autem, firmiſſime cohærentes, cinnamomum conſtituunt. Latet tamen oleum ſvaveolens unice in tenui cortice ſeu pellicula intima membranacea, quæ ex multis veſiculis, oleo repletis, conſtat. Altera enim, cui etiam adhuc recenti laudata pellicula tam arcte adhæret, ut vix diſcerni, multo minus ſine veſicularum dilaceratione et olei effluxu ſeparari queat, oleo aromatico penitus deſtituitur, ac ſolo propemodum principio terreo-gummoſo ſtyptico pollet.

§. IV.

Deſcriptæ arbores canelliferæ in orientalis Indiæ *inſula Ceylon*, quam veteres vocabant *Taprobanam*, unice, et quidem in parte ejus meridionali et occidentali, inter flumina *Chilauw* et *Waluwe*, tanto numero creſcunt,

creſcunt, ut vaſtæ earum ſylvæ reperiantur. Numerantur etiam a quibusdam rerum orientalium ſcriptoribus *(a)*, præter deſcriptam, adhuc octo aliæ arboris canelliferæ ſpecies, quæ corticem tamen ignobiliorem, majori plerumque ſtypticitate, aut ſapore camphorato, alioque peregrino donatum, largiuntur, ac veræ igitur cinnamomi arbori neutiquam, intuitu bonitatis corticis, æquiparandæ ſunt. Fieri cæteroquin creberrime ſolet, ut ignobiliores hæ ſpecies, quæ hinc inde in aliis pariter Indiæ orientalis regionibus creſcunt, nec ſoli inſulæ Ceylon, ut prior, propriæ inveniuntur, cinnamomo genuino, quod incolæ *Kaſſe Coronde* vocant, a fraudulentis admiſceantur.

§. V.

Certam hæ arbores ætatem poſtulant, priusquam cortex ad juſtam maturitatem perveniat. Quæ in vallibus enim, ubi terra ſicca, arenoſa, atque tenerior reperitur, progerminant, poſt annum quintum adoleſcunt, reliquæ autem, in ſolo humido et limoſo creſcentes, ad ſeptem vel octo annorum ætatem pervenire debent, antequam cortex maturus detrahi poſſit. Diutius præterea corticis bonitas in aliis, ad decimum quintum ſcilicet vel ſextum ætatis annum, perdurat, in

(a) Salmons Beſchreibung der Elephanten und Zimmet Inſul Ceylon p. 42.

in aliis, deterius ſolum natale nactis, citius perit. Certis quippe annis præterlapſis, trunci evadunt craſſiores, et cortex, amiſſa dulcedine, atque aromatici ſaporis ſuavitate, camphoratam adquirit indolem, tantamque craſſitiem, ut in cannulas, radiis ſolaribus expoſitus, amplius ſeſe convolvere renuat.

§. VI.

Poſt corticis detractionem, quæ ordinario a certis hominibus, mercede conductis, menſe Majo, ſuſcipitur, arbores denudatæ quidem emoriuntur; aſt, cum ex radice, prius trunco cæſim ablato, paullo poſt multi ſurculi progerminent, qui, exactis quinque vel ſex annis, arborum magnitudinem cum deſiderata corticis maturitate denuo conſequuntur, et cito præterea novæ arbuſculæ ex fructibus ſupra deſcriptis, tum ſponte decidentibus, tum hinc inde etiam a certis columbis, quæ illis veſcuntur, eosdemque ad pullos alendos in nidos ſuos transferunt, inter volandum fortuito ſparſis, naſcantur, nulla earum penuria unquam metuenda erit.

§. VII.

Detracta cortex cinnamomea, ac debite ab inutili cineritia exteriori ſeparata, radiis ſolaribus exponitur, ut, paullulum exſiccata, in fiſtulas contorqueatur, et oleum æthereum quoque, tenerrimæ membranæ interioris, media-

medianæ firmiſſime adhærentis, veſiculis incluſum, ruptis iisdem, in totam penetret corticem, eamque grato pariter ſapore et odore aromatico imbuat. Hæc enim, uti ſupra pridem dictum fuit, ſolo pollet ſapore ſtyptico, et aromatica ſuavitate ante olei laudati tranſitum ac diſtributionem penitus deſtituta obſervatur. Ratio inde patet, cur cannulæ tenuiores fiſtulis, ex craſſiori cortice convolutis, ſemper præſtantiores exiſtant. Hæ nempe, ſub eodem pondere conſideratæ, plus ſubſtantiæ inertis ac ſtypticæ, quam priores, et longe minorem ex adverſo olei aromatici quantitatem poſſident, adeoque, cum virtus aromatica unice ab oleo laudato derivanda ſit, nemini mirum videri poterit, quod ea in corticibus craſſioribus multo debilior ſit, quam in tenuioribus.

§. VIII.

Triplici principio activo, *ſpirituoſo-oleoſo* nimirum, *reſinoſo*, et *terreo-gummoſo*, caſſia cinnamomea inſtructa eſt. Quando una enim ejusdem libra civilis groſſiuſcule contunditur, et, præmiſſa decenti maceratione in aqua ſalſa, humidæ deſtillationi in cucurbita humiliori, aut veſica cuprea ſubjicitur, igne ſubſtrato, et per gradus aucto, aqua fragrantiſſima, coloris lactei, parte oleoſo-ſpirituoſa largiſſime referta, et grato cinnamomi ſapore aromatico prædita, tranſtillat, ipſum-

ipſumque oleum ſubſtantiale, aureo colore, gratiſſimoque odore aromatico donatum, ſecum in recipiens ducit. Oleum hoc, ceu liquidum aqua ſpecifice gravius, fundum petit, et, biduo vel triduo elapſo, demum ſeparatum, drachmam circiter unam, ſcrupulos duos, et aliquot grana, vel etiam, ſi cinnamomum optimæ notæ fuerit, drachmas duas pendet.

§. IX.

Fixa principia extractionis beneficio manifeſta redduntur. Quando una enim cinnamomi pulveriſati uncia cum ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate blandæ digeſtioni ſubmittitur, infuſum ſuppeditat, coloris fuſco-rubeſcentis, ſaporis ſubdulcis, aromatico et ſubadſtringente nonnihil remixti, odoris ſpecifici cinnamomei. Sub evaporatione gratum cinnamomi odorem diffundit, et copioſam in principio materiam, ſpumidam, pinguem, coloris pallide rubeſcentis, quæ olei ætherei particulis, calore expulſis, et terra teneriori remixtis, ſine dubio natales debet, ad ſuperficiem extrudit. Extractum, ad perfectam pene ſiccitatem redactum, unam circiter drachmam pondere æquat, et colorem ſubfuſcum, debilemque ſaporem adſtringentem poſſidet. Tinctura ſpirituoſa prima fuſco-nigricans eſt, et ſaporem aromaticum, dulci tamen et ſubadſtringente mixtum, nec

non

non ſpecificum cinnamomi odorem obtinet. Inſpiſſata maſſam largitur fuſco-nigricantem, ſapore adſtringente, et grato ſimul ſubdulci et aromatico præditam. Uncia una cinnamomi mihi drachmam unam et ſemiſſem reddidit. Clare ex deſcriptis examinibus conſtat, virtutem cinnamomi adſtrictoriam præcipue in parte gummoſa, aromaticam vero in ſubſtantia reſinoſa, et oleo æthereo quærendam eſſe, et tincturam proinde atque infuſum vinoſum infuſo aquoſo longe præſtantiora exiſtere.

§. X.

Cinnamomum, in pulvere exhibitum, ob ſtypticam inprimis terreo-gummoſi principii indolem, fibras partium ſolidarum ſatis valide ad- et conſtringit, propter reſinoſo-oleoſam vero ſubſtantiam ſolida nervoſo-membranacea, interveniente vivido quodam ardore, ad vegetiores contractiones irritat, et ſanguinem præterea ac fluida reliqua commovet, impuritates tenaces, viſcidas, pituitoſas, attenuat, calorem intendit, fluidi nervei influxum auget, et vario hoc modo non tantum ſolida roborat, ſed humorum etiam circuitum vegetiorem reddit. Ex vario hoc operandi modo quævis virtutes generales, cinnamomo vulgo adſcriptæ, nimirum *ſtomachalis*, *nervina*, *cephalica*, *uterina*, atque *cardiaca*, et ex hiſce iterum ſpecialiores deri-

vandæ

vandæ ſunt. Opem nempe egregiam ferre conſuevit in variis adpetitus atque digeſtionis vitiis, v. g. in anorexia, dyſorexia, apepſia, dyſpepſia, immo ipſa pica et malacia, ſi illa ſcilicet adcumulatis cruditatibus frigidis pituitoſis, quarum reſolutionem adjuvat, nec minus tunicarum flacciditati et atoniæ, indeque pendenti languido motui periſtaltico, quem denuo, flacciditatem corrigendo, fortiorem reddit, originem ſuam debent. Ex eodem ferme fundamento in variis fluxionibus ſeroſis et ſeroſo-ſanguineis præternaturalibus, vomitu nimirum, diarrhoea vulgari, lienteria, coeliaca, dyſenteria, diabete, fluore albo etc. ſeſe commendat, præſertim, ſi ante exhibitionem ejus impuritates eliminandæ per congrua remedia reſolutæ et eductæ fuerint, aut fluores hi ſolam laxitatem et atoniam fibrarum cauſſam agnoſcant.

§. XI.

Notatu pariter dignum eſt, corticem hunc, qui fluxiones ſeroſas, et ſanguineo-ſeroſas præternaturales ſiſtit, ſanguineas naturales et nonnaturales v. g. fluxum menſtruum, lochialem etc., itemque foetus atque placentæ uterinæ excluſionem egregie promovere, et quidem eo certius ac citius, ſi eidem alia ſpecifica, ut ſuccinum, crocus, borax Veneta, ſalia mediæ naturæ etc. jungantur. Dum fibras enim leniter conſtringit, et ſan-

guinis ac fluidi nervei in fibras muſculorum motrices influxum auget, contractiones, ad prædicta expellenda neceſſarias, auctiores quoque reddit.

§. XII.

Latius, quam virtus ſtomachalis et uterina, vires nervinæ atque cephalicæ ſeſe extendunt. Creberrime videlicet hic cortex proficuus fuit repertus in melancholia idiopathica, epilepſia cacochymica, coryza juſto diuturniori, vertigine, imbecillitate memoriæ, apoplexia, adfectibus ſoporoſis, paralyſi, hebetudine et plenaria abolitione ſenſuum externorum, itemque, ob generalem virtutem roborantem, in cachexia, tumoribus partium oedematoſis, intumeſcentiis glandularum frigidis, febre intermittente quotidiana et quartana, adpetitu venereo nimis torpido, et ſingulis adfectibus reliquis, qui ex nimia partium ſolidarum laxitate, humiditate, atonia, et humorum viſcoſitate, languidoque circulo, vel liquidi etiam nervoſi penuria naſcuntur.

§. XIII.

Hactenus dicta primario de cinnamomo, in pulvere, et infuſo aquoſo aut vinoſo ægris exhibito, intelligenda erunt: Circa olei enim, eſſentiæ, ac ſpiritus, inde cum alcohole per abſtractionem parati, virtutes differentia

ſentia quædam occurrit. Nam oleum æthereum, deſtillatione ſeparatum, medicamentum ſumme activum eſt, forti virtute commovente, calefaciente, diſcutiente, exſiccante atque nervina, nulla vero adſtringente, præditum: Spiritus abſtractitius ſubtiliorem duntaxat olei portionem continet, et ideo oleo longe temperatior eſt, et eſſentia denique, ſi rectificatiſſimo vini ſpiritu extrahitur, oleum ſolummodo et reſinam ſolvit, ſtypticam vero ſubſtantiam intactam relinquit, vel exiguam ſaltem ſubſtantiæ terreo-gummoſæ portionem, quam phlegma, menſtruo ſpirituoſo adhuc inhærens, ſolvit, in poros ſuos recipit; hinc nulla ſingulari etiam virtute adſtrictoria pollet, et viribus ſaltem commoventibus, diſcutientibus, calefacientibus, et roborantibus inſtructa eſt. Cinnamomum, quod addendum erit, in pulvere a granis aliquot ad ſcrupulum ſemiſſem, in infuſo aquo et vinoſo autem a granis paucis ad ſcrupulum integrum, immo drachmam dimidiam præſcribitur.

CAPVT XXV.

DE CASSIA LIGNEA.

§. I.

Cassia lignea, Mutter-Zimmt, ſive *Canella Malabarica*, *Xylocaſſia* etc., æque, ac cinnamomum, in fiſtulas ſive cannulas convoluta eſt, majori tamen, quam illud, rubedine tincta, craſſior, et, ratione ſaporis, odoris atque virtutis, longe ignobilior deprehenditur. Odorem videlicet debiliorem ſpirat, et, loco ſaporis acris, gratiſſima dulcedine remixti, debilem duntaxat ſaporem aromaticum, lentore quodam terreſtri deturpatum, guſtus organo ſub manducatione imprimit: Aliquamdiu præterea manducata non lignum, ut caſſia cinnamomea, ſed glutinoſam ſolummodo materiam, quæ paullatim in ſaliva diffluit, in ore relinquit.

§. II.

Nonnulli eam arboris cinnamomeæ corticem exteriorem credunt, alii ex adverſo, qui ſententiam, experientia magis fundatam, cui proinde ſubſcribo lubentius, tuentur, *arboris canelliferæ Malabaricæ, Javanenſis*, aliarumque regionum orientalium, a Ceylanica

tum

tum totius, tum partium forma parum vel nihil diſtinctæ, corticem eſſe, adeoque telluris duntaxat, et climatis diſcrepantiam differentis bonitatis cauſſam exiſtere, arbitrantur. Facile cæteroquin largior, ſpeciem utramque diſcriminis quidquam intercedere poſſe, etiamſi illud tam exiguum ſit, ut ex arborum forma externa vix, aut ne vix, dignoſci queat. Ad confeſſionem hanc memet arbores cogunt, quæ in ipſa inſula Ceylon inter veras et nobiliores arbores canelliferas ſparſim creſcunt, et collectoribus nihilominus caſſiam ſaltem ligneam, neutiquam vero cinnamomeam, largiuntur. Hiſce accedit, quod, præter binas recenſitas, plures adhuc arboris canelliferæ ſpecies, corticem, quoad odorem, ſaporem, et virtutem plus minusve diſtinctum, foenerantes, in eadem Inſula reperiantur.

§. III.

Præter inutiles *partes terreas*, et *copioſas*, easque *valde craſſas mucilagineas*, *reſinoſas* quoque et *pauciſſimas ſpirituoſo-oleoſas* in mixtione ſua continet. Olei ætherei penuria tanta eſt, ut libra integra, quod ipſe expertus ſum, ſub deſtillatione humida ne guttulam in ſubſtantia largiatur, ſed aquam ſolummodo lacteſcentem, grato ſapore dulci et aromatico imbutam, reddat. Deſtillatio præterea admodum tædioſa eſt, ac lente

 pro-

procedit: Admoto quippe igne mitiori, protinus ceſſat, ſubſtrato autem paullo fortiori, maſſa terreo-mucilaginea, licet dimidia ſaltem veſicæ pars aqua et cortice diffracto repleta ſit, adeo expanditur, ut integra corticis fruſtula, una cum expanſa mucagine, tranſcendere minitentur, et liquor hinc inde per alembici commiſſuras penetret.

§. IV.

Simillimæ difficultates ſub extractione et ſeparatione partis mucilagineæ occurrunt. Unica enim caſſiæ pulveriſatæ uncia largam aquæ molem tam copioſa, craſſa, atque tenaci mucilagine imprægnat, ut poſt digeſtionem in gelatinam, denſam, fuſco-rubicundam, mutata videatur. Mucilago hæc, licet aquæ recentis adfuſione dilutior reddatur, filtra chartacea, ob inſignem craſſitiem et tenacitatem, tranſire recuſat, et, ſi, adhibita vi majori, per pannum lineum exprimitur, terra tenerior, quæ altius ipſi immerſa eſt, atque involuta, ſimul penetrat, ut verum ideo ſubſtantiæ mucilagineæ pondus determinari nequeat, præſertim, cum notabilis inſuper portio, linteo ac digitis ſub percolatione ac forti expreſſione tenacius adhæreſcens, a mole trajecta detrahenda ſit. Felicius paullo opus ſuccedit, quando caſſia lignea, in majora duntaxat fruſta diſſecta, extractioni ac leniori coctioni in olla ſubjicitur. Nam fruſtula

facilius

facilius a mucilagine extracta cribri ope ſeparari, et illa exſiccari, hæc inſpiſſari, et ſic pondera lance examinari poſſunt. Adhibita ultima hac methodo, ex uncia caſſiæ una extracti mucilaginei, juſtæ conſiſtentiæ, drachmam unam et ſcrupulos duos impetravi. Mucilago nondum inſpiſſata, quod addendum duco, per ſe conſiderata, ac penitus a reliquis principiis ſeparata, uti hoc, ſub expreſſione infuſi per linteum, ex puriori hinc inde tranſeunte portione cognoſcere licet, albicans quidem, inodora, ac plane inſipida eſt; verum, cum ſub extractione et percolatione præcaveri nequeat, quominus portio aliqua terræ tenerioris fuſco-rubicundæ, mucilagini altius immerſæ, immo ipſius ſubſtantiæ reſinoſæ pauxillum colatorii poros ſimul penetret, non mirandum eſt, quod maſſa inſpiſſata, præter colorem fuſcum, debilem quoque ſaporem aromatico-ſalinum adquirat, et ipſam caſſiam aliquantulum adhuc redoleat.

§. V.

Partis reſinoſæ ſeparatio minus faceſſere ſolet negotii, et poſt blandam cum ſpiritu vini digeſtionem tinctura inde reſultat, coloris e rubro nigricantis, odoris aromatici, ſaporis acris, aromatici et ſubadſtringentis, quæ, evaporando ad juſtam ſpiſſitudinem redacta, maſſam relinquit, rubro-nigricante pa-

riter colore tinctam, et ſapore adſtringente, cui ſubdulcis tamen ac debilis aromaticus mixtus deprehenditur, præditam. Uncia caſſiæ una mihi drachmam unam et ſemiſſem hujus extracti reddidit. Reſiduum, cum aqua coctum, itidem in craſſam atque tenacem maſſam mucilagineam reſolvitur, et antea memoratæ difficultates circa mucilaginis a terra ſeparationem iterum obviæ ſunt.

§. VI.

Vires *calefacientes*, *commoventes*, *diſcutientes*, *roborantes* atque *nervinæ* in caſſia lignea longe remiſſiores ſunt, quam in cinnamomo, *incraſſantes* vero ac *demulcentes*, quibus cinnamomum penitus ferme deſtituitur, ob mucilaginis copiam et craſſitiem, notabiles inveniuntur, et inde etiam ratio præcipue petenda videtur, cur caſſia lignea in morbis, ex nimia humorum tenuitate et acrimonia, partiumque ſolidarum eroſione deducendis, v. g. in aſperitate faucium, tuſſi, ardore ventriculi, cholera, dyſenteria, ſtranguria etc. ſpecificam virtutem exerat. Tota quidem mucilaginis in ventriculo extractæ moles, ob inſignem glutinoſitatem, per vaſa bibula et lactea ad ſanguinem penetrare nequit, ſed maxima ejus pars in primis viis remanet, aſt ſubtilior tamen portio, confluentibus tepidis liquoribus aquoſis dilutior reddita, ad humorum circulantium maſſam transfertur, et

et hinc inde demulcendi atque incraſſandi virtutem edit. Scriptores aliqui huic cortici ſpecificas etiam vires in uvulæ laxitate, fluore albo, aliisque uteri adfectibus frigidis tribuunt; verum, in hoc paſſu cinnamomo, me ſentiente, neutiquam præferenda, ſed potius poſtponenda erit, quoniam rudioribus principiis gaudet, et in iis quoque morbis, qui leniora adſtringentia poſtulant, longe minorem efficaciam monſtrat. Optime exhibetur in infuſo vinoſo et tinctura ſpirituoſa, decocta autem et infuſa aquoſa nullius fere pretii ſunt, niſi medicus nonnunquam ad craſſæ ac glutinoſæ mucilaginis actionem, indeque derivandas vires incraſſantes et demulcentes, reſpicere velit. Datur etiam in pulvere a granis aliquot ad ſcrupulum unum et ultra.

CAPUT XXVI.

DE CASSIA CARYOPHYLLATA ET CANELLA ALBA.

§. I.

CASSIA CARYOPHYLLATA, Neicken-Zimmt, cortex arida eſt, cinnamomo paullo tenuior, aſperiori ſuperficie externa, colore, ſi a pellicula extima gryſea

M 5 probe

probe purgata fuerit, ex rufo-ferrugineo, ſapore acri aromatico, et odore caryophyllorum, quanquam debiliori, prædita.

§. II.

Circa denominationem æque, ac deſcriptionem arboris, quæ hunc corticem ſuppeditat, et in *Braſilia* inprimis, ac *Novæ Hiſpaniæ* provincia *Chiapa*, nec minus in *inſulis Jamaica* et *Madagaſcar* creſcere traditur, non levis ſcriptorum diſſenſus occurrit: Alii quippe illam inter myrti arboreæ, alii inter arboris caryophylliferæ ſpecies referunt, et eandem igitur cum HERMANNO etc. *Myrtum arboream Americanam*, aut *Myrtum arboream aromaticam foliis laurinis*, vel cum PLVKENETIO *Caryophyllum aromaticum Indiæ occidentalis fructu rotundo*, vocant. Difficile igitur in hoc diſſenſu eſt, certi quidquam determinare; reliquis nihilominus probabilior mihi HERMANNI videtur ſententia, quoniam arbor hæc non caryophylla, ſed initio ſtatim baccas rotundas, umbilicatas, fuſco-nigricantes, piperis ordinarii granis paullo majores, odoris et ſaporis caryophyllæi, quas FRANCISCVS RHEDI (*a*) *piper Chiapæ, piper Tavaſci, pimienta de Chapa*, alii *caryophyllum* aut *amomum Plinii, piper Jamaicenſe, cocculos Indos aromaticos* adpellant, profert, et

(*a*) Vid. Ejus Experimenta circa varias res naturales p. 133. ſeqq.

et folia quoque, laurino odore prædita, forma ad myrti folia, (præterquam quod hiſce multo longiora exiſtant ac latiora), accedunt.

§. III.

Natura corticem hunc *principiis gummoſis, reſinoſis*, et *oleoſo-ſpirituoſis* parciſſime ſaltem donavit. Nam integra libra civilis, quam humidæ deſtillationi in veſica, poſt ſufficientem in aqua ſalſa macerationem, aliquando ſubjeci, aquæ tranſtillanti colorem quidem ex albo flaveſcentem, et aromaticum ſaporem et odorem conciliabat, nullum tamen oleum ſubſtantiale largiebatur, ſi paucas miculas exceperis, quæ aquæ ſuperficiei innatabant, et ob molem nimis exiguam non ſeparari poterant. Non adeo larga quoque meſſis poſt extractionem aquoſam et ſpirituoſam adparuit: Ex integra enim corticis uncia, primum rectificatiſſimo vini ſpiritu extracta, tincturam fuſco-nigricantem, odoris aromatici, ac valde acris, et paullulum aromatici ſaporis, obtinui, quæ blando calore inſpiſſata, vix drachmam unam maſſæ gummeo-reſinoſæ, colore obſcure fuſco, et ſapore aromatico ac valde acri donatæ, reliquit. Longe parcior adhuc, poſt reſidui coctionem cum aqua, ſubſtantiæ mere gummoſæ proventus fuit, eademque vix ad ſcrupuli dimidii pondus adſcendebat. Caput mortuum exſiccatum plane iners erat, et drach-

mas

mas ſex cum dimidia pendebat. Alia caſſiæ recentis uncia, ordine inverſo, primum cum aqua protractiori ac repetitæ digeſtioni tradita, liquorem præbuit fuſco - flaveſcentem, inſipidum ferme, ſpecifico tamen caſſiæ odore imbutum, qui, peracta decenti evaporatione, extracti gummoſi, ſapore auſteriuſculo, atque nonnihil amaricante ingrato præditi, drachmam ſemiſſem foenerabat. Tinctura ſpirituoſa, quam poſt ſecundam reſidui ſiccati, cum ſpiritu vini extractionem impetravi, grana triginta octo ſubſtantiæ reſinoſæ ſuppeditavit.

§. IV.

Militat inter pharmaca *roborantia*, *calefacientia*, *nervina*, *cephalica* et *ſtomachalia*, in morbis, a pituita, humorum ſpiſſitudine, et partium ſolidarum flacciditate oriundis, proficua. Caryophyllis aromaticis ſubſtitui poteſt, quoties moderatioris operationis medicamina deſiderantur. Optime in infuſo vinoſo, a drachma dimidia ad integram et ultra, præſcribitur.

§. V.

CASSIA ſive CANELLA ALBA, weiſſer Zimmt, caſſia lignea, caryophyllata, et cinnamomea longe craſſior eſt. Colore gaudet albicante, vel potius ex albo flaveſcente, in exteriori ſuperficie pallida hinc inde rube-

dine

dine mixto, valde acrem ſaporem aromaticum guſtus organo imprimit, gratiſſimoque inprimis odore, quo caryophylla, nucem myriſticam, ac cinnamomum ſimul æmulari videtur, ſeſe commendat. Dicitur etiam *Caſſia lignea Jamaicenſis*, *Coſtus Arabicus Officinarum*, *Coſtus corticoſus* et *ventricoſus*, *Cinnamomum Magellanicum*, et *Cortex Winteranus*. Ultimum hoc nomen ab equite Anglo, et navarcho WINTER, qui eam anno 1667. primum ad Europæos ſecum tranſtuliſſe traditur, adepta eſt.

§. VI.

Transvehitur ad gentes Europæas, ab extima tamen pellicula prius liberata, partim ex *India orientali*, partim ex *Americæ inſula Jamaica*, et *terris*, *freto Magellanico vicinis*. Arbor, a cujus trunco detrahitur, folia habet, lauri foliis ſimilia, floresque fert exiguos purpurei coloris, qui tandem parvos fructus glandiformes, viridi colore tinctos, relinquunt. HANS SLOANE eam *Arborem bacciferam laurifoliam aromaticam fructu viridi calyculato* (a), CLVSIVS *Arborem aromaticam Magellanicam*, CASP. BAVHINVS *Laurifoliam Magellanicam*, HERMANNVS *Arborem Magellanicam bacciferam*, SAMVEL DALE *Periclymenum odoratum Magellanicum*, et

(a) In Catal. plantar. inſ. Jam. p. 165.

et alii *Laurum canelliferam Magellanicam* et *Jamaicenſem* vocant.

§. VII.

Principiis valde activis, tam *fixis gummeo-reſinoſis*, quam *volatilibus oleoſo-ſpirituoſis* pollet. Oleum eſſentiale æthereum copioſis partibus, craſſis, mucidis, unguinoſis, remixtum prodit, et hiſce itaque ſeparatis, exigua ſaltem ejus quantitas colligitur. Quum aliquando enim integram libram civilem canellæ albæ, groſſiuſcule contuſæ, ac debite prius maceratæ, humidæ deſtillationi in veſica cuprea ſubmitterem, aqua ex albo flaveſcens, turbida, ſapore acri aromatico, odore fragrante prædita, tranſtillabat, et paullatim ipſum oleum, obſcura tinctum flavedine, ſecum in receptaculum educebat. Oleum hoc aquæ ſuperficiei innatabat, et vitri recipientis lateribus adeo circumquaque adhærebat, ut tota aquæ ſuperficies oleo copioſe contecta, idemque ad unciæ dimidiæ pondus adſcendere videretur: Verum enim vero, eventus ſpem meam fefellit. Suſcepta enim olei ſeparatione, vix ſcrupulum dimidium olei, limpidi, flavi, aromatici, obtinui, et, licet longe major adhuc portio adeſſet, illa tamen, ob valde glutinoſam ac craſſam indolem, ſeparari, et ſeorſim colligi nequibat, ſed partim receptaculi, partim vitri hypocleptici lateribus, unguenti, aut olei ungui-

unguinoſi expreſſi inſtar, adhæreſcens, quacunque etiam adhibita encheireſi, ſimul defluere renuebat. Aqua etiam multis adhuc particulis oleoſis imprægnata erat, ac diu turbida permanebat.

§. VIII.

Principia fixa gummeo-reſinoſa; quæ viribus oleo æthereo parum cedunt, et canellæ amaritiem imprimis conciliant; majori quantitate mixtionem ingrediuntur. Tinctura ſpirituoſa prima colorem fuſco-rubeſcentem, ſaporem aromaticum, acrem, ac valde amarum, et ſpecificum canellæ odorem obtinet. Blanda evaporatione inſpiſſata, ſaporem aromaticum, qui unice, vel tamen præcipue, principio oleoſo-ſpirituoſo adſcribendus venit, maximam partem amittit, ac ſolum ferme amarum retinet. Ex uncia canellæ una drachmas duas et grana ſex hujus extracti impetravi. Infuſum aquoſum primum flaveſcens eſt, et intenſe amarum. Quando blande evaporatur, maſſam relinquit, odore fuſco, et maxima pariter amaritie præditam, quæ, integra pariter canellæ uncia extractioni ſubjecta, circiter drachmam unam, totidemque ſcrupulos pendet.

§. IX.

Viribus potentioribus, quam reliquæ caſſiæ aromaticæ ſpecies, hic cortex donatus repe-

reperitur, et inter calidiora proinde ac valde activa *commoventia*, *exſiccantia*, *nervina*, *cephalica* et *ſtomachalia* jure collocandus eſt. In refractariis febribus intermittentibus, præſertim quartanis, vires ſingulares monſtrat; immo nonnulli eum ſpecifice quoque ſcorbuticis prodeſſe, perhibent. Prior virtus certiſſima eſt, circa poſteriorem vero multa, ſi ſpatium et ſcopus permitterent, monenda forent: Sufficientem enim rationem non video, cur cortex hic aliis balſamicis et aromaticis in ſcorbuti curatione præferendus ſit, et alia potius remedia, hoc ipſo leniora paullulum ac temperatiora, ſemper tutiora eſſe ac præſtantiora, arbitror. Varias compoſitiones pharmaceuticas ingreditur, frequentiſſime tamen, et optime quoque in infuſo vinoſo, a ſcrupulo uno ad drachmam integram, exhibetur.

CAPVT XXVII.

DE CAMPHORA.

§. I.

CAMPHORA, alias etiam *Caphura*, itemque *Caſura* dicta, recte in *crudam* et *depuratam* diſtinguitur. Cruda, ob ad- et immixtas multas partes recrementitias, nondum per-

perfecto pollet candore, ſed gryſeum adhuc colorem obtinet, et propter hunc ideo, et exiguas haſtulas cryſtallinas, ad ſalis culinaris impurioris, ac groſſioris formam habitu externo accedit. Colligitur ea, ac ſublimando ſeparatur, tum in *Japonia* et *China*, tum etiam in *inſulis Borneo* et *Sumatra*; maxima tamen quantitas, quæ alibi proſtat venalis, ex Japonia ad gentes exteras transvehitur: In China enim atque inſulis memoratis tanta copia nusquam obvia eſt, ut inter merces, navibus exportandas, locum vindicare ſibi, atque tueri poſſit.

§. II.

Differunt etiam forma, tum totius, tum partium externa arbores, quæ in inſulis Borneo et Sumatra camphoram reddunt ab arboribus, quæ idem concretum in China atque Japonia largiuntur. Nam arbor camphorifera Japoniæ, quæ a KÆMPFERO *Laurus camphorifera* vocatur, et in Japoniæ tractibus occidentalibus, maxime autem provincia *Satzuma*, inſulisque adjacentibus uberioris proventus eſt, ad vaſtam tiliæ magnitudinem excreſcit: Radicem habet, uti vix memoratus KÆMPFERVS refert *(a)* validam ac parum brachiatam, largiori tamen præ partibus reliquis ſubſtantia camphorata inſtructam.

(*a*) In Amoenit. exot. p. 771. ſequ.

ſtructam. Truncus cortice ſcabro nonnihil ac pulli coloris, rami vero juniores nitente, lævi, viridiuſculo, facile tamen, ob interioris ſuperficiei glabritiem et mucoſitatem, detrahendo, cinguntur. Medulla magna, fungoſa et lignoſa eſt, lignum recens candidum, exſiccatum vero colorem ex rufo variegatum adquirit. Folia lauri vulgaris foliis ſimilia inveniuntur, et floſculi, qui menſe Majo, Junioque in faſtigiis ramulorum inter foliorum axillas prodeunt, albi et hexapetali ſunt, iisdemque tandem baccæ ſuccedunt, per maturitatem atro-purpureæ et ſplendentes, piſa majora magnitudine æquantes, figura quodammodo turbinata, pericarpio molli purpuraſcente, et ſapore ex camphora caryophyllaceo præditæ, quæ intus nucleum, grani piperis magnitudine, cortice nigro micante obductum, bifidum, oleoſum, fatui ſaporis, continent.

§. III.

Altera arbor camphorifera, quæ inſulas *Sumatram* et *Borneo* patriam agnoſcit, ſecundum GRIMMII deſcriptionem *(a)*, caudicem habet recte adſcendentem, et ramos ſuos eleganter explicat. Lignum ejus, ob duritiem et texturam compactiorem, ad ædificia

(*a*) In Miſcell. A. N. C. Dec. 2. ann. I. p. 371.

ficia perutile reperitur, et, ſerra diſſectum, fortem ſpirat odorem, multumque oſtendit pinguedinis. Folia ſunt magna et carnoſa, anterius acuta, et camphoræ odorem contrita emittunt, qui non adeo diu tamen perdurat, ſed denuo, conſumtis paullatina exhalatione particulis volatilibus, ceſſat; magna çæteroquin hæc et arboris caryophylliferæ folia, quoad formam, ſimilitudo intercedit. Fructus, quos profert, formoſi ſunt, atque oblonge rotundi, parvamque nucem avellanam magnitudine æquant. Cortice tenui cinguntur, quæ rurſus, inſtar nucum avellanarum, alteri elegantis formæ tunicæ, diverſis coloribus, rubro ſcilicet, purpureo, flavo, ac viridi præditæ, incluſa hæret. Hæc poſterior integrum contegit fructum, et ſuperius, inſtar tulipæ, quam figura etiam nonnihil refert, ſeſe aperit. Fructus conditi grato pollent ſapore, et ſubtili odore camphorato, adeoque etiam in India inter præſtantiora referuntur alexipharmaca. Ex fructibus hiſce, ut et ex foliis ac floribus aqua deſtillata ſatis activa, itemque oleum æthereum et expreſſum elici poſſunt, et ex ligno quoque, ad medullam uſque diſciſſo, copioſa materia oleoſa prodit.

§. IV.

Ex foliis, cortice, ligno, ramis, et maxime radicibus, contritis, raſpatis, aut groſ-

ſiuſcule ſaltem diſſectis arborum deſcriptarum camphora cruda ab Indiæ incolis, imprimis a ruſticis provinciæ Japonicæ *Satzuma*, et inſularum *Gotho* ſingulari deſtillatione, ac ſublimatione ſeparatur. Methodus hæc ab auctoribus diverſimode quidem deſcribitur, plerorumque tamen deſcriptiones ad ſequentia redeunt: Radices ſcilicet diſciſſas, quæ præ reliquis arborum partibus camphora abundant, vel ſimul etiam, ſi ſufficiens radicum copia deſit, folia, cortices, lignum, et ramos cum aqua ſimplici, tanta quantitate adfuſa, ut ſpecies aliquantulum tegat, in veſica, vel aheno ferreo aut cupreo, cui amplum capitellum ſive alembicum, fictile, roſtratum, intus pileo, ſeu operculo ſtramineo obductum, imponitur, coquunt, et igne moderato, lutatis prius commiſſuris, et receptaculo adaptato, camphoram in alembicum, ubi forma ſicca capitello ſtramineo adhæret, ex parte etiam cum aqua tranſtillante in adplicatum receptaculum, propellunt. *(a)*

§. V.

Occurrunt quoque, teſte laudato GRIMMIO *(b)*, multæ inter arbores camphoriferas, hoc concreto reliquis ditiores, quæ ideo etiam

(*a*) Conf. Breynius in Miſc. N. C. G. ann. 4. obſ. 130. it. Kæmpf. l. c. p. 272. Neumann. in Lect. de camphora. (*b*) L. c.

etiam camphoram *nativam*, *puram*, *candidam*, *virgineam*, absque ulla ſublimatione ac deſtillatione ſeparandam, largiuntur. Incolæ igitur, poſtquam externis quibusdam ſignis, quorum GRIMMIVS tamen nullam ſpecialem fecit mentionem, cognoverunt, arborem camphora divitem eſſe, omnibus eam foliis, nec minus cortice ac ligno externo, uſque ad medullam, ſpoliant, et camphoram ex medulla fiſſa, in qua hinc inde, ſub forma ſalis coagulati, tenuis, cryſtallini, foliati, latet, eximunt: Quæ meſſis tamen non adeo larga deprehenditur, dum magnæ arbores unam duntaxat libram, vel libram unam cum dimidia, libras duas, et ad ſummum tres libras foenerantur.

§. VI.

Ultima hæc camphoræ ſpecies nulla depuratione, nulla nova ſublimatione indiget, rudis vero ſeu cruda ordinaria, quæ methodo antea deſcripta ſeparatur, et impuritatibus adhuc remixta eſt, denuo ſublimari debet, ut formam et proprietates, quibus camphora Officinarum inſtructa cernitur, adquirat. Olim hanc ſublimationem depuratoriam, quam Indi ignorant, quamque Europæi vulgo *Refinationem* vocant, Veneti ſuſcipiebant, noſtra vero ætate illa ipſa optime, ac fere unice Amſtelodami a nonnullis peragitur, quæ nondum tamen, cum additamenta et

 præci-

præcipuas encheireſes ſtudioſe celent, ſatis innotuit. *(a)*. Quicquid interea ſit, peracta

(*a*) Nonnulli ſequentem procedendi methodum veram, vel eidem tamen valde analogam eſſe, opinantur. Adornatur hoc modo: Primo camphoram crudam, groſſiuſcule contuſam, et per cribrum, ampiioribus inſtructum foraminibus, trajectam, ab inhærentibus quisquiliis craſſioribus purgant: Deinde duas circiter libras, aut duas cum dimidia in phiolam, fundo æquali, ventre ampliſſimo, aſt ſimul humili, et vix quatuor digitos alto, nec non collo anguſto, et aliquot pollicum transverſalium longo præditam, immittunt, eademque in arenæ balneo, ad aliquot pariter pollicum profunditatem, collocata, tantum ignis gradum adhibent, ut camphora aquæ inſtar fluat, et in hoc gradu tamdiu relinquitur, donec humidum ſuum per vitrum apertum penitus exhalaverit. Ne dicta autem portio aquea, ſenſim adſcendens, poſt aliquam refrigerationem denuo relabatur, et vitri rupturam efficiat, nec ſublimata quoque camphora colli lateribus adponatur, ſed liqueſcendo rurſus ad maſſam redeat, usque dum humiditas penitus conſumta ſit, pannum laneum triplicatum vitri collo usque ad vitri medietatem, relicta tamen vitri apertura, circumponunt, ut collum fortius incaleſcat, et calor intenſior halituum adpoſitionem impediat. Verum, quum plurimæ partes camphoræ reſolutæ hac ratione per vitrum apertum abituræ eſſent in auras, cucullo conico, ex charta craſſiori parato, et phiolæ impoſito, diſſipationem earum impediunt, eodemque particulas ſenſim evectas, et ſub florum forma chartæ adhærentes, excipiunt. Peractis primis hiſce laboribus, et phlegmate prorſum expulſo, ignis ſuc-

cta ac rite adornata hac ſublimatione, *Camphora depurata* ſeu *Camphora Officinarum* reſultat, quæ ſingulare ſiſtit *concretum vegetabile, ſiccum, candidum, ſplendens, cryſtallinum, volatile, inflammabile, odore fragrantiſſimo, et ſapore acri, urente, ac paullulum amaricante præditum.*

ceſſive iterum minuitur, cucullus pyramidalis, cum prius adplicato panno craſſiori, auffertur, et pannus rarior, foraminibus inſtructus, loco ablati circumponitur, ut camphora, in ſublime evecta, vitro, paullulum hac ratione ac ſenſim refrigerato, ſeſe adponat, et in unam quoque, eamque ſolidam et pellucidam maſſam, juſto ſcilicet admoto ignis gradu, colliqueſcat. Quo liberior præterea ſub novo hoc labore ac vera camphoræ ſublimatione aeris acceſſus, nimiaque partium volatilium exhalatio præcaveantur, cucullus chartaceus amplior ita vitro imponitur, ut illud ad arenam uſque contegat, et ſingulis hiſce rite adornatis, ignis tamdiu ſubſternitur, ac ſenſim augetur, donec tota camphoræ moles ſublimata, et in placentam compactam et candidam colliquefacta ſit. etc. Sic prolixa quidem depuratoriæ ſublimationis camphoræ deſcriptio ſeſe habet, dubitant tamen multi, et ego pariter vix credere poſſum, illam tam completam eſſe, ut nihil amplius circa eandem deficiat. Probabile præterea videtur, operarios camphoræ ſublimandæ aliquid, quod partium mobiliſſimarum diſſipationem nonnihil prohibeat, addere, et in principio quoque peculiares encheireſes, quas ſtudioſe occultant, obſervare.

§. VII.

Memoratæ camphoræ depuratæ proprietates, quarum nonnullæ, v. g. ſiccitas, nitor candidus, forma cryſtallina, odor ac ſapor ſenſus manifeſte incurrunt, nonnullæ autem, volatilitas nempe et ſulphurea indoles ex odore fragrantiſſimo, nec minus e plenaria, quanquam paullatina et inviſibili, reſolutione halituoſa, promta ſolutione in ſpiritibus ardentibus, et promta pariter atque totali, ſi accenditur, deflagratione clare cognoſcuntur, tam ſingulares, inſtituta ſcilicet mutua omnium relatione ac correlatione, deprehenduntur, ut chemicorum plerique hactenus ignoraverint, cui corporum generi camphora recte adnumeranda eſſet, et ideo tantus etiam apud ſcriptores chymico-medicos circa naturam ejus, ac vera principia conſtitutiva reperitur diſſenſus, ut numeroſæ ſucceſſive innotuerint opiniones, quarum plurimæ tamen vero parum conſentaneæ, nonnullæ etiam prorſus ridiculæ exiſtunt. Alii quippe illam *ſal volatile oleoſum*, alii *oleum coagulatum*, et alii denique, qui longius, quam reliqui, a vero aberrant, *corpus gummeo-reſinoſum*, immo, *gummoſum*, *ſuccum inſpiſſatum* etc. vocare conſueverunt, licet pleræque camphoræ depuratæ proprietates a proprietatibus, quibus ſalia volatilia oleoſa, olea coagulata, reſinæ, gummi-reſinæ, gummi, et ſucci inſpiſſati inſtru-

inſtructa ſunt, plane diſtinctæ invenian-tur. (*a*)

§. VIII.

(*a*) „Camphora, NEVMANNVS *in Miſcell. Societ.* „*Reg. Berol. Contin. II. p.* 72. *ſcribit,* 1) Reſina di-„ci nequit, quia (quod etiam Dom. Prof. Hoffman-„nus adnotavit) a) omnes reſinæ, poſt combu-„ſtionem, cineres vel alius terrei aliquid relin-„quunt, camphora e contra plane nihil, ſed tota „deflagrat, et in auras avolat; b) nullæ reſinæ in „vaſe clauſo penitus et in totum elevantur ab „igne ſeu ſublimantur, quod tamen cum campho-„ra ſuccedit; c) reſinæ ubi deſtillantur, phlegma „præbent, et oleum, partim etiam ſpiritum ſic „dictum, camphora vero horum nihil; d) nulla „plane reſina eſt, quæ ad inſtar camphoræ in ſpi-„ritu nitri ſolvi queat; nec ulla datur, quæ æque „cito, et in tanta copia in ſpiritu vini colliqueſcat, „neque f) talis, quæ in aqua calida, Camphoræ „inſtar, avolet. 2) Multo minus Camphora ſal „volatile dici poteſt, quia in aqua non ſolvitur, „nec cum aqua intime, quin videri poſſit, miſce-„tur, quam tamen ſolutionem inviſibilem cuncta „ſalia admittere debent neceſſario, uti ſupra jam „commemoratum eſt. 3) Quamuis autem Cam-„phora oleoſum mixtum, vel ex oleo condenſa-„tum corpus ſit, ideo tamen ſimpliciter oleum „vocari nequit, æque ac alia mixta ſolida oleo „prægnantia, ſiquidem olei nomen liquidis præ-„cipue vel ad ſummum tenuiter unguinoſis, mi-„nime vero ſolidis et ſiccis ſubjectis, tribuitur, et „convenit, neque ullum oleum in ſicca ſubſtan-„tia, ceu Camphora, ſublimari poteſt. 4) Succi „nomen Camphoræ non convenit, quia ſucci „proprie dicti mixtionem, a) vel gummoſam, „quæ in aqua facile totaliter liqueſcit, b) vel

§. VIII.

Propius, me ſentiente, cum allegato NEVMANNO ad veritatis tramitem accedunt, et ſententiam, ratione magis et chymica experientia fundatam, tuentur, qui camphoram novum omnino, ſingulare atque genericum, adeoque a prædictis plane diſtinctum, concretum *terreo-inflammabile* adpellant, idemque ex *mera terra ſubtiliori*, et *tenerrima ſubſtantia inflammabili* ſive *phlogiſta*, oleo

„gummi-reſinoſam, quæ partim in aquoſo, partim in oleoſo, inflammabili, ſpirituoſo, et ſimili ſolvuntur, c) vel reſinoſam obtinuerunt, qui poſteriores reſinæ proprie dicuntur, de quibus jam ſub numero 1. dictum eſt, quarum proprietatum nulla Camphoræ convenit. Nam, ſi omnia ea, quæ ex arboribus aliisque Vegetabilibus partim ſponte proveniunt, vel a natura et ſole provocantur, partim etiam per artem parantur, quamvis autem in tota planta ejusque ſucco, et partibus aliis diſperſa et commixta fuerint, ſuccos vocare quit vellet, quantam non confuſionem ineptam, et conceptu impoſſibilem pareret in deſcribendis rerum eſſentiis? ſic enim omnis aquæ, ſucci, gummi, olei, balſami, reſinæ, ſimiliumque diverſitas periret, verbaque hæc diſtinctiva nullius plane uſus forent. 5) Camphoram etiam gummi vel bitumen non eſſe, ex prioribus jam ſatis patet, quicquid enim gummi vocatur, penitus in aqua colliqueſcit, ſicuti bitumina maximam partem in ea ſolvuntur, ambo vero ſublimationi refragantur, quam Camphora tamen admittit. Cum igitur nihil in orbe terrarum cognitum ſit, quod cum camphora com-

oleo longe ſimpliciori, interveniente tamen unione firmiſſima, compoſitum eſſe, contendunt. De terræ enim et tenerioris ſubſtantiæ inflammabilis præſentia haud quemquam dubitaturum eſſe credo, ſi camphoram accenſam flammam lucidam alere, et parum fuliginis atræ ſub deflagratione evolvere conſpexerit. Luculentius tamen inhærentis principii inflammabilis ſimplicitatem putatitia camphoræ in ſpiritu nitri concentratiori ſolutio, et inde reſultans oleum verum probant. Putatitiam voco hanc camphoræ ſolutionem in oleum: Nulla quippe ſolutio vulgaris hic contingit, multo minus fuſio, uti aliqui opinantur, ſed nova plane ſyncriſis. Nam terra ſubtilis camphoræ et tenerrima ejusdem ſubſtantia phlogiſta cum acidis quibusdam et pauciſſimis phlegmaticis aquæ fortis ſeu ſpiritus nitri partibus connubium ſube-

„parari poſſit, æquum etiam eſt, ut ſuo quoque „nomine ſingulari et ſpecifico inſigniatur, per „quod, ſi res quædam dicatur Camphora, ſtatim „intelligatur, eam neque oleum, neque gummi, „ſal volatile, reſinam, ſpiritum, neque bitumen, „ſed plane aliam, et a dictis his diverſam eſſe „materiam, mixtum nempe ex ingredientibus, „camphoram veram conſtituentibus, concinna„tum, indolis ſpecialiſſimæ. Unde quæſtio, an „ſal, vel gummi, reſina, vel ſuccus ſit, æque in„conveniens; et ſupervacanea judicabitur, ac ſi „quis quærere velit, an ſal ſit oleum, vel an gum„mi ſit camphora? etc.

ſubeunt, ac novum hac ratione et verum oleum unione ſua demum producunt, quod paullulum tamen adhuc cauſticum eſt, et injectam argenti limaturam nonnihil aggreditur, nec adeo firma pariter partium conſtituentium cohæſione gaudet, ſed, aquæ frigidæ infuſum, denuo diſſolvitur, ita ut camphora protinus ad priſtinam formam redeat, et aquæ innatet: Quorum phoenomenorum cauſſa partim tumultuariæ ac rudiori compoſitioni, partim etiam nimis copioſæ acidi juſto gravioris ad-et immixtioni tribuenda videtur. Natura quippe, olea in plantis producens, particulas conſtitutivas tenerrimas ſenſim ſenſimque ſub optima proportione miſcet ac congregat, et ideo unionem procurat arctiſſimam; quæ ſingula autem artifex chymicus non ſemper obſervat, nec unquam etiam tam exacte obſervare poterit.

§. IX.

Singularis præterea ac novi prorſus concreti generici nomine camphoram dignam eſſe, certo pariter certius eſt, quoniam ſimilis naturæ ſubſtantia, quanquam paullo impurior, et ſpecifico plerumque plantæ oleo plus minusve imbuta, e pluribus vegetabilibus, tum intuitu generis, tum ſpeciei diſtinctis, adhibitis tamen decentibus encheiriſibus, educi poteſt, ac ſeparari, adeoque ſpecies quoque variæ, ſub uno comprehendendæ genere,

genere, reperiuntur. Nam, teſtantibus IOHANNE OTTONE HELBIGIO (*a*), GRIMMIO (*b*), et CLEYERO (*c*), qui per annos complures in India orientali vixerunt, et ipſi artis chemicæ theoretico-practicæ ſatis gnari fuerunt, concretum, camphoræ vulgaris æmulum, e *recentibus galangæ*, *Zedoariæ*, *Zingiberis ſylveſtris*, *caſſiæ ligneæ* ac *cinnamomeæ radicibus*, immo, ex *ipſa caſſia lignea*, deſtillando elici ac ſeparari poteſt. Similem quoque ſubſtantiam, uti NEVMANNVS (*d*) partim expertus, partim ex odore ſuſpicatus eſt, variæ adhuc aliæ plantæ, tam indigenæ, quam exoticæ, forti odore aromatico et balſamico, camphorato tamen plus minusve remixto, præditæ, maxime autem *ſalvia hortenſis*, *majorana*, *thymus*, *roſmarinus*, *tanacetum*, *mentha Zeilanica*, nec minus *abrotanum*, *millefolium*, ac *ſchoenanthum Zeilanicum*, itemque *juniperus*, *cardamomum* etc., continent, et chymico induſtrio ac debitarum encheiriſium gnaro, revera, exigua licet quantitate, largiuntur. Nec ulla denique ratione dubitandum eſt, corpuſcula illa ſaliniformia, quæ in oleis quibusdam aromaticis, in vaſis probe clauſis diu adſervatis, v. g. oleo cinnamomi, terebinthinæ, menthæ,

(*a*) In Miſc. N. C. G. ann. 9. et 10. obſ. 196.
(*b*) ibid. Dec. II. ann. 3. obſ. 208. et 209.
(*c*) ibid. Dec. II. ann. 4. obſ. 6.
(*d*) L. c.

thæ, matricariæ, majoranæ etc., SLARE *(a)*, GODOFREDO *(b)*, MENTZELIO *(c)*, CRÜGERO ac SCHRÖCKIO *(d)* referentibus, paullatim concreverunt, indole ſua camphoræ valde analoga fuiſſe, etiamſi, calore accedente, ex vitris apertis, ob partes unguinoſas, quibus implicita hærebant, tam facile in auras evolare nequiverint.

§. X.

Cognitis veris camphoræ principiis conſtitutivis, et præcipuis pariter proprietatibus, operatio quoque ejus, quam in corpore humano vivo exercet, cognitu facilior erit, eamque ita comparatam eſſe credo: Quando camphora pura, ſub ſicci pulveris forma, adſumitur, minime quidem a liquore gaſtrico, qui nimium aquoſus eſt, ac nullam eapropter in camphoræ moleculas ingreſſum invenit, in ventriculo ſolvitur, facillime nihilominus, et intra breve tempus, ob laxiorem molecularum minimarum cohæſionem, et inſignem plane ac mirabilem teneritudinem atque volatilitatem, blando calore in effluvia reſolvitur, quæ non tantum in ipſius ventriculi tunicas vividam quandam impreſſionem,

(*a*) In Tranſact. Angl. Comp. T. III. p. 362.

(*b*) Memoir. de l Acad. Royal. des Sciences ann. 1721.

(*c*) (*d*) In Miſc. N. C. G. Dec. II. ann. 5. obſ. 38.

ſionem, leniſſimi ardoris nomine forſan inſigniendam, faciunt, ſed rudi etiam materiæ perſpirabili, ſæpius in ventriculi, et inteſtinorum cavo præſenti, mixta, eam in motum celeriorem redigunt; unde aliter fieri nequit, quin hac actione motus periſtalticus, eodemque mediante cruoris per vaſa ventriculi arterioſa ac venoſa progreſſus citatior evadat, atque vegetior, et flatuum quoque diſcuſſio atque expulſio promoveatur.

§. XI.

Moras tamen non adeo diuturnas memorata camphoræ reſolutæ effluvia mobiliſſima atque tenerrima in ventriculo et inteſtinis nectunt, ſed paullatina inhalatione partim per ordinaria vaſa lactea, partim etiam, et quidem quoad portionem maximam, per numeroſiſſima vaſcula bibula venoſæ originis ad ſanguinem, et reliquos humores circulantes transferuntur, eosdemque, quum intimiorem cum illis, ceu maximam partem aquoſis, miſcelam ſubire nequeant, inſigni celeritate, ſub halitus ſicciſſimi forma, et fulmineæ propemodum materiæ inſtar, tranſeunt, ſolida nervoſo-muſculoſo-membranacea elaſtica *(a)* leni, quem imprimunt, ardore

(a) Vaſa arterioſa, quæ tranſeuntium medicamentorum ſubtilium ac mobilium actionem] præcipue, ob conicam ſuam figuram, ſuſtnere coguntur, ex quatuor tunicis contexta ſunt; qua-

dore ad vegetiores contractiones irritant, ſphærulas cruoris, aliorumque liquidorum moleculas ſecum blande in motum rapiunt velociorem, craſſa et viſcida, citra impetum majorem, diſſolvunt, et ſic, meatuum capillarium ac pororum cutis obſtructionibus reſeratis, meandi ac remeandi libertatem humoribus reddunt, adeoque largiorem quoque exſpirationem periphericam, qua ipſa tandem e corpore rurſus excluduntur, provocant: Unde rationem quoque ſatis pateſcere opinor, cur camphora, in ſubſtantia exhibita, nullum ordinario caloris, nullum notabile pulſus augmentum, ſed ſenſibile potius refrigerium, ſanis æque, atque ægrotis corporibus, adferat.

§. XII.

Ex generali operandi modo non tantum vires ſpeciales facile deduci, ſed morbi pariter

rum prima et extima vaſculoſo-celluloſa, ſecunda tendinea, tertia muſculoſa, et quarta denique ſive intima nervea dicitur. Binæ poſteriores hoc loco maxime conſiderationem merentur: Corpuſcula enim ſeu moleculæ pharmacorum ſub tranſitu ſuo, præſertim per vaſcula hujus cenſus minima, mediante preſſione, vel punctura, vel ardore, vel actione alia, valde ſenſibilem tunicam nerveam ad majorem tenſionem ac conſtrictionem, vegetioremque motum oſcillatorium impellunt, adeoque efficiunt, ut ſimul quoque arctiſſime connexa muſculoſa in fortiores contractiones ruat, et fluida majori vi atque celeritate protrudat.

tur, quibus camphora efficacius medetur, determinari poterunt. Ad poſteriores nimirum primo redeunt *febres exanthematicæ* cujuscunque generis, peſtilentiales nempe, petechiales, purpuratæ, varioloſæ etc., quæ ordinario, præſertim ſi gravioribus ſtipatæ accedunt ſymptomatibus, copioſæ, craſſæ, viſcidæ, acri, plus minusve corruptæ ac putridæ, materiæ, per univerſam humorum, præſertim cruoris, maſſam diſſeminatæ, et plerisque tubulis capillaribus impactæ, originem debent, quam ſola perſæpe natura, ob craſſitiem et tenacitatem, aut pertinacem canaliculorum minimorum obſtructionem, tempeſtive ad habitum cutaneum transferre atque expellere nequit. In hiſce igitur morbis multum omnino auxilii a camphoræ uſu exſpectandum eſt, dum concretum hoc, tenerrime reſolutum, et prævia inhalatione diſtributum, canales ac poros obſtructos reſerat, materiam peccantem reſolvit, adeoque neceſſariam exanthematum expulſionem adjuvat, ac cito promovet. Quibus tamen adjiciendum eſt, camphoram in febribus memoratis minoris deprehendi efficaciæ, et interdum nullum plane locum invenire, quando gravior nimirum iracundia præceſſit, et largius proinde bilioſa materia humoribus mixta reperitur. Non protinus quoque eandem porrigere licet, ſi ægri plethorici ſint, ſed venæſectio prius adminiſtranda, et

cruoris copia paullulum minuenda erit, ut moleculæ ejusdem mobiliſſimæ citius poſtea atque liberius meatus majores minoresve tranſire poſſint. Non adeo proficuus denique uſus illius primis ſtatim morbi diebus deprehenditur, ſed demum circa diem tertium aut quartum, quo natura materiam præparatam, cujus reſolutio aliis interea medicamentis promovenda eſt, excludere et ad habitum cutaneum transferre intendit, illam ipſam exhibere decet.

§. XIII.

Efficaciam, niſi majorem, certiſſime tamen parem, camphora monſtrat in *purpura chronica ſcorbutica*, quæ absque febre accedit, vel leviorem duntaxat, catarrhali benignæ ſimillimam, adducit comitem, et ſingularem humorum dyſcraſiam ſalſo-urinoſo-mucidam, putredinis charactere magis minusve ſignatam, cauſſam agnoſcit præcipuam. Maculæ, quæ erumpunt, et pectus, dorſum, collum, et maxime muſculoſas artuum partes occupant, latæ ſunt, groſſum nonnunquam magnitudine æquantes, ac valde pruriginoſæ, præſertim, quando ſerum acre emittere incipiunt. Facile iterum recedunt, et materia, rurſus ad interiora reducta, et poſtea hinc inde ſubſiſtens, multiplici corpus tortura adficit, et omnis generis ſymptomata, quæ crebro primarios, graveſque morbos

bos æmulantur, provocat, quorum pleraque tamen, immo ſingula, denuo remittere conſueverunt, quamprimum maculæ, puſtulæ, aut tubercula ſponte iterum prodeunt, aut congruis medicamentis expelluntur. Quæ expulſio autem cum medico perſæpe multum faceſſat negotii, heroicis opus eſt remediis, quorum ſane præcipuum camphora eſſe videtur, ſi, præmiſſis tamen ad primas vias repurgandas blandis laxantibus, nitro, æque, ac in febribus exanthematicis acutis, jungitur. Hoc enim blanda, quam præſtat, reſolutione, viam tranſituris camphoræ moleculis liberiorem parare, et violentiores partium colliſiones, quibus alias æſtus quidam præternaturalis, aut juſto tamen auctior facile ſuccedit, præcavere ac prohibere valet.

§. XIV.

Præter febres exanthematicas et purpuram chronicam ſcorbuticam, in cenſum ægritudinum, quibus camphora, modice ac tempeſtive uſurpata, egregiam adfert medelam, etiam *adfectus inflammatorii*, *convulſivi* et *venerei* veniunt. In tumoribus ſcilicet inflammatoriis, qui vel mere ſanguinei ſunt, vel ſanguineo-ſeroſi, et nunc ideo a ſolo cruore, in minoribus arteriolis ſubſiſtente ac firmiter impacto, nunc a ſanguine, in vaſcula ſeroſa, ſeu canaliculos arterioſos ſecundi generis vi propulſo, ibidemque cum lym-

pha acriori ac viſcidiori mixto, producuntur, minutiſſimæ ac mobiliſſimæ camphoræ reſolutæ moleculæ maſſam inhærentem et obſtruentem blande diſſolvunt, diſſolutione hac canaliculos obſtructos reſerant, humoribus tranſitum liberiorem reddunt, et ſic ipſam inflammationem tollunt. Sin ſubinde quoque impacta materia fixius hæreat, adeo, ut plane ad circulum reduci nequeat, camphora ſuppurationem, tunc temporis neceſſariam, promovet, et hac etiam ratione deſideratum fert auxilium. Proficua inprimis camphora reperitur, et vires monſtrat eminentiores in refractariis inflammationibus venereis, aliisque contumacibus, ad gangrænam et ſphaceloſas corruptiones proclivibus, interne non minus, quam externe uſurpata; quoniam humores, in prioribus adfectibus copioſa atque tenaci pituita acri et corrupta remixtos, in poſterioribus autem cruorem, omnibus, vel tamen plerisque partis gangrænoſæ vaſculis firmiter impactum, potentiſſime diſſoluit, adeoque imminentem ſphacelationem impedit.

§. XV.

In eryſipelaceis inflammationibus multi camphoræ uſum internum, quem alioquin in vulgaribus ſanguineis lubentiſſime admittunt, plane damnandum eſſe opinantur: Attamen in hiſce pariter, me ſentiente, penitus

tus

tus improbari ac diſſuaderi nequit, dummodo practicus ad ſpecificam inflammationis cauſſam materialem debite reſpiciat. Nam quoties fervida materia biliosa, poſt prægræſſam iracundiam fortiorem, largius ad ſanguinem delata, eidemque intimius mixta eſt, et inflammatoriæ cruoris ſtaſi ſtimulo ſuo occaſionem præbet, camphoræ uſus non adeo tutus videtur; ſin ſanguinis vero ſpiſſitudo, vel levior etiam canaliculorum criſpatura et conſtrictio, ab aliis cauſſis provocata, eam producant, non video, qualem noxam camphora inferre poſſit, eamque potius potenter ac ſalutariter materiam ſubſiſtentem diſcuſſuram eſſe, credo. Quid citius enim in vaſa arterioſa ſecundi generis, quæ in hujusmodi inflammationibus obſtructionem patiuntur, penetrare poteſt, quam camphora, in tenerrimas moleculas reſoluta? Quid potentius etiam, quam camphora, partium cohæſionem præternaturalem in fluidis ſtagnantibus tollere, et reſolutionem eorundem atque diſcuſſionem halituoſam, qua harum inflammationum curatio ex parte nititur, procurare ac promovere valet? præſertim, quando venæſectio, plethora aut congeſtione præſente, prius adminiſtrata fuit, et diluentia temperata ſubjunguntur et interponuntur.

§. XVI.

Ratio denique, cur camphora, interne adhibita, in ſpaſmis quoque, doloribus ſpaſmodicis, et adfectibus convulſivis heroicum nonnunquam remedium exiſtat, ex contemplatione originis ac genii eorum facillime rerum medicarum gnaris patebit. Frequentiſſime nimirum convulſiones, nec minus ſpaſmi mitiores et dolores ſpaſmodici materiæ cuidam heterogeneæ, in tubulis ſanguiferis aut lymphaticis ſubſiſtenti, ac magis minusve impactæ, nunc copioſæ ac viſcidæ, adeoque ob molem prementi ac diſtendenti, nunc parciori acri, continuo vellicanti, natales debent: Hinc aliter omnino fieri nequit, quin ſolida nervoſo-muſculoſo-membranacea, plus minusve irritata, in contractiones ſolito fortiores, ſtimulis tamen, intuitu vehementiæ, proportionatas, ruant, et hiſce mediantibus materiam inhærentem, ſubſiſtentem, infixam, aut ſaltem ſtagnantem, denuo excutere atque propellere, adeoque circuli libertatem reſtituere nitantur. Neceſſario igitur ac ſalutari huic negotio promovendo cum camphora, ceu pharmacum reſolvens, diſcutiens et aperitivum excellentiſſimum, exiſtat aptiſſima, in propatulo eſt, cur, tollens cauſſam turbarum, ipſas etiam turbas, ſpasmos nempe atque convulſiones tollat, et naturæ validas in hoc paſſu manus auxiliatrices porrigat. Reſoluta quippe, et ad

ad circulum redeunte materia, craſſa, copioſa, impura, ſubſiſtente, obſtruente, ac premente, excuſſis etiam particulis acutis, rigidis, vellicantibus, reſeratis meatibus, reſtituta circuli libertate, et recrementis hinc inde per organa excretoria, præſertim per cribrum cutaneum, ejectis, violenta ſolidorum contractio illico ceſſat, et dolores atque convulſiones corpus adficere deſinunt.

§. XVII.

Hactenus recenſita, etiamſi veritate nitantur, ſine limitatione tamen neutiquam accipienda ſunt: Occurrunt quippe caſus hujus commatis, in quibus cum uſu camphoræ interno cautius mercandum, quin penitus ab eodem abſtinendum erit. Subinde videlicet, et ſatis quoque frequenter, allegati adfectus ſpasmodico-dolorifici et convulſivi plethoræ eminentiori, congeſtioni aut orgaſticæ commotioni cruoris, ſcoriis bilioſis rarefactis largius referti, originem debent; quibus præſentibus cauſſis camphora non adeo proficua, immo interdum plane noxia, deprehenditur, dum ſanguinis ebullitionem atque fervorem, nec non congeſtiones, commovendo, et bilioſas inprimis moleculas ulterius expandendo, magis augere, quam minuere videtur. Supra igitur memorata præcipue de affectibus dolorificis, ſpaſmodicis, atque convulſivis valent, ex viſcidi cruo-

ris aut lymphæ mucidæ et acris ſtagnatione, ſtaſi, et pertinaci ad-et inhæſione primario reſultantibus; quæ humorum vitia camphora valida reſolutione ac promta diſcuſſione, ob inſignem, qua pollet, particularum ſubtilitatem ac mobilitatem, tollere valet.

§. XVIII.

Quamvis camphora in hactenus recenſitis ægritudinum ſpeciebus præcipue locum ſibi vindicet, ac vires exſerat eminentiores, nullo tamen modo dubitandum eſt, quin ea in incipientibus pariter tumoribus cachecticis, oedematoſis, atque plerisque tumoribus partium, præſertim glanduloſarum, frigidis, egregie profutura ſit. Quum illa enim ſanguinem craſſum ac viſcidum reſolvat, lympham mucidam attenuet, ſolida leniſſime ſtimulet, ſudorem pellat, et canalium minimorum obſtructiones reſeret, unusquisque protinus rarionem videt, cur ſolidorum vegetas contractiones, cum humorum puritate, et liberiori ac vividiori circulo, reſtituere, adeoque morbis memoratis mederi queat; præſertim, ſi purgantia et laxantia præmittantur, et ipſi quoque camphoræ alia adpropriata, v. g. ſalia media etc., maxime autem nitrum depuratum, ceu optimum, ordinarium, ac pene univerſale camphoræ additamentum, jungantur. Nitrum enim blanda reſolutione mobiliſſimis ac volatilibus camphoræ

phoræ moleculis, per minutiſſima vaſcula tranſituris, viam quaſi pandit, ut citius, ac citra ſenſibiliorem impetum, canaliculos penetrare, et fluida contenta ſpiſſiora promptius disjungere atque diſcutere poſſint.

§. XIX.

In adfectibus ſpasmodicis atque convulſivis, ſtrictura imprimis atque ſiccitate fibrarum inſigniori præſente, præter nitrum, perſæpe etiam ſperma ceti, oleum amygdalarum dulcium recentiſſime expreſſum, et ſimilia cum illa miſcentur, ut debita relaxatio eo citius contingat, ac juſta filamentorum flexilitas certius reducatur: Tam univerſalia tamen, quam nitrum, hæc neutiquam æſtimanda ſunt, nec tanta etiam bonitate gaudent, quoniam promtam camphoræ reſolutionem halituoſam viſcidis ſuis particulis quodammodo impediunt, et volatilium molecularum tranſitum per canaliculos magis retardant, quam promovent. Quod reliqua additamenta attinet, illa varii ſunt generis, et pro differenti atque ſpecifica morborum formali non minus, quam materiali cauſſa, nunc ex abſorbentium antacidorum, nunc ſalſorum incidentium, nunc diſcutientium balſamicorum etc. claſſe deſumuntur.

§. XX.

Nonnunquam etiam, præſertim in purpura chronica ſcorbutica, aliisque adfectibus

 chroni-

chronicis camphoræ exhibitioni laxantia et purgantia, uti antea pridem dictum, præmittere decet, ut primæ viæ a craſſioribus quisquiliis, quæ paullatina ſua translatione ad ſanguinem novum cauſſæ materiali fomitem ſuggerunt, et camphoræ quoque actionem remorantur, prius repurgentur: Immo, unicum duntaxat laxans atque purgans in morbis chronicis rariſſime ſufficit, ſed hujusmodi pharmacorum exhibitionem reiterare, et camphoræ uſui interponere conducit, ne nova impuritatum in prima culina collectio, quæ in morbis chronicis plerisque, ob labefactatum ventriculi robur, facillime contingit, ſubſequatur. Multum præterea intereſt, ut camphora debita forma et juſtà doſi exhibeatur: Optimam nimirum, quantum mihi experiri licuit, operationem exercet, quando ſub pulveris forma, et quidem in morbis acutis et exanthematicis doſi minori, quæ duo vel tria grana non facile excedere debet, in chronicis autem, præſertim valde frigidis atque pituitoſis paullo majori, nimirum a granis duobus ad grana tria, quatuor, quinque, exhibetur: Subinde tamen pilulis, electuariis atque bolis commode pariter addi poterit, etiamſi ſub tali forma paullo tardiorem et languidiorem operationem exerceat. Nonnulli etiam contuſam potiunculis aquoſis miſcent; verum, cum moleculæ ejus aquæ conſortium reſpuant, et maxima ex parte

parte ad ſuperficiem adſurgant, hoc modo non adeo apte propinatur. Externe ſacculos diſcutientes, unguenta, emplaſtra, et epithemata ſicca ingreditur.

CAPVT XXVIII.

DE MYRRHA.

§. I.

Myrrha genvina, a Dioscoride Σμύρνα vocata, eſt ſubſtantia reſinoſo-gummea, ex diverſæ magnitudinis glebis conſtans, quæ contactu pingues, nonnihil pellucidæ, fragiles, in ſaliva ſub manducatione quoad maximam partem ſolubilés, extrinſecus colore rubro-fuſco, vel fuſco-rubeſcente aut flaveſcente, intus tamen miculis plerumque aut ſtriis albicantibus ſemicircularibus, vel figuræ ſaltem irregularis, diſtincto, odore balſamico, multis tamen adverſo, et ſapore ſubacri, balſamico, amaro, paullulum nauſeoſo, præditæ inveniuntur.

§. II.

Optimam atque pinguiſſimam myrrhæ genüinæ portionem, quæ ſponte, absque prævia ſcilicet corticis inciſione, ex arbore fluit,

fluit, et in puriores atque pellucidas guttas aut glebulas condenſata reperitur, veteres rei medicæ ſcriptores *Stacten* ſive *ſtillatitiam*, alteram vero, quæ inciſo prius cortice promanabat, et palmeis tegetibus excepta, vel citra expreſſionem, vel ejus ope, addito oleo, in maſſas, glebulas, aut paſtillos a collectoribus redigebatur, *Plaſten* ſive *fictitiam* vocabant. Prior cæteroquin, *Stacte* nimirum *genuina*, a *ſpuria*, quæ ex plaſte ſive fictitia per expreſſionem fiebat, et pinguiſſima quaſi ac purior myrrhæ deſtillatio erat, probe diſtinguenda, parcioris ſemper proventus fuit; hinc noſtra etiam ætate parum nota, immo probabile eſt, eandem olim pariter ad gentes remotiores non adeo copioſe fuiſſe delatam, ſed incolas et populos vicinos illam maxima ex parte propriis duntaxat uſibus impendiſſe.

§. III.

Præter allegatas binas ſpecies genericas DIOSCORIDES multas adhuc alias recenſet, quarum denominationes partim a patriæ, ſoli natalis, qualitatis terræ, ætatis, atque culturæ arborum etc., partim ab indolis ac bonitatis diverſitate deſumtæ videntur: „Vocatur, *ſcribit (a)*, in myrrhæ genere „quædam *pediaſimos* i. e. campeſtris, pin„guis, et quæ expreſſa ſtacten dat: - - Quædam

(a) In Operib. p. m. 83.

„dam vero *gabirea*, omnium pinguiſſima, „pingui et feraci ſolo proveniens, quæ co- „pioſam ſtacten etiam reddit. Primum bo- „nitatis honorem habet *Troglodytica*, a re- „gione, in qua naſcitur, ſic appellata. Viret „hæc modice, translucida eſt, et mordaci „in guſtu eroſione ſentitur. Colligitur „myrrha etiam *colore candido*, numeratur- „que poſt Troglodyticam in myrrhæ cenſu „et honore, bdellii modo cum tractatur len- „teſcens, odore leniter viroſo, apricis lo- „cis naſcens. Eſt præterea, quæ *caucalis* ap- „pellatur, eorum modo quæ exoleverunt „areſcens, colore nigro, et velut ab igne „torrida: Omnium peſſima, quæ *ergaſime* „dicitur, ſqualore ſuo fragilis, nullo pingui „ſapore acri, gummi viribus et aſpectu re- „ferens. Improbatur etiam, quæ *minea* ap- „pellatur. etc.

§. IV.

Myrrha, quæ noſtra ætate a pharmacopoeis et ſeplaſiariis venditur, raro ſolitaria et perfecte pura occurrit, ſed ignobilibus plerumque, aut plane peregrinis fruſtulis ac glebis, natura prorſum ac viribus a myrrha genuina diſtinctis, remixta deprehenditur. Nam inter veræ myrrhæ glebulas utplurimum reperiuntur primo fruſtula, ſplendentia, dura, pallide flaveſcentis, aut ſuccinei coloris, quæ gummi Arabicum magis minusve

ve forma externa æmulantur, et odore æque, atque ſapore deſtituta ſunt. Deinde etiam, et quidem magna nonnunquam copia, obviæ ſunt glebæ, in magnas et elegantes guttas perſæpe concretæ, genuinæ nihilominus myrrhæ fruſtulis longe duriores, compactiores atque tenaciores, adeoque fractu difficiles: Minorem præterea pinguitudinem poſſident, et colore, inſtar picis, rubro-fuſco, aut fuſco-rubeſcente obſcuriori, odore magis nauſeoſo, et tam ingrata amaritie præditæ inveniuntur, ut absque vomendi conatu diu in ore detineri ac circumvolvi nequeant, etiamſi, ob valde reſinoſam earum indolem, parum a liquore ſalivali ſolvatur. Multum igitur intereſt, ut myrrha genuina ſeligatur, et a fruſtulis, maſſulisque ſpuriis probe repurgetur, quoniam veram et ſpuriam reſpectu naturæ ac virium medicarum maximum omnino diſcrimen intercedit. Nam prior longe gratior, longe temperatior eſt poſteriori, et longe præſtantiores etiam effectus in corpore humano edit. Pridem hoc cognovit prælaudatas DIOSCORIDES, et myrrham proinde *recentem*, *fragilem*, *non ponderoſam*, *undique ſibi concolorem*, *et quæ confracta candidas intus*, *humanorum unguium figura*, *per medium tranſeuntes diviſiones oſtendat*, *quæ minutis glebis ſit*, *et cum acrimonia amara et odorata*, eligere, *ponderoſam* contra, *picis co-*

lore

lore donatam, ceu uſibus medicis ineptam, rejicere jubet. *(a)*

§. V.

Colligitur hoc concretum reſinoſo-gummeum in *Ægypto*, *Arabia*, et *Æthiopia*, maxime autem in poſtremæ regionis provincia quadam, quæ ſub Ægypto ſita in mare rubrum ac ſinum Arabicum protenſa eſt, et a veteribus *Troglodytica* adpellata fuit; ubi ex trunco arboris ſpinoſæ humilioris, cujus completam deſcriptionem Botanici nobis nondum dederunt, vel ſponte, vel, quod fieri ſolet frequentius, inciſo prius cortice, exſtillat. DIOSCORIDES myrrhiferam hanc arborem ſpinæ Ægyptiacæ ſimilem eſſe, et lachrymam, poſt corticis inciſuram ſenſim promanantem, palmeis tegetibus excipi, vel nonnunquam etiam in arboris trunco concreſcere et indurari refert *(b)*. PAVLVS HERMANNVS ſpinoſam hanc plantam arboream, quæ, teſte PLINIO, raro quinque ulnarum altitudinem excedit, ab incolis *Bola* vocari, teſtatur *(c)*: SAMVEL DALE illam bacciferis arboribus adnumerat *(d)*, et POMETVS eandem foliis, ulmi foliis ſimillimis, donatam eſſe, tradit *(e)*; aſt

(a) L. c. *(b)* L. c.
(c) In Cynoſ. mat. med. p. 279.
(d) In Pharmacol. p. 434.
(e) In der Beſchreib. der Spецereyen und Materialien p. 381.

aſt horum nullus uberiorem communicavit deſcriptionem, ut ideo circa formam ejus, et creſcendi modum certi quidquam hac vice tradere haud liceat, cum mihi et medicorum plerisque illam propriis oculis luſtrare nunquam contigerit.

§. VI.

Conſtat hoc concretum ex *partibus ſpirituoſo-oleoſis eſſentialibus*, *gummoſis*, *reſinoſis*, et *paucis recrementitiis*. Nam myrrhæ puræ, electæ, et in pulverem cominutæ, libra una ſub deſtillatione humida ex veſica, teſtante B. FRID. HOFFMANNO (*a*), aquam transmittit albicantem, ſat ſuavi myrrhæ odore præditam, et cum ea ſimul oleum eſſentiale æthereum, quod, in multos globulos diviſum, partim aquæ innatat, partim fundum petit. Oleum hoc, vitro per aliquot dies in quiete relicto, ſeparatum, circiter drachmas duas, vel ſubinde etiam, recepta nimirum myrrha optimæ notæ, ac rite pariter adornata deſtillatione, tres propemodum drachmas pondere æquat. Myrrhæ cæteroquin odorem ſpargit, nec ingratum quoque ſaporem linguæ imprimit. Quando etiam portio aliqua myrrhæ integræ, optimæ pariter indolis, cum aqua ſimplici blandæ digeſtioni aliquamdiu committitur, maximam partem ſolvitur, et infuſum præbet ſapo-

(*a*) In Obſ. phyſico-chym. ſelect. p. 20.

ſaporis et odoris fortiter myrrhati, coloris quidem ante et poſt filtrationem obſcure flaveſcentis, nonnihil tamen in calore non minus, quam frigore turbidum; unde conjicere licet, particulas quasdam oleoſas, et fortaſſis etiam reſinoſas teneriores, ita gummoſis intertextas eſſe; ut ſimul ab aqua, quanquam ruditer ſaltem, diſſolvantur, et per filtri chartacei poros abripiantur. Infuſum hoc, ad juſtam extracti conſiſtentiam evaporando redactum, myrrham integram odore et ſapore refert, et flavo-ſubfuſco colore tinctum deprehenditur. Ex uncia myrrhæ una drachmas ſeptem et grana tria impetravi. Reſiduum ſiccatum, et ulteriori cum ſpiritu vini digeſtioni ſubjectum, adhuc ſcrupulos duos et grana quinque ſubſtantiæ reſinoſæ ſuppeditavit, ut ideo undecim duntaxat, vel duodecim grana materiæ recrementitiæ ſupereſſent. Portio mere reſinoſa obſcurioris erat coloris, et, præter ingratiorem amaritiem, tanta pollebat tenacitate, ut dentibus atque palato ſub volutatione in ore pertinaciter adhæreſceret, ac parum ſaltem in ſaliva difflueret.

§. VII.

Memorato explorandi modo poſtea reſpectu ordinis inverſo, et primum ſpiritu vini rectificatiſſimo æquali myrrhæ electæ ac genuinæ quantitati adfuſo, tinctura reſulta-

vit coloris ex flavo-rubicundi, ſaporis valde amari, odoris balſamici, atque ſpecifici myrrhati, quæ, peracta evaporatione, extracti duriuſculi unciam dimidiam relinquebat. Hoc interim, uti ex quantitate patet, non mere reſinoſum, ſed gummeo-reſinoſum erat, valde nihilominus tenax, et colore rubro-fuſco donatum. Quod reliquum erat, aqua ſimplici maximam partem ſolvebatur, ita, ut hac pariter vice vix duodecim grana relinquerentur. Unde conſtare arbitror, unam myrrhæ genuinæ unciam circiter ex drachmis ſeptem ſubſtantiæ gummoſæ, paucis tamen particulis reſinoſo-oleoſis tenerrimis remixtæ, ſcrupulis duobus et granis aliquot reſinoſæ craſſioris, oleo æthereo pariter imprægnatæ, et duodecim, vel etiam pluribus aut paucioribus, granis impuritatum indiſſolubilium compoſitam eſſe. Major enim, quam obtinui, extracti reſinoſi primi quantitas ab actione phlegmatis, quod in ſpiritu vini, methodo vulgari rectificato, adhuc notabili utplurimum copia hæret, et principii gummoſi partem ſolvit, deducenda erit. Negare cæteroquin nolo, indicatam principiorum quantitatem relativam pro differenti myrrhæ bonitate valde nonnunquam variare poſſe. Quo melior enim myrrha exiſtit, eo majorem ſubſtantiæ gummoſæ portionem continet, quo deterior ex adverſo, eo copioſiori etiam reſina inſtructa reperitur.

§. VIII.

§. VIII.

Demonſtrata myrrhæ genuinæ principia neque indole eadem, neque pari virtute pollent, ſed aliud alio, intuitu operationis ac virium medicarum, deprehenditur præſtantius. Subſtantia nimirum gummoſa, eſſentiali et aromatico oleo æthereo modice imbuta, quæ maximam myrrhæ genuinæ partem conſtituit, reliquis principiis, ſeorſim conſideratis, excellentior exiſtit, quoniam temperatiori natura gaudet, et perfecte ac ſatis promte a ſaliva et liquore gaſtrico ſolvitur, ut ideo facillime deinde ex prima culina ad ſanguinem et lympham filtrationis beneficio transferri poſſit. Hinc illa quoque operationem ſuam in toto exercet corpore, et, ob blandam atque balſamicam ſuam amaritiem, impuritates putridas atque corruptas quascunque, ſive illa in primis viis ſtabulentur, ſive per humorum circulantium maſſam inveniantur diſſeminatæ, ſive alio hæreant loco, emendat ac deſtruit *(a)*, et viſcidam

 bilem,

(*a*) Propter egregiam indolem balſamicam, ac valde potentem virtutem antiputredinoſam, myrrha, priſcis æque, ac recentioribus temporibus, magni ſemper æſtimata fuit. Antiquiſſimi Ægypti incolæ, qui præ gentibus reliquis defunctorum ſuorum corporibus diuturnitatem conciliare, eademque contra corruptionem putredinoſam, brevi alias ſupervenientem, defendere, atque per longam annorum ſeriem immunia præſtare nitebantur, balſamicum hoc concretum cadaverum pol-

bilem, quæ inertia ſua variis adfectibus chronicis anſam præbet, ad naturalem indolem ſaponaceam, ac juſtam amaritiem et fluiditatem reducit.

§. IX.

Magnam quidem hæ vires laudem merentur, majori nihilominus encomio digna eſt

linc̄turæ, ceu præſtantiorem pro magnatum ac divitum conditura materiam, frequentiſſime adhibebant, quod HERODOTVS, uberius de variis Ægyptiorum balſamandi modis agens, teſtatur: „Ante omnia, *inquit Hiſt. Lib.* 2. *p.* 190, incurvo „ferro cerebrum per nares educunt, ut quamcun„que partem educentes, ita locum ejus medica„mentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide „Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac „omnem alvum protrahunt; quam ubi repurga„runt, ac vino phoeniceo expleverunt, rurſus „aromatibus contuſis refarciunt; tum omenta „complentes contuſa myrrha pura, et caſſia, et „cæteris (excepto thure) aromatibus iterum con„ſuunt. &c. Nullum quoque dubium eſt quin virtus medica antiputredinoſa et travmatica, quæ *Mumiæ* veræ, antiquæ, et præſtantiori Ægyptiacæ a medicis, quibus horridum hoc medicamentum civitate pharmacevtica donare placuit, adſcribitur, potiſſimam partem a myrrha pendeat, tametſi minime negem, crocum pariter, aloen, caſſiam, cinnamomum, opobalſamum, reſinam cedrinam et ſimilia aromatica atque balſamica, e quibus veteres materiem, ad divitum corpora poſt obitum condienda neceſſariam, plerumque componere ſolebant, ad augendas vires memoratas multum conferre.

eſt excellentiſſima virtus *roborans*, cui blanda *commovens* atque *diſcutiens* juncta reperitur: Blanda, inquam; nullas enim ſingulares expanſiones humorum orgaſticas, etiam apud ſubjecta calidioris, bilioſi atque cholerici temperamenti, dummodo rite, tempeſtive, ac modice in uſum vocetur, producit; ſed nonnihil ſaltem circulum auget, atque vegetiorem reddit, et hac ratione quisquilias, corpori inimicas, per poros cutis ac vias urinarias, citra impetum, et juſto fortiorem exagitationem, expellit. Aliter longe in hoc paſſu comparatum eſſe deprehendimus cum ſubſtantia reſinoſa ſolitaria, vel gummoſæ tamen in myrrha ignobiliori aut ſpuria largius mixta. Hæc ipſa nimirum, adſumta in ſubſtantia, h. e., citra præviam ſolutionem in ſpiritu quodam inflammabili, a naturalibus oris atque ventriculi menſtruis ſalſo-aqueis nunquam perfecte diſſolvitur, ſed meatuum parietibus quoad portionem craſſiorem hinc inde adhæret tenacius, quoad ſubtiliorem vero partem quodammodo ſoluta, et ad ſanguinem delata, hunc et humores reliquos, ob indolem ſuam longe calidiorem, fortius exagitat, commovet, et expandit. Et hoc quoque cauſſa eſt, cur multi medicorum, naturam myrrhæ genuinæ ac ſpuriæ diſcrepantem ignorantes, promiſcue myrrham quamcunque inter medica-

menta valde calida retulerint, et etiamnum referant.

§. X.

Quod oleum denique eſſentiale atque æthereum attinet, illud, per ſe conſideratum, paullo calidioris quidem naturæ deprehenditur; veruntamen, cum non adeo larga quantitate in myrrha adſit, et hinc inde ſaltem partibus reſinoſo-gummeis parciſſime hæreat interſperſum, vehementes quoque effectus ab eo in corpore neutiquam metuendi ſunt. Hiſce accedit, quod oleum hoc, etiam poſt deſtillationem ſeorſim ſpectatum, indole tam ignea, quam pleraque olea aromatica et balſamica reliqua, minime polleat, ſed ſatis moderatam operationem, ſi ad aliquot ſaltem guttulas una vice exhibeatur, exerceat. B. FRID. HOFFMANNVS illud magnis extollit laudibus, et uſum ejus in variis morbis eximium eſſe teſtatur: „Tam delicati, *ſcri-* „*bit (a)*, hoc oleum ſaporis atque odoris „eſt, ut ſingulari modo reficere, et vires re- „creare videatur. Cum ſacharo comminuto „ſi aliquot guttulæ commiſcentur, elæoſa- „charum balſamicum et pectorale conficitur, „quod per ſe, vel cum infuſo veronicæ aut „Coffee ſumtum, in chronicis pectoris vi- „tiis, in tuſſi inveterata, aſthmate humido, „eximiam et magnam meretur laudem. Neque

(a) L. c. p. 20.

„que mediocrem ab eo efficaciam pròmitti-„mus, ſi ad arcendum putridum aerem, ubi „coelum nubilum eſt, et epidemico morbo „urbs conflictatur, mane cum juſculo, vel „infuſo ſuccoladæ, aut Coffee vnam vel al-„teram guttulam in uſum adhibeamus. etc.

§. XI.

Inde igitur, et ex prædictorum reliquis liquido conſtare opinor, ſubſtantiam myrrhæ gummoſam mitiſſimæ naturæ eſſe, reſinam autem, et nonnihil quoque oleum, calidiori indole gaudere, quæ valde, præſertim apud reſinam intenditur, quando myrrha cum ſpiritu vini dephlegmatiſſimo, qui, intacta gummoſa, oleoſo-reſinoſam ſubſtantiam ſoluit, eidemque unione ſua vires longe impetuoſiores conciliat, in tincturam redigitur. Conſentientem in hoc paſſu habeo B. STAHLIVM, qui idem de myrrha æque, ac ſimilibus reſinoſis et gummeo-reſinoſis aliis teſtatur, quando inquit *(a)*: „Notabile illud phoenomenon medicum eſt, „quod reſinæ hæ ſub eſſentiarum forma, id „eſt in ſpiritu vini adhuc valde tenuiter ex-„panſæ, communiter decuplo plus efficiant, „quam ſub tenaci illa priſtina propria aut ex-„tractiformi conſiſtentia, v. g. myrrha rubra „per os aſſumta, vel ad drachmæ pondus, „menſes ſimpliciter pellit; huic drachmæ ſi

 ſuper-

(a) In Fundamenti Chymiæ dogmaticæ et experim. p. 115.

„ſuperfundatur ſpiritus vini uncia una, tin„ctus auferatur, (ubi citra expreſſionem „drachmæ ſex vel ſeptem erunt), hujus ſic „dictæ eſſentiæ drachma dimidia vel ſcrupuli „duo tantundem efficient, quantum drach„ma una myrrhæ in ſubſtantia etc. Quare non perinde erit, an practicus myrrham ſub hac vel illa forma ægrotanti promiſcue exhibere velit, ſed talem ſemper eligere tenetur, ſub qua, pro ſubjectorum et ægritudinum diverſitate, mitiorem vel fortiorem, adeoque congruum ſemper, et adæquatum, effectum edere poſſit.

§. XII.

Præter virtutes generaliores, *roborantem* videlicet, *antiputredinoſam*, ac *leniter commoventem*, myrrha genuina egregias quoque vires *ſtomachales*, *carminativas*, *uterinas*, *bezoardicas*, *travmaticas*, et *pectorales* poſſidet. Stomachales et carminativæ tam excellentes reperiuntur, ut nullum pharmacum mihi notum eſſe ingenue fatear, quod myrrhæ palmam in hac parte præripiat. Labefactatum nempe tonum ventriculi et inteſtinorum efficaciſſime reducit, et fibris tunicarum flaccidis robur naturale reddit, adeoque vividiorem harum partium contractionem, ad alimenta debite reſolvenda, et in laudabilem chymum ac chylum convertenda, nec minus ad cruditates attenuandas, promovendas,

tandem-

tandemque, una cum flatibus adcumulatis atque retentis, per alvum expellendas ſumme neceſſariam, denuo ſuſcitat, immo, collectas impuritates viſcidas ac ſemiputridas abſtergit ac deſtruit, bilis inertiam corrigit, et ſic omnes liquores, digeſtionis et chylificationis negotio inſervientes, variis ac crebro præſentibus temperiei atque mixtionis vitiis liberat; Unde etiam in propatulo eſſe opinor, cur myrrha genuina, præſertim manducationis ope adſumta, ordinario vires exſerat præſtantiſſimas in dyſpepſia, apepſia, dyſorexia, anorexia, aliisque adpetitus et digeſtionis depravationibus, maxime iis, quæ poſt morbos relinquuntur, aut homines ſenilis ætatis, vel curis, ſtudiis profundioribus etc. valde debilitatos, corripiunt, nec minus in vomitu pituitoſo, adfectibus flatulentis, diarrhoea mucoſa chronica, lienteria, coeliaca, cachexia icteritia, febribus intermittentibus, præſertim rebelli quartana, ſimilibusque primæ culinæ morbis, qui tunicarum flacciditati, bili mucidæ, et collectis, cruditatibus pituitoſis ac ſemiputridis præcipuos natales debent.

§. XIII.

Virtute roborante ſtomachali non multo inferior deprehenditur virtus *uterina* et *emmenagoga*, major tamen cautio circa uſum ejus in paſſione hyſterica, ſterilitate, fluore

 albo,

albo, ſuppreſſione lochiorum, et catameniorum defectu aut obſtructione adhibenda, ac probe ante exhibitionem materialis æque ac formalis cauſſa evolvenda erit. In memoratis enim morbis tantummodo conducit, quando humorum viſcoſitati et ſolidorum flacciditati, quarum radix perſæpe in ventriculi imbecillitate ac prava digeſtione quærenda eſt, præcipuam originem debent: Sin ſpasmi autem, a ſanguine abundante, bilioſo, aut alia materia acri calidiori largius impraegnato, producti, formalem conſtituunt cauſſam, uſus ejusdem non adeo proficuus reperitur, niſi plethora prius venæſectione imminuta, et acrimonia, inprimis calida bilioſa, congruorum temperantium uſu emendata fuerit. Similis circumſpectio neceſſaria eſt, quoties myrrha, tanquam bezoardicum, in febribus uſurpanda eſt. In ardentibus enim, bilioſis, et inflammatoriis nullum prorſus locum invenit, nec ſatis tuto pariter febre ſynocha ſimplici laborantibus exhibetur, quoniam hæc ſemper abundantiam cruoris cauſſam agnoſcit præcipuam, illæ autem materiæ cujusdam fervidioris præſentiam ſupponunt, aut ingentem tamen æſtum cum magna partium ſolidarum ſiccitate atque ſtrictura comitem adducunt. Quod putridas autem atque malignas febres, peſtilentiales, petechiales, purpuratas, et varioloſas, itemque catarrhales, coryza inprimis, tuſſi humida, aut glandularum

dularum ſalivalium tumore ſtipatas; attinet, in illis perſæpe opem ferre conſvevit egregiam, quoniam partes putridas deſtruit, pituitoſo-viſcidas attenuat, et exanthematum expulſionem valide adjuvat. Non porrigenda tamen erit tinctura ejus ſpirituoſa, quæ nimium exagitans eſt, atque calida, ſed ſaltem aquoſa, aut aquoſo-vinoſa, quæ, moderata doſi oblata, ſatis blandam operationem exercet, et impuritatum exitum, citra notabile æſtus incrementum, promovet.

§. XIV.

Virtutes hactenus adductæ jam ſatis quidem myrrham genuinam nobilitant, longe majora nihilominus encomia vires *vulnerariæ* et *pectorales* eidem conciliant. Quis concretum enim novit medicum, myrrhæ genuinæ virtute travmatica, purificante, conſolidante in vulneribus atque ulceribus, tam internis, quam externis, immo, in ipſo ſphacelo, et oſſium carie, æquiparandum? Quis pharmacum ſimplex nominare audet, myrrhæ veræ in tuſſi inveterata, aliisque pectoris adfectibus chronicis, a partium ſolidarum, maxime autem ventriculi et pulmonum, debilitate, eamque protinus ſubſequente materiæ mucidæ continua geneſi, et largiſſimo in pectore decubitu oriundis, præferendum? Ego ſane novi nullum, et myrrham genuinam, niſi omnibus, certiſſime tamen pleris-

que

que, hactenus cognitis, anteponendam eſſe, arbitror. Non ſolum quippe ventriculum, nec ſolos pulmones confortat mirifice, ſed reliquis etiam viſceribus, ſuccorum alibilium præparationi, ſanguinisque ac lymphæ circulo et depurationi inſervientibus, robur conveniens reddit, ſanguinemque præterea, et cæteros humores purificat, blande attenuat, et imminentem fluidorum non minus, quam ſolidorum corruptionem avertit, vel jam præſentem, febre lenta tamen aut hectica nondum ſtipatam, efficaciſſime corrigit.

§. XV.

Virtuti vulnerariæ et pectorali tandem *anthelmintica* quoque ſubjungi meretur, quæ ſatis pariter inſignis exiſtit, et multiplici nititur fundamento: Ob balſamicam nempe indolem et amaritiem myrrha genuina non tantum ipſos lumbricos, aliosque vermes, in canale inteſtinorum hoſpitantes, enecat, ſed viſcido-putridam quoque ſaburram, quæ vermibus nidum præbet ac pabulum, deſtruit, inertiam bilis, quæ debite conſtituta præcipuum æſtimanda eſt vermium antidotum, corrigit, eidemque decentem amaritiem, ventriculo autem naturale robur reſtituendo, efficit, ut debita iterum alimentorum reſolutio, debitaque chyli laudabilis præparatio contingat, adeoque impedit, quominus novæ cruditates colligantur.

§ XVI

§. XVI.

Optime hoc concretum operatur, ſi in ſubſtantia adhibetur, præſertim, quando, diutius paullo in ore detentum, et penitus a ſaliva confluente creberrimæ volutationis ope diſſolutum, ſenſim ad ventriculum deſcendit. Saliva enim, ceu menſtruum ſalſo-aqueum temperatiſſimum, oleoſo-gummoſam ſubſtantiam, paucis atque tenerrimis miculis reſinoſis mixtam, ſolvit, portionem vero reſinoſam craſſiorem, et terream inertem relinquit intactam, quæ poſtea igitur, ſi poſt manducationem temporariam pauxillum ſuperſtes ſit, pro lubitu ejici poterit. Sub hac igitur forma et adſumendi modo omnibus, qui uſu ejus indigent, ſemper commendanda eſſet myrrha, niſi ingens amarities nonnullis nimium crearet faſtidium: Quare ad illud avertendum aut minuendum cum ſacharo miſceri, aut cum hoc et adpropriatis aliis ſtomachalibus, pectoralibus etc., v. g. croco, ſemine ſantonico, rhabarbaro, aniſo ſtellato etc. in morſulos, vel etiam cum ſyrupis in electuarium, cum aqua quadam deſtillata, aut vino bonæ notæ, terra foliata tartari modice imprægnatis, in tincturam, vel cum extractis et ſuccis inſpiſſatis in pillulas aut bolos redigi poteſt, dum ſub allegata forma varia blandam ſemper operationem exercet. Quod tincturam vero mere ſpirituoſam ac concentratam attinet, illa, ob cauſſas ſupra pridem

pridem (§. XI.) indicatas, longe calidior reperitur, et in certis ſolummodo caſibus, ubi exagitantia fortiora requiruntur, locum invenit. Doſin cæteroquin exactam, ſive per ſe adſumatur, ſive cum aliis mixta, generalius vix determinare licet, ſed unice medici rationalis judicio relinquitur, an in hoc vel illo caſu individuali major, an vero minor quantitas præſcribenda ſit.

* *

CAPVT XXIX.

DE GVMMI AMMONIACO, GALBANO, ET BDELLIO.

§. I.

GVMMI AMMONIACVM, ſive HAMMONIACVM, eſt concretum reſinoſo-gummeum, colore foris flaveſcente, intus albicante, odore ingrato balſamico, ſapore reſinoſo-ſubacri et amaricante nauſeoſo, præditum. Advehitur a mercatoribus ex *Ægypto*, et in *Africæ* deſertis, maxime autem in *tractu Lybiæ Cyrenaico*, et circa *delubrum Hammonis*, ex inciſa quadam *planta ferulacea*, cujus completam deſcriptionem Botanici hactenus nondum dederunt, exſtillare, ac ſenſim in glebulas puriores et impuriores, magnitudinis diverſæ, condenſari dicitur.

§. II.

§. II.

Ex *partibus reſinoſis ac gummeis*, quibus perſæpe tamen, præſertim in glebis ignobilioribus ſemina, anethinis non diſſimilia, arenæ granula, aliaque recrementa mixta inveniuntur, conſtat. Portio gummoſa reſinoſam quantitate ſuperat, virtute tamen poſteriori paullo inferior eſt. Solutio aquoſa prima turbida eſt, coloris albidi, ad ſubluteum nonnihil vergentis, ſaporis amaricantis, odoris debilis viroſi. Extractum inſpiſſatum colore ſordide ſubluteo-fuſco tinctum eſt, odore deſtituitur, et debilem duntaxat ſaporem reſinoſo-amaricantem obtinet. Ex uncia dimidia gummi puriſſimi drachmas tres et grana viginti tria impetravi. Infuſum ſpirituoſum primum pellucidum eſt, et colore flavo-rubeſcente, ſapore ingrato ſubacri atque amaricante, et fortiori, quam aquoſum, odore gaudet. Extractum cum infuſo convenit, præterquam, quod color ſaturatior, ex luteo nempe et rubeſcente ſubfuſcus, odor vero ac ſapor paullo debilior ſit. Uncia dimidia circiter drachmas tres dedit. Neque hoc, neque præcedens extractum perfecte purum eſt, ſed, ob arctiſſimæ ſubſtantiæ utriusque miſcelam, in ſolutionem aquoſam, quod maxime ex turbida ejus conſtitutione patet, partes quædam reſinoſæ, et in reſinoſam multæ moleculæ gummoſæ ſecedunt.

§. III.

§. III.

Ob leniſſimam virtutem *laxantem*, validamque *abſtergentem*, *attenuantem* et *aperitivam*, concretum hoc ſpecifice laudatur in obſtructione hepatis, lienis, meſenterii, uteri, renum et veſicæ, nec minus in cachexia icteritia, febribus intermittentibus, hydrope, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, tuſſi, aſthmate, aliisque mucidis pectoris adfectibus, gutta ſerena, fluore albo, gonorrhoea virulenta, et ulceribus partium internarum. Datur in infuſo, et ſub forma pillulari, a granis aliquot ad ſcrupulum unum, et ſubinde etiam in emulſionem cum aqua ſimplici aut quadam deſtillata redigitur. Externe egregium, uſitatiſſimumque emplaſtrorum emollientium, reſolventium, et ſuppurantium ingrediens conſtituit, immo emolliendis clavis pedum, aliisque excreſcentiis et tumoribus induratis per ſe, non ſine efficacia inſigni, adplicatur.

§. IV.

GALBANVM, Mutterharz, eſt concretum gummeo-reſinoſum, paullulum ſplendens, tenax, et ceræ inſtar ductile, colore nunc albido aut rufo-flaveſcente, nunc fuſco, aut ferrugineo-nigricante, ſapore reſinoſo-amaricante atque ſubacri, odore grato balſamico. Planta, quæ ſauciata hunc ſuccum fundit, in *India*, *Syria*, *Arabia*, in *Africæ*

pro-

promontorio Bonæ Spei creſcit, et a TOVRNEFORTIO *Oreoſelinum Africanum galbaniferum frutescens folio aniſi*, a C. BAVHINO *Ferula galbanifera*, et ab aliis *Ferula fruticoſa ſemper virens Syriaca* vocatur. Optimum cenſetur galbanum ex albido aut rufo flaveſcens, in lachrymas ſeu grumos puriores, ac paullulum ſplendentes concretum; rejiciendum vero ſordidum, quisquiliis variis refertum, et fuſco obſcuriori aut nigricante colore præditum.

§. V.

Partes gummoſas et *reſinoſas, eſſentiali oleo æthereo* prægnantes, in mixtione fovet, ita tamen, ut reſinoſæ copioſius, quam gummeæ, adſint. Oleum eſſentiale, cujus circiter drachmæ ſex in una galbani libra hærent, deſtillatione humida expellitur, et miſcela ſua utramque ſubſtantiam fixam præcipue activam efficit: Hinc, quo recentius hoc concretum eſt, eo majoribus etiam viribus inſtructum reperitur, et vice verſa. Notatu quoque dignum eſt, galbanum per ſe, igne aperto leniori, ex retorta deſtillatum, in principio ſingulare quoddam oleum coeruleum aut violaceum, æthereo eſſentiali adhuc ſatis natura analogum, reddere, eidemque tandem, igne nimirum aucto, copioſum empyrevmaticum, ex violenta ſubſtantiæ fixæ gummeo-reſinoſæ deſtructione reſultans, ſuc-

cedere. Laudatum oleum coeruleum magnarum virium eſt, colorem tamen non adeo diu retinet, ſed intra aliquot dies, præſertim ſi vitrum ſolummodo obiter clauſum fuerit, purpureum evadit. Solutio aquoſa prima, quæ turbida deprehenditur, colore pallide flaveſcente, et grato odore balſamico, ſimilique ſapore gaudet. Extractum inſpiſſatum, cujus pondus, adſumta uncia galbani dimidia, duos circiter ſcrupulos æquat, flavo-ſubfuſcum eſt, odoris debilis, ſaporis reſinoſi. Tinctura ſpirituoſa prima ſeſe colore ſaturate aureo commendat, et acri, grate balſamico, et ſubamaricante ſapore pollet, balſamico autem odore infuſo aquoſo, quod plures partes oleoſas, quibus major fragrantia unice tribuenda, continere videtur, nonnihil cedit. Maſſa, poſt evaporationem relicta, ſubfuſci coloris eſt, parum amplius olet, et debilem duntaxat ſaporem reſinoſo-balſamicum, acredine prorſus ſpoliatum, linguæ imprimit. Uncia galbani dimidia mihi ferme drachmas tres hujus extracti reſinoſi ſuppeditavit.

§. VI.

Selectioribus *uterinis*, *anthyſtericis* et *antepilepticis* remediis hoc concretum adnumeratur, et frequentiſſime, ob laudatas vires generales, in ſuppreſſione menſium, fluore albo, partu difficili, juſto parciori lochiorum

fluxu,

fluxu, malo hyſterico, colica convulſiva, epilepſia, aliisque convulſionibus, nec minus, ob moderatam virtutem roborantem, et attenuantem, in obſtructione viſcerum, tuſſi, aſthmate, coryza, ceterisque adfectibus catarrhalibus, ſub forma pilulari, a granis aliquot ad ſcrupulum unum, exhibetur. Externe balſama et emplaſtra travmatica, ſuppurantia, reſolventia, nervina, antiſpasmodica, et anodyna ingreditur, quæ duris tumoribus, partibus inflammatis, paralyticis, vulneratis, exulceratis, rigidis, itemque abdomini in colica, paſſione hyſterica, obſtructione hepatis, lienis, meſenterii etc. adplicantur. Additur etiam ſuffimigiis uterinis, in prolapſu vaginæ et uteri, fluore albo, dolore hyſterico atque ſterilitate, multumque præterea, ſub forma emplaſtri adplicatum, ad abigendos clavos pedum valet.

§. VII.

BDELLIVM OFF. eſt concretum gummeo-reſinoſum, contactu pingue, myrrhæ genuinæ inſtar, quodammodo fragile, coloris albido-ſubfuſci, vel fuſco-rubentis, odoris grati balſamici, ſaporis ſubacris et amaricantis. Arbor, quæ hanc lachrymam foeneratur, nondum ſatis nota eſt, in *Arabia* tamen, *India*, *Media* etc. creſcere, et lacteſcens atque ſpinoſa eſſe dicitur. Nonnulli hanc et myrrhiferam unius ejusdemque generis eſſe, et utramque ſpecie duntaxat differre opinantur;

tur; quam ſententiam, cum, experientia deſtitutus, certiorem ſubſtituere nequeam, tutoribus ſuis relinquo.

§. VIII.

Ex æqualibus partibus *gummoſis* ac *reſinoſis* conſtat, præcipua tamen virtus poſterioribus ingenita eſt. Infuſum aquoſum primum, quod turbidum, et coloris lutoſi aut ex albido ſubfuſci exiſtit, linguæ nauſeoſum ſaporem amarum, naribusque odorem debilem, ingrate balſamicum, imprimit, et poſt plenariam evaporationem maſſam relinquit, coloris pallidi, ad lutoſum aut ferrugineum vergentis, ſaporis amaricantis et aromatici, odoris debilis balſamici. Pendet ex uncia bdellii una circiter drachmas tres, et grana aliquot. Solutio ſpirituoſa prima coloris aurantii eſt, ſaporis reſinoſo-balſamico-amaricantis, et fortioris ac gratioris, quam aquoſa, odoris. Extractum inſpiſſatum flavo-rubeſcens eodem, quo infuſum, odore, aſt paullo debiliori, gaudet, et forti ſapore reſinoſo, debili balſamico, ſubacri, et amaricante donatum reperitur. Ex uncia una circiter drachmas tres impetravi.

§. IX.

Militat inter *roborantia* et *attenuantia*, atque ſpecifice in morbis pituitoſis pectoris, uteri, renum, et veſicæ, adeoque in tuſſi, aſthma-

aſthmate, fluore albo, ſuppreſſione menſium, ſterilitate, epilepſia hyſterica, calculo, nephritide pituitoſa, ulcere renum et veſicæ prodeſſe conſuevit. Præſcribitur ſub forma pilulari, a granis aliquot ad ſcrupulum unum. Externe, ob validam virtutem reſolventem, diſcutientem, et travmaticam, frequentius in uſum vocatur, et emplaſtris non minus, quam unguentis, tumoribus duris, glandulis induratis, ſcrophulis, apoſtematibus, vulneribus, diſtortis aut alio modo læſis tendinibus, herniis etc. adplicandis, additur. Interdum etiam ſuffimigiis uterinis, ad foetum mortuum expellendum, aliaque uteri vitia curanda, miſcetur.

CAPVT XXX.

DE

SAGAPENO ET ASA FOETIDA.

§. I.

GVMMI SAGAPENVM ſive SERAPINVM OFF. eſt lachryma concreta reſinoſo-gummea, coloris fuſci, vel ex ruſo flaveſcentis, ſaporis acris et amaricantis, odoris, ſi prunis injicitur, inſtar porri aut allii, gravis atque viroſi. Adfertur ex *Ægypto*, et *in Perſia*, *India orientali* etc. ex inciſo quodam *frutice ferulaceo*, nondum tamen Bo-

tanicis ſatis noto, exſtillare dicitur. Optimum judicatur pellucidum, ac pallide flaveſcens, quod aſam foetidam et nonnihil quoque galbanum redolet.

§. II.

Partes *gummoſæ* majori quidem copia, quam *reſinoſæ*, adſunt, virtute tamen hiſce longe inferiores reperiuntur. Solutio aquoſa prima turbida eſt, et odore debili balſamico, ſimilique ſapore, ſubamaricante paullulum remixto, pollet. Extractum inſpiſſatum, cujus circiter drachmas duas, totidemque ſcrupulos ex dimidia ſagapeni uncia impetravi, colorem pallidum, ad flavedinem vergentem, odorem debilem, et ſaporem blande balſamicum, ſubacrem, et ſubamaricantem obtinet. Solutio ſpirituoſa prima, licet coloris ſaltem pallide flaveſcentis ſit, et odoris fere nullius, ſatis acrem tamen, mordacem, et amarum ſaporem obtinet. Extractum inſpiſſatum ſpecificum adhuc ſagapeni odorem ſpirat, et majori amaritie, minori contra acredine, quam tinctura, inſtructum deprehenditur. Uncia dimidia drachmam unam et grana triginta ſex dedit. Utrique principiofixo parum olei eſſentialis ætherei inhæret, quod vires medicas haud parum intendit.

§. III.

§. III.

Valide irritando, abſtergendo, atque diſcutiendo operatur, et jure igitur inter efficaciſſima *attenuantia*, *reſolventia*, et *aperitiva* referri meretur. Conducit ſpecifice in refractariis obſtructionibus viſcerum, hepatis nempe, lienis, meſenterii, renum et uteri, adeoque in hydrope, obſtructione menſium, fluore albo, calculo, epilepſia hyſterica, etc., nec minus in hemicrania rebelli, aſthmate pituitoſo, aliisque adfectibus pituitoſis. Abſtergit præterea mucum primæ culinæ, nec raro proinde in torminibus ventris, ceterisque ventriculi et inteſtinorum morbis, ex cruditatum viſcidarum colluvie reſultantibus, cum fructu exhibetur. Cum aliis, huic vel illi morbo adpropriatis, ordinario in formam pillularem redigitur, et a granis quatuor ad ſcrupulum dimidium præſcribitur. Gravidæ ab interno ejus uſu abſtinere debent, quoniam foetum et ſanguinem fortiſſime pellit, ac facile proinde abortum provocat. Externe inter ſuffimigia uterina, et emplaſtra reſolventia ac maturantia, quorum activitatem valde auget, recipitur.

§. IV.

ASA ſive ASSA FOETIDA OFF. Stinckender Aſandt, oder Teufels-Dreck, eſt concretum reſinoſo-gummeum, mediocris tenacitatis, coloris ex albido flaveſcentis aut ruf-

feſcentis, vel ſubfuſci, immo interdum nigricantis, odoris ingrati, ad allium, vel porrum accedentis, ſaporis acris, amaricantis, ac nauſeoſi. Planta, quam Botanici plerumque *Silphium*, itemque *Laſerpitium veterum* adpellant, ad umbelliferas pertinet, et leviſtico affinis eſt. Radix, quæ ſola, poſtquam ſauciata fuit, ſuccum hunc gummeo-reſinoſum fundit, paſtinacæ radicem forma æmulatur, craſſitie autem longe ſuperat, et foris præterea nigricante colore eſt. Certa ejus ætas poſtulatur: Quadriennio enim minor, teſte KÆMPFERO *(a)*, parum lacteſcit, nec unquam ſecatur; quo autem vetuſtior et major eſt, eo majorem ſucci lactei, ſeu lachrymæ copiam impertitur. „Succus, uti vix laudatus Auctor porro refert, ex utriculis radi„cis recens emanans, candidiſſimus, liqui„dus, et pinguis eſt, flori lactis dulcis exacte „ſimillimus, adeoque omnis exſors lento„ris; ad aeris vero ſolisve contactum, colo„rem ſubfuſcum induit, et coaleſcens lento„rem quoque. Foetor virtutis index, quo „major eſt, eo meliorem Aſam teſtatur. At „ille in recenti lachryma vehementiſſimus „eſt, cum eo, quem concreta et antiquior „redolet, qualem Europa recipit, nullo mo„do comparandus. Una drachma recens ef„fuſa, majorem ſpargit foetorem, quam centum

(a) In Amoenit. exot. Faſc. III. p. 542.

„tum libræ vetuſtioris, quam ſiccam venun-
„dant aromatarii noſtrates. etc.

§. V.

Non creſcit hæc planta, uti multi tamen ſcriptores tradunt, in Syria, Media, Lybia, et regione Cyreniaca, ſed ſola *Perſia* ejus patria eſt, duoque ſaltem locorum tractus, ſecundum KÆMPFERVM (*a*), hodie eam alunt, videlicet 1) campi montesque circa
„*Heraat*, emporium provinciæ *Choraſaan*,
„et 2) jugum montium in provincia *Laar*,
„quod a flumine *Cuur* usque ad urbem *Con-*
„*go* ſecundum Perſici Sinus tractum exten-
„ditur, duobus, alibi tribus pluribusve pa-
„raſangis a littore. - - - Creſcit promiſcue
„in teſquis et crepidinibus, ubicunque avul-
„ſa ſemina (paſtinacæ noſtratis ſeminibus
„haud diſſimilia), ventus protulerit; ube-
„rius vero et ſæpe ex pedali intervallo in
„locis, qui quodammodo premuntur in pla-
„nitiem, quippe ſemini retinendo, et ob
„meliorem fundi conditionem fovendo,
„aptioribus. etc.

§. VI.

Ex *partibus terreſtribus*, aliisque *recrementitiis*, *oleoſis*, *gummoſis* ac *reſinoſis* conflata reperitur. Oleum eſſentiale, licet exigua mole inhæreat, reliquis partibus fragrantiam

Q 5 et

(*a*) L. c. p. 539. ſequ.

et præcipuam activitatem conciliat; hinc quo vetuſtior aſa, eo debilior. Oleo, reſpectu virtutis, portio reſinoſa, quæ majori acrimonia pollet et amaritie, ſuccedit, licet mole minori, quam gummoſa ſubſtantia, adſit. Infuſum aquoſum primum colore pallide flavo, ac ſimul turbidum eſt, fortemque allii odorem ſpirat, et valde nauſeoſum ſaporem balſamicum obtinet. Sub evaporatione copioſas particulas oleoſo-ſpirituoſas conſtanter eructat, quare poſtea etiam inſpiſſatum extractum, quod coloris ſordide lutei eſt, ad fuſcum nonnihil vergentis, parum amplius olet, et debilem duntaxat ac nauſeoſum ſaporem amaricantem linguæ imprimit. Solutio ſpirituoſa prima, quæ flava, et poſt refrigerationem nonnihil turbida eſt, porrum redolet, et ingrati cepacei, ac ſimul acris ſaporis ſenſum in guſtus organo excitat. Tinctura hæc ſub evaporatione conſtanter quoque aſæ odorem ſpecificum ſpirat, eundemque etiam maſſa inſpiſſata retinet, quæ cæteroquin colore flavo-fuſco eſt, et, præter proprium aſæ ſaporem nauſeoſum, etiam reſinoſo-amaricantem poſſidet. Uncia aſæ foetidæ dimidia ſaltem ſcrupulos quatuor et grana aliquot extracti reſinoſi dedit, et inde igitur ſatis conſtat, quod maxima ejus pars gummoſa ſit.

§. VI.

§. VII.

Potentiſſima virtute *diſcutiente*, nec contemnenda pariter *abſtergente* et *antiſpaſmodica* gaudet, adeoque ſpecifice etiam colicæ flatulentæ, paſſioni hyſtericæ, a cauſſa frigida oriundæ, ſterilitati, ſuppreſſioni menſium, hydropi humido et tympanitico, aſthmati pituitoſo, obſtructioni hepatis, lienis, ac meſenterii, epilepſiæ, aliisque convulſionibus mederi creditur. Pellit præterea foetum et ſecundinas, vermes necat, adpetitum venereum excitat, et, variolas quoque atque morbillos, provide tamen ac modice uſurpata, expellit. Indis, præſertim Benjanis, creber, uti KÆMPFERVS teſtatur (a) aſæ foetidæ uſus eſt, etiam in cibis pro condimento. „Hoc, addit, referenti *Garciæ* ægre „credidit Cl. *Renodæus*; nam: *ſi hoc*, ait, *fa-* „*bula non eſt, ex duabus alterum conjecto: aut* „*aſam foetidam in India non foetere, aut Indos* „*æneum habere guttur. Mat. Med. Lib. I. S.* „*VIII. c.* 8. Deguſtavi hoc ſucco imbuta „cruſtula, quæ mihi non adeo ſapiebant te„terrime, ac putaveram. Perſici medici, „*paullo ante ſcribit*, ob delicatum nationis „genium, ab uſu fere abſtinent; ruſticis ſal„tem Larenſibus in colicis torminibus et hy„drope, præſertim in tympanitide curanda „uſus innotuit ex conſilio Benjanorum. Re„tulit mihi civis Disgunenſis, ſe hoc morbo tumi-

(a) L. c. p. 544.

„tumidum, omni mane per ſex hebdomades „devoraſſe aſæ bolum ſeu pilulam majuſcu„lam, donec convaluerit: ex eo ſubinde ſibi „flatus ſurſum et deorſum ſeceſſiſſe, adeo „foetentes, ut ab hominum conſortio toto „tempore juſſus ſit exulare. etc. Datur in forma pillulari, a granis aliquot ad ſcrupulum unum, immo integram drachmam, et commode pariter in eſſentia, quæ in Officinis proſtat, propinatur. Externe inter ſuffimigia uterina, et emplaſtra antiſpasmodica, diſcutientia, anthyſterica, carminativa, et roborantia recipitur. Non deſunt quoque inter medicos, qui illi ſingularem virtutem antimagicam tribuant; quam ſuperſtitioſis tamen commentis adnumerare nullus dubito.

CAPVT XXXI.

DE LADANO, CARANNA ET GVMMI HEDERÆ.

§. I.

LADANVM OFF. eſt gummi-reſina, recens mollior, tenax, intra digitos lenteſcens, ac picis inſtar ductilis, inveterata autem dura, levis, friabilis, et fractu nihilominus difficilis, coloris gryſei, vel nigri, vel ex rufo nigricantis, ſaporis amari, odoris,

ris, ſi accenditur, fragrantis. Raro, vel nunquam, hoc concretum perfecte purum reperitur, ſed ordinario ſubtili arena et pulvere terreo largiſſime permixtum eſt. Optima ſpecies in foliis certi fruticis, qui a TOVRNEFORTIO *Ciſtus ladanifera Cretica flore purpureo* dicitur, et in *Syria*, *Candia*, ſive *Creta*, *Luſitania*, *Hiſpania*, aliisque regionibus calidis creſcit, colligitur. Sponte ex tubulis horum foliorum exſudat, ac ſenſim poſtea in maſſam tenacem condenſatur. Deterioris conditionis illud cenſetur, quod, mediante foliorum decoctione in aqua, ſeparatum, et oleoſo igitur principio maximam partem ſpoliatum fuit.

§. II.

Ex pluribus *partibus reſinoſis*, quam *gummoſis*, *oleo æthereo* paullulum impraegnatis, conſtat, multasque præterea *quisquilias arenoſo-terreas* continet, quas ventus maſſæ, poſt exſudationem adhuc ſemiliquidæ, intulit. Portio magis reſinoſa, in ſpiritu vini ſolubilis, in uncia una plerumque drachmas quinque vel ſex, et portio gummoſa, in aqua ſolubilis, circiter drachmam unam pondere æquat; quod reliquum eſt, recrementum mere terreum et arenoſum ſiſtit. Solutio aquoſa prima turbida eſt, coloris pallide lutoſi, ſaporis debilis amaricantis, odoris, ferme inſtar herbæ Nicotianæ, nonnihil ingrati.

Extra-

Extractum inſpiſſatum ſaturatiori quidem colore, pallide nimirum ac ſordide fuſco gaudet, reſpectu ſaporis et odoris autem longe adhuc debilius deprehenditur. Tinctura ſpirituoſa prima colorem aureum, ſaporem, ex acriuſculo, leniter balſamico et amaricante mixtum, et odorem balſamicum, parum tamen gratum, obtinet. Maſſa, poſt evaporationem relicta, colore flavo-fuſco eſt, odorem nauſeoſum, inſtar tabaci, ſpirat, et debilem atque ingrate balſamicum ſaporem poſſidet, tenaciſſimeque linguæ ac faucibus ſub deguſtatione adhæreſcit. Docent deſcripta examina, 1) ladanum, ob ignobiles debilesque vires, commode exulare poſſe, et 2) activitatis intuitu primo portionem ſpirituoſo-oleoſam, deinde reſinoſam, tandemque gummoſam collocandam eſſe.

§. III.

Raro hoc concretum interne adhibetur, licet tinctura ſpirituoſa, a guttis 20. ad 40. propinata, aliquam virtutem confortantem, nervinam atque cephalicam exſerere valeat, ſed externum plerumque uſum invenit, et inter emplaſtra roborantia, maſſas pro candelis odoratis, et tingendi quoque fine inter balſama nervina et cephalica externa recipitur.

§. IV.

§. IV.

CARANNA OFF. eſt maſſa indurata gummeo-reſinoſa, tenax, ſi adhuc recens, et picis inſtar ductilis, inveterata autem dura, friabilis, coloris gryſeo-fuſci, aut flavo-ferruginei, odoris, dum accenditur, fragrantis ac ſatis grati, ſaporis viſcoſo-reſinoſi, et debilis balſamico-amaricantis. Arbor, quae ſauciata hanc lachrymam fundit, in *Nova Hiſpania* praecipue creſcit, et apud Botanicos *arbor Caragna*, itemque *Arbor inſaniae*, *Caragna nuncupata*, apud incolas *Qvahuitl*. etc. audit.

§. V.

Conflata reperitur ex partibus *gummeis*, *reſinoſis* et *oleoſis eſſentialibus*. Oleum eſſentiale aethereum, quod colore flavo, odore grato aromatico, et ſapore acri atque amaro pollet, fixis principiis gummeo-reſinoſis unice propemodum, (licet non adeo magna quantitate inhaereat), odorem, ſaporem ac vires conciliat. Solutio aquoſa aurei coloris eſt, odoris reſinoſo-balſamici, ſaporis amari, ac leniter, quanquam ingrate, balſamici. Cum infuſo ipſum extractum convenit, praeterquam, quod flavo-ſubfuſcum colorem obtineat. Pendet ex integra carannae uncia circiter drachmas tres. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate aureo, odore grato ac forti reſinoſo-balſamico, et ſapore acri, amaricante,

ricante, et balſamico pollet, ita tamen, ut amarities prædominium obtineat. Inſpiſſatione ejus in arena calida maximam partem peracta, extracto reſinoſo parum olei eſſentialis aromatici, acri et ſatis amaro ſapore præditi, ſupernatabat, eodemque ablato, maſſa tenax, flavo - et ſubfuſco - albicans relinquebatur, quæ naribus adhuc gratum quidem ac debilem odorem balſamicum, linguæ autem nullum ſingularem, ac mere duntaxat reſinoſum ſaporem imprimebat. Linguæ, palato et dentibus tenaciſſime adhæreſcit, et ex uncia una ferme drachmas ſex pendet: Unde manifeſtum eſt, ſubſtantiam reſinoſam longe majori copia, quam gummoſam, carannæ mixtionem ingredi, et ſaporem nihilominus, odorem atque virtutem medicam præcipue, uti antea dictum, a mixto oleo eſſentiali dependere.

§. VI.

Multa hæc gummi-reſina cum galbano et tacamahaca communia habet, rariſſime nihilominus interne exhibetur, ſed emplaſtra duntaxat travmatica, nervina, antiſpasmodica, et diſcutientia, in vulneribus nervorum ac tendinum, debilitate articulationum, tumoribus et catarrhis frigidis, ſpasmo ventriculi, lienteria, vomitu, dolore dentium etc. proficua, ingreditur, et ſuffimigiis quoque uterinis et roborantibus nonnunquam additur.

Si

Si uſus internus in morbis rheumaticis, catarrhalibus, ſpasmodicis, et convulſivis placet, ſub forma pilulari, a granis aliquot ad ſcrupulum ſemiſſem, exhiberi poterit.

§. VII.

GVMMI HEDERÆ OFF. eſt maſſa dura, compacta, magis reſinoſæ, quam gummoſæ indolis, coloris extus obſcure rubiginoſi, aut fuſco-nigricantis, intus vero ex flavo ac rubro fuſci ſplendentis, ſaporis reſinoſo-terreſtris et ſubadſtringentis, odoris, ſi accenditur, balſamici. Origo ejus nondum perfecte innotuit; vulgo tamen ex *Hederæ arboreæ* trunco ac ramis in *India* etc. promanare traditur.

§. VIII.

Plures, quod dictum fuit, *partes reſinoſas*, quam *gummoſas*, in mixtione fovet, quibus multæ quidem moleculæ recrementitiæ terreſtres, nihil vero olei ſubſtantialis ætherei, mixta reperiuntur. Solutio aquoſa prima colore dilute aureo eſt, odore debili balſamico. Maſſa inſpiſſata ex uncia gummi una vix drachmam unam pondere æquat, et colorem flavo-fuſcum, odorem fere nullum, et debilem ac nauſeoſum ſaporem balſamicum obtinet. Solutio ſpirituoſa prima, cujus color rubicundus eſt, fortiorem, quam aquoſa, odorem reſinoſo-balſamicum ſpirat, et ſaporem ſubacrem atque nonnihil amaricantem lin-

linguæ imprimit. Evaporata maſſam relinquit rubro-fuſcam, ac paullulum nigricantem, quæ, intuitu odoris et ſaporis, cum tinctura convenit, præterquam, quod uterque debilior exiſtat. Ex uncia gummi una circiter drachmas quinque impetravi.

§. IX.

Viribus non adeo ſingularibus pollet, et commode igitur ex Officinis pharmaceuticis exulare poſſet. Numeratur inter *ſubadſtringentia*, et emplaſtris ſtypticis atque travmaticis additur. Nonnulli iſtud inter ejusdem quoque virtutis pilulas recipiunt; aſt parum auxilii ab uſu ejus interno exſpectandum eſt.

CAPVT XXXII.

DE

GVMMI ANIME, IVNIPERI, ET ELEMI.

§. I.

GVMMI ANIME OFF., ſive GVMMI CANCAMVM C. B., eſt concretum mere reſinoſum, ex albido flaveſcens, facile friabile, et hinc inde nonnihil pellucidum, odoris balſamici ſuaviſſimi, ſaporis nullius ſingularis. Dividitur in *Orientale* et *Occidentale:* Hoc ex *Virginia*, *Nova Hiſpania*, et *Braſilia* adfertur, ibidemque ex inciſa arbore quadam

quadam ſiliquoſa, *Jetaiba* dicta, exſtillare traditur; illud vero, orientale nimirum, quod occidentali pellucidius atque candidius reperitur, vel quandoque etiam loco coloris albicantis rufeſcentem obtinet, in *Æthiopia* ex arbore, occidentali animiferæ analoga, effluit, rariusque, quam præcedens, ad nos defertur.

§. II.

Reſinoſa hæc maſſa in ſpiritu vini rectificatiſſimo tota, paucis duntaxat recrementis terreis relictis, ſolvitur, menſtrua aquoſa autem parum extrahere valent. Flava ſolutio ſpirituoſa blandum odorem balſamicum emittit, et linguæ ſaporem, ex acri, amaricante, et balſamico mixtum, imprimit: Infuſum aquoſum vero ſaltem pallide flaveſcens eſt, et, licet quidem ſpecificum ſimplicis odorem ſpiret, præter paucas tamen particulas oleoſo-ſpirituoſas, ſub digeſtione ſeparatas, nullam ſubſtantiam craſſiorem continet. Oleum ſubſtantiale æthereum parciſſime inhæret, adeoque nihil inde, niſi magna quantitas una vice humidæ deſtillationi ſubjiciatur, elicitur.

§. III.

GVMMI ELEMI OFF. Aethiopiſches Oelbaumhartz, æque, ac præcedens, perperam gummi vocatur: Mera quippe

maſſa tenax, pinguis, ac reſinoſa eſt, conſiſtentia, ſi recentior, molliori, ſi vetuſtior, ſicciori, odore gratiſſimo, ſapore reſinoſo-balſamico, et leniſſime amaricante, colore modo ex albo vireſcente, modo ex albo flaveſcente. HERMANNVS reſinoſum hoc concretum ex *arbore quadam prunifera* in India promanare opinatur, alii vero *Oleam Æthiopicam* iſtud fundere, referunt. Sententia poſteriorum certior eſt, eidemque proinde ſubſcribere nullus dubito. Nobiliori huic gummi elemi, quod in glebas cylindraceas coactum adfertur, et rarius paullo in noſtris Officinis obvium eſt, ſpecies analoga ſubſtituitur, quam mercatores ex *Braſilia* et *Nova Hiſpania* advehunt, quæque ex arbore, nondum ſatis deſcripta, prodit. Ignobilior hæc ſpecies *Elemi vulgare Americanum* dicitur.

§. IV.

Cum partibus *reſinoſis*, quæ apud vulgare Gummi Elemi, in Officinis noſtris plerumque venale, maximam ponderis partem conficiunt, etiam *oleoſæ* quædam, et pauciſſimæ *gummoſæ* mixtæ inveniuntur. Referente quippe NEVMANNO (a), ex integra libra olei eſſentialis uncia una deſtillando elici, et duæ circiter drachmæ, totidemque ſcrupuli ſubſtantiæ gummeæ ſeparari poſſunt. Activitas præcipue in oleo latet, idemque infu-

ſis

(a) L. c. p. 849.

ſis, et extractis aquoſis ac ſpirituoſis odorem, et ſaporem unice propemodum largiri videtur. Tinctura ſpirituoſa, dilute aurea, gratum ſpirat odorem, et acrem atque balſamicum ſaporem, amaricante nonnihil remixtum, poſſidet. Flava maſſa inſpiſſata longe debilior eſt, et, priſtinum quidem odorem, debilemque ſaporem balſamicum, nullam vero amaritiem atque acredinem retinet, et quicquid inſolubile relinquitur, pulticulam forma externa æmulatur. Infuſum aquoſum nullo ferme colore tinctum adparet, et tenuiſſimæ ſaltem flavedinis veſtigia monſtrat, odore nihilominus gummi ſatis prodit, et balſamicum quoque atque amaricantem ſaporem obtinet. Evaporatione inſpiſſatum parum extracti ſatis inertis relinquit: Unde manifeſtum eſt, odorem et ſaporem, quo infuſum gaudet, ab oleo, ſub evaporatione abeunte, dependere.

§. V.

Bina hæc corpora reſinoſa, quæ valde, quoad naturam et uſum, conveniunt, interne, ob inſolubilitatem ſuam in ventriculo, raro vel nunquam exhibentur, ſed externis ſolummodo uſibus deſtinantur, et inter ſuffimigia, maſſas odoratas, unguenta, balſam, et emplaſtra, *confortantis*, *nervinæ*, *cephalcæ* *anticatarrhalis* atque *travmaticæ* virtutis, recipiuntur. Interdum quoque ſpeciebus pro

 ſuffi-

ſuffimigiis *uterinis*, in ſterilitate, fluore albo, et chronica menſium ſuppreſſione proficuis, miſcentur.

§. VI.

Ab exotico Gummi Anime reſpectu indolis SANDARACHA ARABVM ſive GVMMI IVNIPERI parum differt. Colligitur ex trunco *Juniperi vulgaris fruticoſæ* C.B., et ordinario in guttas aut glebulas, modo rotundas, modo oblongas, ſplendidas, pallide flaveſcentes, ſaporis reſinoſi, odoris grati balſamici, concretum reperitur. In ventriculo nunquam penitus ſolvitur, ſed parum duntaxat ſubſtantiæ oleoſæ a liquore gaſtrico extrahitur; quare externi ſolummodo uſus eſt, et inter *roborantia*, *antiputredinoſa*, et *travmatica* remedia collocatur.

* *

CAPVT XXXIII.

DE OLIBANO, MASTICHE, ET GVMMI TACAMAHACA.

§. I.

OLIBANVM ſive THVS OFFICINARVM, Weyhrauch, eſt corpus gummeo-reſinoſum, in lachrymas majores et minores, fragiles, pellucidas, pallide flavas, ſaporis reſinoſo-

noſo-balſamici, odoris fragrantis, concretum. Duplex venditur ſpecies, quarum altera *Thus maſculinum*, ſive *Olibanum purum, optimum, in granis*, altera *Thus foemininum*, ſive *Olibanum vulgare, impurius*, nuncupatur. Adfertur ex *Ægypto* et *Arabia felici*; in qua poſtrema regione, ut et in *Æthiopia* copioſe quotannis colligitur. Planta, quæ ſauciata iſtud foeneratur, nondum ſatis nota eſt, ad arborum tamen claſſem pertinere, ſcriptores plerique teſtantur.

§. II.

Ex æqualibus ferme partibus *reſinoſis* ac *gummeis, oleo æthereo* parciſſime impraegnatis, componitur, ſubſtantia tamen reſinoſa majori, quam gummea, virtute pollet. Solutio aquoſa turbida eſt, lactefcens, ad pallidam flavedinem aliquantiſper inclinans, odore ſimplicis ſpecifico, ſapore amaricante et balſamico. Idem odor et ſapor etiam in inſpiſſato extracto flavo deprehenditur, prætérquam, quod amarities major exiſtat. Tinctura ſpirituoſa flaveſcens pellucida, odorem ſpirat balſamicum, et ſatis acrem ſaporem, balſamico et amaricante mixtum, obtinet. Sub evaporatione hæc ipſa partes oleoſo-ſpirituoſas odoriferas maximam partem amittit; hinc ad decentem quoque ſpiſſitudinem redacta, inſtar ceræ, tenax eſt, et nullo amplius ſapore et odore gaudet. Unde

clare patet, laudatas particulas oleoſo-ſpirituoſas, quibus utraque ſubſtantia fixa, durante mixtione naturali, parcius imprægnata eſt, unicam ferme, vel tamen præcipuam, activitatis et odoris fragrantis cauſſam conſtituere. Externum ſolummodo uſum hæc gummi-reſina in medicina invenit, et uſitatiſſimum imprimis ſuffimigium præbet.

§. III.

MASTICHE ſive MASTIX OFF. eſt mera reſina, arida, dura, fragilis, in granula, ſeu lachrymas minores, pallide flaveſcentes, pellucidas, debilis ſaporis reſinoſo-balſamici, odoris, dum accenduntur, fragrantis, concreta. Promanat ex trunco et ramis arboris *Lentiſci vulgaris* C. B., et optima ſpecies ex *inſula Chio*, ignobilior ex *Italia*, *Sicilia*, *Luſitania* etc. adfertur. In inſula Chio, ubi maxima hujus reſinæ collectio eſt, incolæ arbores laudatas quotannis trina vice, menſe nimirum Martio, medio Auguſti, et Septembri, coelo ſereno exiſtente, incidunt, ut naturalis balſamus maſtichinus, in oblonga poſtmodum grana ac glebulas indureſcens, largius effluat. Grana puriora et plus minusve transparentia in Officinis ſub nomine *Maſtichis electæ* venduntur.

§. IV.

Aqua reſinæ huic ſub digeſtione nil, niſi paucіſ-

pauciſſimas partes oleoſo-ſpirituoſas, quæ eidem debilem conciliant odorem balſamicum, eripere valet, ſpiritus vini rectificatiſſimus autem illam penitus, paucis ſaltem relictis partibus terreis, ſolvit, et colorem inde dilute aureum, odorem gratum et ſaporem acrem, amaricantem atque balſamicum nanciſcitur.

§. V.

Sæpius hoc medicamentum, cujus plenaria reſolutio in ventriculo nunquam ſperanda eſt, externo, quam interno, uſui impenditur. Interne vires *roborantes*, et *ſubadſtringentes* exercet, et a practicis contra ventriculi imbecillitatem, diarrhoeas, dyſenteriam, diabetem, fluorem album, et gonorrhoeam præcipue commendatur. Doſis ejus in pulvere ad grana tria vel quatuor, in infuſo vinoſo ad ſcrupulum dimidium, immo integrum, adſcendit. Externe pulveres ad-et inſpergendos, ſuffimigia, pulveres dentifricios, decocta vinoſa, unguenta, emplaſtra etc. ingreditur, et, ſub hac vel illa forma adhibitum, laxitati uvulæ, ſcorbuto oris, procidentiæ ani, uteri, atque vaginæ, nec minus herniis, et articulorum debilitati egregie medetur.

§. VI.

GVMMI TACAMAHACA ſive TACKA-

MAHACA OFF. non gummi eſt, licet ita vulgo nuncupetur, ſed reſina, arida, retorrida, friabilis, in majores utplurimum glebas concreta, odoris, dum accenditur, fragrantis, ſaporis debilis reſinoſo-balſamici, et quodammodo ſubdulcis, coloris variegati, alibi nempe albicantis, alibi flaveſcentis, alibi fuſci aut rufi. Magis flava magisque pellucida recentior, purior, atque præſtantior eſt, magis rufa autem, vel fuſca impurior et vetuſtior, adeoque etiam ignobilior, judicatur. Arbor, quæ reſinoſam hanc lachrymam, tum ſponte, tum prævia corticis inciſione, ſtillat, populo forma atque proceritate ſimilis eſt, et in *Nova Hiſpania*, *Mexico*, et *nonnullis* quoque *inſulis Indiæ orientalis* adoleſcit.

§. VII.

In ſpiritum vini rectificatiſſimum ſub blanda digeſtione tota tranſit, ſi partes terreas, aliasque quisquilias, quæ interdum ſat copioſe mixtæ cernuntur exceperis; aqua autem paucas duntaxat particulas oleoſas extrahit, et inde debilem odorem, fortemque, quanquam valde ingratum, ſaporem adquirit. Solutio ſpirituoſa ſaturate aureo colore eſt, odore blande balſamico, et ſapore ſubacri atque reſinoſo.

§. VIII.

Virtute *roborante*, *nervina*, atque *cephalica*

lica pollet, nunquam tamen interne exhibetur, ſed inter ſuffimigia ſolummodo, quae adfectibus arthriticis, oedematoſis, catarrhalibus, et rheumaticis nonnunquam egregie medentur, nec minus inter cerata et emplaſtra, capiti, temporibus, abdomini, articulationibus, aliisque partibus contra cephalalgiam, hemicraniam, vertiginem, epilepſiam, ventriculi imbecillitatem, profluvia alvina, flacciditatem ligamentorum etc. imponenda, recipitur.

* *

CAPVT XXXIV.

DE ASA DVLCI ET STYRACE.

§. I.

ASSA ſive ASA DVLCIS, ASA ODORATA, GVMMI BENZOE OFF. Benzoe, Wohlriechender Aſandt, eſt reſina, arida, fragilis, ſplendens, flavo-fuſca, aut ſubfuſco-rufeſcens, moleculis albicantibus plus minusve diſtincta, ſaporis reſinoſo-balſamici atque ſubdulcis, odoris, ſi accenditur, fragrantiſſimi. In Officinis duplex ſpecies, non natura quidem et origine, ſed puritate ſaltem diſcrepans, venditur, altera nempe *ignobilior ſubfuſco-rufeſcens*, aut *rufo-nigricans*, *nullis plane*, *vel ſaltem pauciſſimis ac valde exiguis* *mole-*

moleculis candidis inſtructa, altera *præſtantior*, *ex fruſtulis candidis maximam partem coagmentata*, quæ *Benzoe Amygdaloides* adpellatur. Arbor, quæ ſvavem hanc reſinam largitur, et ad lauri genus pertinere dicitur, in Inſula *Sumatra*, aliisque *Indiæ orientalis* locis, immo in *Virginia*, Americæ regione, creſcit. Referente HERM. NICOLAO GRIMMIO, *(a)*, formæ egregiæ eſt, mediocri altitudine ac viri plerumque craſſitie. Quando ad quintum, vel ſextum ætatis ſuæ annum pervenit, incolæ eam circa ramorum principium, ſecundum longitudinem, nonnihil tamen oblique, ad lignum usque, incidunt; quo facto, præſtantiſſima hæc lachryma inde effluit, et a ſole poſtmodum atque aere coagulatur, ac condenſatur. Recentiſſime collecta, albo colore eſt, viſcoſa, glutinoſa, et pellucida, temporis vero tractu flavedinem contrahit, et juſto diutius quoque in arbore relicta, vento flante, arenulas, aliasque quisquilias, quæ ipſam impuriorem reddunt, recipit. Quantitas, quam incolæ ex integra ejusmodi arbore impetrant, nunquam ultra tres libras pondere adſcendit.

§. II.

Particulis oleoſis et *ſalinis acidis eſſentialibus* hæc reſina imprægnata eſt, quæ conjunctim ſub blanda ſublimatione expulſæ, unione ſua

(a) In Miſc. A. N. C. G. Dec. II. Ann. 2. Obſ. 152.

ſua *flores*, teneritudine, candore, forma, atque ſplendore floſculos nivales mirifice æmulantes, ſeu rectius, candidiſſimum, acre, odoratiſſimum, *ſal volatile oleoſum* formant. Quando hi flores deſtillationis ope eliciuntur, impuriores ſunt, et libra una duas circiter uncias largitur: Oleum, quod floribus ſuccedit, partim eſſentiale, partim empyrevmaticum eſt, et, adhibita vix memorata aſæ dulcis quantitate, novem drachmas plerumque pondere æquat (*a*). Prorſus deſtructa mixtione naturali, multum quoque acidi expellitur. Aqua calida nullum ſingularem ingreſſum habet, et aliquas ſolummodo particulas ſalino-oleoſas ſeparat, indeque ſatis fortem benzoes odorem ſpecificum, et debilem quoque ſaporem conſequitur; ſpiritus vini rectificatiſſimus autem penitus eam, remanentibus duntaxat partibus recrementitiis, ſolvit, et in tincturam flavo-rubicundam, ſapore ſubacri, ſubdulci, et temperate balſamico præditam, redigit.

§. III.

Virtute *ſtimulante*, *incidente*, *reſolvente*, *abſtergente*, adeoque etiam *diuretica* et *pectorali*, medicamentum hoc, præſertim in tincturam ſpirituoſam redactum, ſeſe magnopere commendat, et ſpecifice inprimis adfectibus pulmonum

(*a*) Conf. Neumann. Prælect. Chymico-pharm. p. 581.

monum ac renum pituitoſis, cachexiæ vulgari et icteritiæ, morbis venereis, tumoribus frigidis glandularum, et febribus intermittentibus quotidianis atque quartanis medetur. Interne ordinario tinctura laudata, a guttis 20. ad 30. et ultra, exhibetur, infuſa vinoſa autem rariſſime ipſa reſina ingreditur. Quod flores quoque attinet, illi multis compoſitinoibus doſi minori addi poſſunt. Pro uſu externo inter maſſas odoratas, bacillos, aliaque ſuffimigiorum genera, nec minus inter unguenta, balſama, et emplaſtra nervina recipitur, immo tinctura inter ſelectiora ac tutiora coſmetica locum ſibi vindicat, et, aquæ cuidam deſtillatæ infuſa, eidem non gratum ſolummodo odorem, ſed lacteum quoque colorem conciliat.

§. IV.

STORAX ſive STYRAX OFF. in *Solidam* et *Liquidam* dividitur. Solida iterum duplicis generis eſt, altera nempe *in Granis*, altera *Vulgaris* ſeu *Ordinaria*. Illa, quæ etiam *Styrax rubra* dicitur, nitidior, compactior, atque odoratior eſt, et indolem longe præſtantiorem, quam vulgaris, obtinet, hodie tamen in Officinis noſtris pharmacevticis, ob proventum rariorem, non amplius proſtat; hæc autem copioſe adfertur, et corpus ſiſtit, maximam partem reſinoſum, molliuſculum, pingue, in grumos majores et minores coa-

ctum,

ctum, coloris flavo-ruſeſcentis, odoris grati ac quaſi mellei, ſaporis moderate balſamici et ſubamaricantis. Arbor, quæ utramque ſtyracem ſolidam largitur, malo cotoneæ non diſſimilis eſt, et a Botanicis *Styrax folio mali cotonei* adpellatur. Creſcit in *Syria* et *Perſia*, immo in *America*, et nonnullis *Europæ meridionalis* tractibus obvia eſt, nullam tamen in poſterioribus hiſce regionibus reſinam foeneratur, ſed illa duntaxat ex Syria, aliisque Aſiæ locis ad nos tranſmittitur. Olim calamis ſeu Cannæ fiſtulis incluſa advehebatur, hinc *Styracis Calamitæ* nomen adepta eſt. Styrax in granis ex arbore inciſa ſponte profluit, adeoque vera lachryma indurata eſt, ad vulgarem vero formandam ſine dubio certa hominum artificia ſimul requiruntur. *Styrax liquida* ſubſtantiam reſinoſam, terebinthina paullo ſpiſſiorem, flavo-ferrugineam, odore fragranti, ſapore acri et oleoſo-aromatico donatam, exhibet, et, ſic cenſentibus plerisque, rectius ad compoſita et producta artis, quam naturæ, pertinet.

§. V.

Styrax ſolida vulgaris, quæ hoc loco præcipuum tractationis objectum conſtituit, ex partibus *reſinoſis*, *gummeis*, et *ſpirituoſo-oleoſis* conſtat. Oleum, ex integra libra prolectum, teſte NEVMANNO *(a)*, quatuor circi-

(a) L. c. p. 876.

circiter ſcrupulos pendet, et tam ſingularis naturæ eſt, ut ſimul cum aqua ſub craſſiori conſiſtentia oleoſa tranſire recuſet, et tum demum tranſcendere incipiat, quando aqua penitus abſtracta eſt; hinc leve etiam empyrevma contrahit. Deſtillatione continuata, et reſinæ mixtione tandem deſtructa, primo liquor acidus, deinde oleum ſpiſſiuſculum, butyraceæ conſiſtentiæ, quod aqua lotum flores quosdam, benzoinis analogos, ſuppeditat, ſuccedunt. Prior, adhibita nempe libra ſtyracis integra, ultra unciam unam, poſterius ad duas ferme uncias pondere adſcendit. Portio gummea quartam circiter maſſæ partem explet; quod ſupereſt, reſinoſæ indolis deprehenditur. Infuſum aquoſum, ſaturate aureum, ipſam gummi-reſinam ſatis redolet, et ſaporem amarum, balſamicum, nauſeoſum obtinet. In extracto inſpiſſato color ſaturatior, nimirum flavo-fuſcus, amarities vero debilior eſt. Tinctura ſpirituoſa prima colore flavo-rubeſcente ſeſe commendat, et licet quidem infuſo aquoſo odoris fragrantia cedat, acri tamen, amaricante, et aromatico ſapore pollet, et evaporata maſſam ſuppeditat, iisdem proprietatibus inſtructam, præterquam, quod tinctura, intuitu ſaporis, remiſſior ſit.

§. VI.

Interne roborandi fine rarius exhibetur, exter-

externe autem inter varia ſuffimigiorum genera, et emplaſtra recipitur. Conducit maxime in morbis, a nervorum, ac membranarum debilitate oriundis, nec contemnendam proinde opem in epilepſia, paralyſi, coryza diuturna, tuſſi inveterata, prolapſu uteri et vaginæ, ſterilitate, etc. præſtat. Si uſus internus placet, pilulis, et ſpeciebus pro infuſo vinoſo miſceri poterit.

CAPVT XXXV.

DE GVMMI LACCA.

§. I.

LACCA, neque gummi eſt, licet ita nuncupetur, neque perfecta reſina, ſed potius ſingularis quædam ſubſtantia reſinoſo-ceracea, coloris rufi, aut fuſco-rubentis, ſaporis reſinoſi, odoris, ſi accenditur, fragrantiſſimi. Partim vegetabilis, partim animalis proſapiæ eſt, ita tamen, ut copioſior materia fixa ceracea plantarum, ſubtilior vero materia tingens animalium progenies ſit. Nam in *Bengala, regno Siamenſi, inſula Madagaſcar, aliisque Indiæ orientalis locis* certæ formicæ alatæ, rubræ, grandiores, ſubſtantiam hanc reſinoſo-ceraceam ex plantis colligunt, et, arborum ramis adponunt, certasque inde,

easque parvas et oblongas, cellulas, quæ favorum cellulis non diſſimiles ſunt, et inſectis hiſce poſt aliquam indurationem ſine dubio domicilia præbent, formant; quemadmodum hoc poſterius lacca in ramulis, quæ diffracta numeroſas ejusmodi cellulas monſtrat, ſatis comprobare videtur. Maſſæ huic reſinoſo-ceraceæ, quæ in principio pallida eſt, tincturam poſtea rubicundiſſimæ *chryſalides*, a formicis oriundæ, et in cellulis relictæ, communicant, dum ſingularem nempe ſuccum rubrum emittunt, qui caloris ſolaris ope totam maſſam, vel maximam tamen ejus partem, ſenſim penetrat. Alii mortuas demum chryſalides rubedinem maſſæ reſinoſo-ceraceæ conciliare, arbitrantur; verum, prior opinio propius, quam poſterior, ad veritatem accedere videtur, quoniam chryſalides ordinario non moriuntur, ſed tandem, exuviis ſive involucris depoſitis, iterum in formicas alatas transformantur. Lacca, quæ in tractibus montanis colligitur, melior atque rubicundior eſt, quam illa, quæ in locis planis et maritimis occurrit, quoniam formicæ alatæ montanæ ex præſtantioribus floribus victum, et ſtruendi domicilii materiem petunt. Arbor, cujus ramis inſecta memorata maſſam hanc præcipue adglutinare ſolent, *Jujuba medica*, itemque *Ber indica fructu jujubino*, vel ſimpliciter *Ber* aut *Bar* vocatur. Non credendum interim

interim eſt, formicas alatas unice in hujus arboris ramis parva ſua alvearia ſtruere, ſed ſubinde pariter, quanquam rarius, collectam materiam in alias arbores deferunt, immo, baculis ligneis, in terram defixis, interdum adponunt.

§. II.

Triplex reperitur ſpecies, *Lacca* nimirum in *Ramulis*, *Granis*, *et Tabulis*. Lacca in ramulis ſive baculis, quod ex præcedentibus facile patet, ſola primordialis ac proprie nativa æſtimanda eſt, et inde demum ab incolis lacca in granis et tabulis conficitur: Laccam nempe, a ramis ſeparatam, contundunt groſſiuſcule, et poſtquam parum tincturæ, quam pannis colorandis impendunt, inde extraxerunt, reſiduum ſiccant, ac poſtea pro lacca in granis vendunt. Ad parandam vero tertiam ſpeciem blandum ignem adhibent, et debite colliquefactam ac percolatam marmori infundunt, ut diffluat, et poſt refrigerationem in tabulas plus minusve pellucidas indureſcat. Interdum, quanquam rariſſime, etiam *Lacca in guttis* occurrit, quæ, referente P. TACHARTO *(a)*, ita paratur: Infundunt primo laccam vulgarem, a ramulis avulſam, et in mortario contuſam, aqua fervente, ac toties hanc infuſionem repetunt, donec omnis tinctura extracta ſit. Deinde tincturam

(a) V. Hiſt. de l'Acad. Royal, des Sciences ann. 1710.

ram collectam caloris ſolaris ope nonnihil inſpiſſant, inſpiſſatam in linteum immittunt, et igni admovent; ſic, accedente leni compreſſione, guttulæ pellucidæ, quæ induratæ laccam conſtituunt optimam, tranſeunt.

§. III.

Lacca primordialis, h. e., in ramulis ſive baculis, in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur quidem, lente tamen ac difficillime, et ſolutio præterea filtrum ægerrime penetrat; in aqueis vero menſtruis nulla propemodum, vel ſaltem parciſſima, ſolutio contingit. NEVMANNVS ex integra libra uncias quindecim extracti ſpirituoſi, et novem ſolummodo drachmas extracti aquoſi obtinuit *(a)*. Lacca in tabulis, quam ipſe examini ſubjeci, ſpiritu vini promptius ſolvitur, ſolutio nihilominus valde turbida eſt, et paullo difficilius quoque per chartam bibulam trajicitur. Poſt filtrationem aliquam ſortitur pelluciditatem, et color, antea ſubfuſcus, in elegantiorem flavo-rubicundum mutatur, ita tamen, ut paullulum adhuc ad fuſcum inclinet. In filtro nil, niſi partes quædam impuræ nigricantes, remanet. Sapor tincturæ filtratæ amarus atque a s eſt, odore autem magis ſpiritum vini, quam laccam, prodit. Aqua ſimplex, licet ſatis diuturna adhibeatur digeſtio, nullam ſolutionem præſtat,

(a) L. c. p. 861.

ſtat, ſed limpida permanet, inſipida, ac ferme inodora. Evaporatione ejus peracta, nihil relictum cernitur, niſi pauciſſima materia gryſeo-albicans, quæ fundum quidem et latera vitri cruſtra tenerrima obducit, nullum tamen abſterſa ac deguſtata ſaporem, nullumque odorem obtinet.

§. IV.

Rariſſime hoc concretum, ſi tincturam ejus, quæ vires *roborantes* et *ſubadſtringentes* exerere creditur, exceperis, interne exhibetur, ſed externe ſaltem, *confortandi* ſcopo, inter maſſas odoratas, aliaque ſuffimigiorum genera, nec minus inter pulveres dentifricios, et electuaria, quæ contra vacillationem dentium, et putredinoſam gingivæ laxitatem præſcribuntur, recipitur. Tinctura quoque, cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo inde parata, in ſcorbuto oris egregie prodeſt.

CAPVT XXXVI.

DE PICE, TAM SICCA NAVALI, QVAM LIQVIDA.

§. I.

PIX SICCA, vulgo *Pix navalis*, Schiffpech dicta, eſt ſubſtantia oleoſo-gummeo-

 reſi-

reſinoſa, nigricans, ſplendens, odoris balſamici, ſaporis reſinoſo-amaricantis; PIX LIQVIDA autem, Theer, habitu externo magis balſama nativa æmulatur, et corpus liquidum ſpiſſiuſculum, empyrevmaticum, gummeo-reſinoſo-oleoſum, fortiori, quam præcedens, odore, et majori pariter amaritie præditum, conſtituit.

§. II.

Rectius utraque picis ſpecies ad producta artis, quam naturæ, refertur: Nunquam enim pix ſolida et liquida, ſub ea forma, qua proſtant, in arboribus occurrunt, ſed eodem ferme tempore, eademque operatione, eliquatione nimirum, et deſtillatione per deſcenſum, e radicibus, et ſchidiis ſive ſegmentis trunci arborum pini atque abietis, reſina largius inſtructis, parantur. Quando in principio ligneæ ſtrui, furno peculiari incluſæ, ignis blandus admovetur, oleum liquidius et phlegma deſtillant, et in loco furni excavato infimo colliguntur: Aucto poſtea caloris gradu, oleum ſpiſſius empyrevmaticum, ſive pix liquida, et pix ordinaria, quæ poſt refrigerationem facile ſeparari poſſunt, ſequuntur. Phlegma, deſtillationis initio expulſum, particulis tenerrimis oleoſis, et ſalinis acidulis valde turgidum eſt, nec infimum proinde locum inter medicamenta ſudorifera et antipyredinoſa, meretur; oleum liquidius vero, poſt

poſt rectificationem in veſica, pro *oleo pini* venditur; hinc tempeſtive etiam, antequam pix liquida accedat, removetur.

§. III.

Maxima picis, tam ſolidæ, quam liquidæ, quantitas ex *Norwegia*, *Suecia*, *Ruſſia*, et *Polonia* ad alias gentes transvehitur, quoniam regiones memoratæ ſylvis valde abundant, et uberrimus in illis pinorum atque abietum proventus eſt. Multum quoque in *Germania* noſtra, præſertim in *Thuringiæ* et *Hercyniæ ſylvis*, eliquatur, et poſtrema ſpecies pici Norwegicæ, quæ vulgo optima creditur, bonitate parum vel nihil cedit.

§. IV.

Pix ſolida, quod pridem ex præmiſſa definitione patet, ex partibus *reſinoſis*, *gummeis*, et *oleoſis*, quibus *terreſtres*, et *ſalinæ acidulæ* addi poterunt, componitur. Portio reſinoſa maxima eſt: Huic gummoſa et oleoſa ſuccedit. B. NEVMANNVS ex unciis duabus unciam unam cum ſcrupulo ſemiſſe extracti primi ſpirituoſi, et unciam dimidiam olei, ab extracto ſeparati, impetravit: Cum ordinem inverteret, ex æquali picis quantitate duæ drachmæ cum duodecim granis extracti aquoſi primi, et uncia una ac drachmæ duæ extracti ſpirituoſi ſecundi collectæ fuerunt; quod reliquum erat, ex partibus ter-

reis inſolubilibus conſtabat *(a)*. Oleum memoratum indole ſua olea eſſentialia aetherea quodammodo aemulatur, nec cum oleo itaque, quod ſub violenta demum deſtillatione ſicca, adeoque naturali mixtione penitus deſtructa, cum empyrevmatico quodam liquore ſalino-ſulphureo-aquoſo prodit, confundi debet. In priori enim leviora ſaltem aduſtionis veſtigia notantur, poſterius autem valde empyrevmaticum eſt. Indicata principia conſtitutiva etiam in pice liquida, ſub longe alia tamen proportione, deprehenduntur. Reſinoſae nempe ac gummoſae partes minori, ſalino-acidulae et oleoſae autem multo majori quantitate adſunt, ita, ut pix liquida jure *oleum empyrevmaticum*, particulis reſinoſis, gummeis, et ſpirituoſis, ac valde activis ſalinis acidulis remixtum, nuncupanda ſit.

§. V.

Uſus picis ſolidae navalis magis mechanicus, quam medicus eſt: Rariſſime enim vel nunquam, ob inſignem tenacitatem ſuam, a medicis circumſpectis interne praeſcribitur, ſed externe ſolummodo emplaſtra *diſcutientia, maturantia*, et *conglutinantia*, nec minus ſic dictos *dropaciſmos*, quorum effectus in alopecia inprimis, et paralyſi membrorum notiſſimus eſt, ingreditur. Cum pice liquida

(a) Lib. cit. p. 990.

da noſtro ævo aliter in hoc paſſu comparatum eſt, poſtquam uſus ejus internus primum in Anglia, poſteaque ubivis ferme locorum celebratus fuit *(a)*. Præparatur inde infuſum aquoſum, quod vulgo *Aquam picis liquidæ*, Theer-Waſſer vocant, et quidem ſequenti modo: Recipitur libra una picis liquidæ, eidemque in vaſe apto quatuor libræ aquæ puræ frigidæ adfunduntur, ac probe cum eadem, per quinque circiter aut ſex horæ minuta, mediante continua cum cochleari aut baculo ligneo agitatione, miſcentur: Quo facto, vas tegitur operculo, et per tres dies ac noctes relinquitur in quiete, ut pix liquida ad fundum ſecedere poſſit. Peracta ſufficienti extractione, ac præcipitatione, aqua ſupernatans, citra ullam vaſis motitationem, deſpumatur, blande decantatur, et in vitris mundis, debite obturatis, ad uſum reponitur. Quando major quantitas, una vice, et in eodem vaſe, præparatur, diuturnior quoque, et materiæ quantitati proportionata,

 agita-

(a) In variis Americæ tractibus uſus aquæ picis liquidæ internus, teſte D. GEORGIO BERCKELEY, diu pridem invaluit. Inde illum auctor laudatus, qui integrum de eo tractatum conſcripſit, in Hiberniam tranſtulit, unde poſtmodum, et quidem ante quinque demum, vel ſex annos, ad Anglos et reliquas gentes Europæas pervenit; quemadmodum plura de hiſce, et ſingularibus inprimis aquæ memoratæ viribus in allegato libello videnda ſunt.

agitatio requiritur, ita, ut, adſumtis v. g. libris duabus picis liquidæ, et libris octo aquæ ſimplicis, decem vel duodecim horæ minuta miſcelæ impendenda ſint.

§. VI.

Modice hac ratione aqua ſimplex particulis *oleoſo-ſpirituoſis balſamicis*, *ſalinis acidulis*, et *tenerioribus quibusdam reſinoſo-gummeis* imprægnatur. Partes oleoſo-ſpirituoſæ, et reſinoſo-gummeæ non tantum ex odore, ſapore, et colore flaveſcente, aut flavo-rubente, patent, ſed deſtillatione pariter manifeſtæ redduntur. Tranſit enim in receptaculum, blando tamen igne adhibito, aqua gratioris, quam infuſum, odoris et ſaporis balſamici, et in fundo materia levis, rara, nigricans, reſinoſo-gummea, relinquitur, quæ, uti *Excellentiſſ. Dn. Prof.* QVELLMALZ obſervavit *(a)*, ſuperfuſæ aquæ fontanæ ſaporem amarum communicat, et ſyrupo violarum colorem viridem inducit. Viridis hic color teſtatur quidem de ſalis alcalici præſentia, non credendum tamen eſt, hoc dudum adfuiſſe in infuſo, ſed ſumme potius probabile eſt, iſtud ſub finem deſtillationis, cum materia ſicca evaderet, interveniente partium metamorphoſi, ac nova compoſitione, genitum fuiſſe. In infuſo enim nullæ partes alcalicæ, ſed

(*a*) Vid. George Berckeley Nachricht von Theer-Waſſer p. 79.

ſed potius acidulæ ſeſe manifeſtant: Sapor nempe acidulus eſt, et in ſyrupo violarum, addito hoc infuſo, confeſtim color rubicundus naſcitur, immo, oleum tartari per deliquium, modica quantitate eidem inſtillatum, lenem effervefcentiam excitat.

§. VII.

Dominus BERCKELEY, et complures alii multas ac plane eximias vires medicas, *diaphoreticas* nempe, *diureticas*, *purificantes*, *antiputredinoſas*, *travmaticas*, *attenuantes*, *aperitivas*, *roborantes*, *ſtomachales*, *pectorales*, *uterinas*, *antiſcorbuticas* etc. huic infuſo tribuunt, idemque proinde adfectibus ſcabioſis, cachecticis, catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis, et antiſcorbuticis, nec minus gonorrhoeæ virulentæ, aliisque ſymptomatibus venereis, itemque hydropi, dolori nephritico et colico; paſſioni hypochondriacæ atque hyſtericæ, fluori albo, pleuritidi, peripnevmoniæ, aſthmati, obſtructioni viſcerum, exulcerationi renum, inteſtinorum, pulmonum etc., imbecillitati ventriculi, febribus intermittentibus, atque continuis malignis, numeroſisque morbis aliis egregie mederi, et ſpecifice inprimis ad malignitatem variolarum, ac reliquorum exanthematum, tum præſervandam, tum ſubigendam, valere, teſtantur. Alii contrariam tueri ſuſtinent ſententiam, nec adeo ſingularem illi virtutem adſcribendam eſſe,

exiſti-

exiſtimant. Quod me attinet, viam mediam hoc loco tutiſſimam judico. Certo namque certius eſt, infuſum hoc activis principiis, tam fixis reſinoſo-gummeis, quam volatilibus oleoſo-ſpirituoſis balſamicis, et ſalino-acidulis, turgidum eſſe, et quoscunque igitur motus naturales, blande agitando, leniterque ſtimulando, in fluidis ac ſolidis intendere, humores, tum commovendo, tum diluendo, attenuare, partes putridas deſtruere, fervorem bilis refrenare, et ſe-et excretiones augere, adeoque ſuccis depurandis, obſtructionibus tollendis, morbisque ideo multis ac variis profligandis exiſtere aptiſſimum, præſertim, cum indolem ſatis temperatam obtineat, quoniam particulæ fixæ reſinoſo-gummeæ, et volatiles oleoſo-inflammabiles calidiores larga aquæ copia et refrigerantis ſalis aciduli miſcela ſufficienter contemperantur.

§. VIII.

Medicamentum hoc quocunque anni tempore in uſum vocari, idemque, pro morborum diſcrepantia, nunc diutius protrahi, nunc arctioribus temporis limitibus includi poteſt. Hauritur vel frigidum, vel tepidum, prout ſcilicet ægrotantes illud melius perferunt. Quantitas quotidiana pro ſubjectorum, et ventriculi inprimis diverſitate variat, generalius tamen apud adultos a libra dimi-

dia

dia ad integram, immo duas interdum libras adſcendit, et, in duas, tres, quatuor, portiones primarias diviſa, mane et veſperi, vel mane, veſperi, et prima, ſecunda, aut tertia hora poſt prandium, non uno tamen hauſtu, ſed ſucceſſive, adſumitur. Apud multa ſubjecta in principio, præſertim tempore matutino, nauſeam et ventriculi dolorem provocat; quæ incommoda ſenſim tamen, vel ſponte, vel imminuta infuſi quantitate, vel ſumto prius jentaculo, ceſſant.

§. IX.

Auctor antea laudatus externum quoque uſum in ulceribus refractariis, putridis, malignis, ſi ſæpiuſcule nimirum eodem eluantur, ſaluberrimum pronuntiat, immo, magnum ab illo, ſub balnei tamen forma adhibito, auxilium in adfectibus ſcabioſis, paralyticis, rheumaticis, et ſpasmodico-convulſivis partium externarum exſpectat. Lavamentum ex una parte picis liquidæ, et partibus duabus aquæ ebullientis præparatur, et, diuturniori agitatione cum baculo ligneo fortius redditum, poſt decurſum ſex vel octo horarum decantatur; ad præparationem balnei autem, quod debilius eſſe debet, alia picis et aquæ proportio requiritur, et uni picis liquidæ parti quinque ad minimum aquæ ferventis partes ſuperfundendæ ſunt.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

DE

TEREBINTHINA, BALSAMO PERVVIANO, BALSAMO DE COPAIVA, ALIISQVE HVJVS COMMATIS BALSAMIS.

§. I.

Terebinthina, Terpentin, eſt balſamus nativus, ſeu liquor ſpiſſiuſculus, viſcoſus, pellucidus, reſinoſo-oleoſus, colore ſubflavo, ad coeruleum aut viridiuſculum nonnihil vergente, vel pallide ſaltem flaveſcente tinctus, et ſapore acri, amaro, reſinoſo, odore autem forti ac gravi balſamico donatus. Vulgo tres ſpecies a ſcriptoribus recenſentur: Prima ſpecies ex trunco inciſo *Arboris Terebinthi vulgaris* in *inſulis Cypro* atque *Chio*, nec minus in *Hiſpania*, et *quibusdam Galliæ provinciis* promanat; altera ſpecies eodem modo in *Norwegia*, *Ruſſia*, *Helvetia*, *Italia*, *Gallia* etc. e *Laricibus*, et tertia denique e *Pino ſativa* colligitur. Nonnulli hiſce quartam adhuc ſpeciem jungunt, eamque ex trunco ſauciato *Arboris Terebinthi conis ſurſum ſpectantibus* effluere referunt. Terebinthina Chia ac Cypria, quæ optima exiſtit, et colorem ſubviridi albicantem obtinet, hodie

die in officinis noſtris rariſſime proſtat, ſed, quæ venditur, plerumque laricea eſt, aut alia ſpecies ignobilior, liquida pini et abietis lachryma haud raro permixta. Olim ſola terebinthina Chia et Cypria adpellata fuit *terebinthina Veneta*, noſtra vero ætate ordinario lariceam ita nuncupant.

§. II.

Ad naturalem terebinthinæ lariceæ, ceu hodie uſitatiſſimæ, mixtionem partes *aqueæ*, *ſalino-acidulæ*, *reſinoſæ*, et *oleoſæ* concurrunt. Facile hæc elementa deſtillatione humida et ſicca proferuntur in apricum: Quando ſufficienti aquæ ſimplicis quantitate e veſica deſtillatur, ſucceſſive oleum eſſentiale æthereum, mobiliſſimum, limpidum, fragrantiſſimum, quod vulgo, quanquam minus recte, *ſpiritum terebinthinæ* vocant, cum valde ſpirituoſa et acidula aqua in receptaculum tranſit, in veſicæ autem fundo maſſa inſpiſſata, flava, reſinoſa, ſeu ſic dicta *terebinthina cocta*, relinquitur. Si, loco deſtillationis humidæ, blanda deſtillatio ſicca in retorta vitrea adornatur, cum liquore acido ſpirituoſo primo oleum tenue, limpidum, penetrabile, deinde, igne paullulum aucto, flaveſcens, præcedente craſſius, tandemque, majori nempe adhibito caloris gradu, rubrum, lenteſcens, ac valde craſſum expellitur, et in retortæ fundo maſſa rubra remanet, quæ

frige-

frigefacta dura atque friabilis eſt, et macriorem *Colophonii* ſpeciem ſiſtit. Olei quantitas pro deſtillationis diſcrepantia variat. Si terebinthina enim liquida per ſe in balneo mariæ deſtillatur, libra una, obſervante NEVMANNO *(a)*, uncias duas cum ſemiſſe reddit, et ex reſiduo, cum aqua poſtea deſtillato, adhuc integra uncia elicitur: Sin ſtatim vero in veſica humidæ deſtillationi ſubjicitur, binæ ſaltem unciæ et drachmæ tres colliguntur; manifeſto documento, numeroſiſſimas olei moleculas in aquæ poris relinqui. Largiſſima itaque collectio ſub deſtillatione ſicca ex retorta, arenæ impoſita, accidit: Primo nempe unciæ duæ olei eſſentialis, deinde unciæ duæ, totidemque drachmæ olei flavi; et ultimo tandem unciæ duæ et drachmæ quatuor vel quinque olei craſſi, tenacis, adeoque conjunctim ſeptem circiter unciæ prodeunt. Monendum tamen, activum liquorem aqueo-ſalino-acidulum ab initio usque ad finem deſtillationis ſimul cum oleo exſtillare; et notabilem proinde in terebinthina liquida totius ponderis partem conſtituere.

§. III.

Refertur terebinthina liquida ad *travmatica* et *validiora diuretica*, rarius tamen, et ſub forma duntaxat emulſionis, vel ovi vitello admiſta,

(a) L. c. p. 1067.

admiſta, contra tuſſim inveteratam, aſthma pituitoſum, nephritidem mucido-ſabuloſam, gonorrhoeam virulentam, et fluorem album interne præſcribitur. Externe pleraque emplaſtra reſolventia, diſcutientia, maturantia, conſolidantia, nervina etc., immo unguenta nonnulla ingreditur. Uſus olei eſſentialis ætherei, aquæ ſpirituoſæ oleoſo-acidulæ, et terebinthinæ coctæ latius patet, eorundemque igitur exhibitio interna paullo frequentior eſt. *Oleum eſſentiale æthereum* ſumma penetrabilitate gaudet, adeoque una vice paucæ ſaltem ejusdem guttulæ ad urinam, quam violaceo odore imbuit, pellendam, ſudorem movendum, mucum tenacem pectorio attenuandum, et ulcera partium internarum conſolidanda in congruo vehiculo propinantur. Externe, tepide affrictum, tumores duros, frigidos, oedematoſos diſcutit, et in tendinum atque nervorum læſionibus, ſi per ſe, aut cum balſamo Peruviano mixtum, adplicetur, egregium ac plane ſpecificum remedium præbet. *Aqua*, tenerrimis atque mobiliſſimis particulis oleoſis, et ſalinis acidulis turgida, infuſo picis liquidæ analoga eſt, paullo majorem tamen activitatem poſſidet, et diuretica inprimis, ſudorifera, ſtomachali, antiputredinoſa, antiſcorbutica, virtute illud ſuperat. *Terebinthina cocta*, propter ſubtiliſſimi olei eſſentialis jacturam, viribus remiſſioribus donata reperitur, et, tanquam

abſtergens, reſolvens, aperitivum, diureticum atque travmaticum remedium, pilulis, quæ contra varios morbos chronicos, a refractaria viſcerum obſtructione, partiumque internarum exulceratione, vel ingenti etiam humorum, præſertim lymphæ, ſpiſſitudine atque muciditate præcipue oriundos, præſcribuntur, ea quantitate additur, ut in una doſi non facile ultra ſcrupuli dimidii pondus adſcendat. Idem de *Colophonio* dicendum erit, quod ex vulgari terebinthina cocta naſcitur, quando coctio diutius protrahitur, et maſſæ antea flavæ color rubro-ſubfuſcus cum macritudine majori inducitur. Externe tum terebinthina cocta vulgaris, tum colophonium, loco terebinthinæ liquidæ, præſertim ſi circumſtantiæ moderatam ſolummodo operationem poſtulant, inter emplaſtra emollientia, reſolventia, antiſpasmodica, et vulneraria recipitur, et pulveriſatum quoque colophonium variarum partium vulneribus inſpergitur. *(a)*

§. IV.

(a) BOERHAVIVS in *Chemiæ Tom. II. p. m. 131. ſequ.* diverſa terebinthinæ olea, induratumque reſiduum majoribus adhuc encomiis ornat; quare ea pariter, quæ loco cit. propoſuit, huc transferre conſultum duco: „Olea, *ſcribit*, primo egre„dientia, levia, limpida, tota inflammabilia, vo„latilia, valde penetrantia, amara, uſum habent „ingentem in Chirurgicis: nam membranis, ner„vis tendinibus, laceratis, punctis, ſectis, ſemi„ſectis, calide infuſa incomparabilia anodyna,

§. IV.

BALSAMVS PERVVIANVS in *Album* et *Nigrum* dividitur: Albus, qui rariſſime ad nos defertur, in *regno Peruviano* et *Mexicano* ſponte ex inciſis certis arboribus, *Cabu-* [illegible] *reiba*

„ antiſpaſtica, conſolidantia ſunt. Arteriis, ve-
„ niſque, in magnam hæmorrhagiam læſis, prom-
„ tiſſimum, ſecuriſſimum, ſtipticum, præſtant, eo
„ inprimis laudandum, quod ſimul nervis proſpi-
„ ciat, ſiſtat putredinem, conſolidetque. Opor-
„ tet tum valde calidum applicare, ſpleniis ap-
„ preſſis ad locum detinere. Videatur Autor
„ Anglus, qui de hac re ſcripſit tractatum inte-
„ grum Jacobus Yonge, titulo Currus triumphalis
„ e Terebintho, Londini 1679. in octavo. An-
„ tiſeptica mirabilis virtus ejusdem eſt: nam ani-
„ malium quorumcunque corpora, vel partes,
„ immerſa huic liquido aliquamdiu, dein exemta,
„ parum in aere ſuſpenſa, iterum, iterumque, in-
„ uncta hoc oleo, tandem cruſtam induunt, ſub
„ qua conſervari queunt quam diutiſſime, atque
„ ab omni putrefactione præſervari. Quæ autem
„ in oleo hoc immerſa detinentur in lagenis in-
„ corrupta conſtant penitus. Id unum incommo-
„ di habet, quod ſenſim opacum evadat, ſpiſſum-
„ que. Tumores frigidos, lentos, mucoſos, cali-
„ dum hoc oleum affrictum ſæpe diſcutit; partes
„ defendit contra frigus; laxat easdem, emollit-
„ que. Interno uſu quoque aperit, calefacit, ſu-
„ dores, urinam, movet, hanc odore violaceo
„ penetrabili inficit: unde in febrium intermit-
„ tentium paroxyſmo frigido ſolamen affert, ut
„ et ſpina dorſi, eo inuncta, ante acceſſum frigo-
„ ris, tantum boni præſtat, ut in ipſis Quartanis

reiba dictis, profluit, et fluiditate, fragrantia, atque virtute majori præditus eſt; niger vero, ſeu potius rubro-nigricans, cujus in Officinis pharmacevticis ſufficientem ubique copiam

„hoc modo uſurpatum, remedio fit. Cavendum „tamen,: nam nimia potum copia, caput petit, „æſtum ibi, et dolorem excitat, tum vi immani „urgens Diabeten, fluxum liquoris proſtatarum, „et ſeminis inducit, moderato hinc uſu ſolet ſtimulare in Venerem. Hinc evenit, ut et nomen acceperit in curanda Gonorrhoea virulenta, uſu ſæpe funeſto: quum ſoleant largiore „uſu genitalia incendere, adeoque exacerbare „id malum. --- Olea, quæ ſpiſſiora prodeunt „in hac deſtillatione, ſunt magis balſamica, con„ſolidantia, dolorem nervorum ſopientia, minus „penetrantia, plus emollientia; hinc in homini„bus calidioribus, in inflammationes pronis, lo„co prioris balſami tenuis in uſus ſtipticos adhi„bentur; cæteris paria priori oleo. Vltimum „vero craſſum, tenaxque, pulcherrimum eſt con„ſolidans, fere ſine ſuppuratione agens ſanando, „viribus anodynis præſtantiſſimum. - - - Tere„binthinæ puriſſimum reſiduum, quod ſupereſt a „deſtillatione per aquam facta, aut poſt eductio„nem primi olei et ſpiritus, ex eadem, in frigo„re durum, friabile, pellucidum rubrum. Huic „leniſſime liquefacto, ſi immittitur inſectum ali„quod, atque iterum educitur prudenter, circum„quaque cruſtulam circumapponit pellucidam, „Succini inſtar, per quam incluſum conſpici que„at aſſervatum diu, et intactum, pulchro ſatis „ſpectaculo; modo nitor polituræ non deturpe„tur: quod nimis facile fit, propter ſummam te„neritudinem hujus reſinoſæ cruſtæ. Quando „autem Colophonia ſumitur, poſt ſecundam de-

piam habemus, ab incolis coctionis beneficio cum aqua ſimplici ex foliis et ramis conciſis extrahitur, poſteaque, ad aquæ ſuperficiem emergens, apto quodam inſtrumeuto auffertur. Colorem rubro-nigricantem a vulgari foliorum, corticis atque ligni extracto mutuat, quod ſub coctione quoad aliquam partem miſcetur: Et inde etiam, ut et a ſpiritus notabili jactura ſpiſſioris conſiſtentiæ ratio petenda erit. Odorem cæteroquin ſatis fortem ac gratum balſamicum, et acrem, amarum, atque reſinoſum ſaporem obtinet.

§. V.

Species poſterior, quæ, deficiente priori, apud nos medicis uſibus ordinario impenditur, ex partibus *oleoſis eſſentialibus æthereis*, et *fixis reſinoſis* conſtat. Oleum æthereum, cujus unica circiter uncia, teſte HOFFMANNO *(a)*, ex integra balſami libra ſub blanda deſtil-

„ſtillationem reſidua, hæc durior erit, et rubi- „cundior, quæ in tenuem pollinem quam facilli- „me conteri ſe patitur, in quo odor, ſaporve „multus non obtinet. Hic ille nobilis pulvis eſt, „qui oſſibus denudatis, perioſteo, tendinibus, „muſculis, læſis, per ambuſtiones, corroſiones, „contuſionem, puncturam, lacerationem, ſemi- „ſciſſionem, adeo utilis eſt. Qui fluxui ſeroſo „articulari pulcherrimum dat remedium; quin „et cicatrici obducendæ optimum habetur. Com- „peſcit etiam fungoſas ulcerum excreſcentias ſi- „mili modo applicatum. etc.

(a) In Obſ. phyſico-chym. p. 71.

deſtillatione humida prodit, rubrum eſt, atque fragrantiſſimum, magnam tamen ad ſui ſolutionem ſpiritus vini quantitatem poſtulat. Reſidua maſſa reſinoſa, ablato oleo, debilior quidem evadit, virtute nihilominus et fragrantia non deſtituitur, adeoque activis medicamentis travmaticis, atque nervinis adhuc jure meritoque accenſenda eſt. Partibus oleoſis et reſinoſis acidulum quoque ſal eſſentiale, longe minori tamen quantitate, quam in terebinthina, implicitum hæret; quare non adeo ſingularis quoque ejusdem ratio hoc loco habenda erit.

§. VI.

Ob valde temperatam indolem balſamus Peruanus non terebinthinæ ſolum, ſed pleriſque etiam reliquis liquoribus nativis balſamicis præferri meretur. Eminentem omnino locum inter *nervina*, *ſtomachalia*, *pectoralia*, *antiputredinoſa*, *travmatica*, ac blanda pariter *diuretica* occupat, multumque ideo contra inſultus epilepticos, imbecillitatem ventriculi, phthiſin, aſthma pituitoſum, adfectus ſcabioſos, exulcerationem inteſtinorum, renum atque veſicæ, gonorrhoeam virulentam, dyſenteriam, coeliacam, lienteriam etc. valet. Interne a guttis aliquot ad ſcrupulum ſemiſſem, et ultra, cum ſyrupo quodam, aut vitello ovorum, aut juſculo, vel etiam ſub forma elæoſachari et tincturæ exhibetur.

hibetur. Frequentiſſime praeterea pilulis, bolis, et electuariis doſi refracta additur. Externe in ulceribus atque vulneribus cujuscunque generis, maxime autem in puncturis nervorum ac tendinum, nec minus in capitis vulneribus, imbecillitate articulationum, et convulſivis atque paralyticis adfectibus auxilium plane egregium praeſtat. Vario modo, nunc per ſe, nunc melli roſarum, aliisque linimentis, unguentis, et emplaſtris mixtus, nunc in ſpiritu vini ſolutus, adplicatur.

§. VII.

BALSAMVS COPAIVVS, ſive BALSAMVS DE COPAIVA vel COPAIBA praecedente Peruviano calidior eſt, longeque vilior, et liquorem ſiſtit ſubflavum, viſcoſum, tenacem, reſinoſo-oleoſum, odore fragrante, ſapore acriuſculo, amaricante, aromatico, praeditum. Adfertur ex *Braſilia*, ubi ex vulnerata quadam arbore ſtillat, quam Botanici *Arborem balſami veram*, itemque *Arborem Braſilienſem fructu monoſpermo*, incolae vero *Copaif*, *Copahu*, *Copaiba* vocant. Occurrit duplex hujus balſami ſpecies, altera nimirum *limpidior*, *albicans*, vel *pallide* ſaltem *flaveſcens*, *odoratiſſima*, altera *ſpiſſioris conſiſtentiae*, *coloris aurei*, et *ingratioris odoris*.

§. VIII.

Ad terebinthinam, conſiſtentia non minus, quam indole, propius, quam Peruvianus, accedit, et *eſſentiali oleo æthereo* adeo abundat, ut ex libra una plerumque quinque, immo ſex unciæ humida deſtillatione elici queant. Oleum hoc, quod forti, nec ingrato odore aromatico, et penetrante ſapore acri, amaricante pollet, in principio limpidum eſt, temporis vero ſucceſſu pallide flaveſcentem colorem induit. (a) Portio reſinoſa, in veſica

rema-

(a) B. FRID. HOFFMANNVS multas huic oleo, easque eximias, virtutes tribuit: „Miſcuimus, „*ſcribit in Obſ. ſæpe allegatis p.* 22., id cum dupla „portione axungiæ humanæ, quod linimentum „partibus, paralyſi tactis, et tono, ſenſu, et mo„tu deſtitutis, eximium attulit robur. Neque „minus partibus ex podagrico dolore imbecillio„ribus redditis, et ad motum minus idoneis egre„giam et commodam opem adfert. Præterea ex „eo balſama vulneraria et pectoralia ad uſum in„ternum confici poſſunt egregia, ſi v. g. id ipſum „cum oleo hypericonis bene præparato, cum „ſpermate ceti, oleo vitellorum ovorum miſcea„tur, adjectis aliquot guttulis olei ligni ſaſſafras, „macis, foeniculi veri, ſique cum emulſione, vel „lacte aſinino, vel caprino balſamum ſumitur. „Hoc balſamum in pulmonum apoſtematibus, in „ulceratione renum, veſicæ atque proſtatarum, „ſi cum adhibita prudentia uſurpetur, evidens „auxilium et fructum non contemnendum inde „percepturos non dubito. Hoc oleum balſami„cum promte per alcohol vini ſolvitur, ſed hu„jus partes quatuor ad unam partem olei, ut

remanens, admodum tenax eſt, viribus tamen ita adhuc inſtructa reperitur, ut inter reſinas activas locum mereatur, et cum inſigni inprimis fructu emplaſtris nervinis, reſolventibus, atque travmaticis addi poſſit.

§. IX.

Maximam quidem partem, quoad vires et uſum, tam internum, quam externum, balſamus hic cum Peruviano convenit, ob olei tamen copiam paullo calidiorem naturam, uti ſupra pridem monui, poſſidet, adeoque in quibusdam etiam caſibus cautius uſurpandus erit. Virtute diuretica balſamum peruvianum nonnihil ſuperat, et in calculo proinde, nephritide ſabuloſa, et urinæ ſuppreſſione, ſi pellentia ſcilicet tuta inveniantur, ſæpius quam ille, exhibetur. Majorem quoque efficaciam in gonorrhoea virulenta, aliisque ulceribus venereis monſtrat.

 §. X.

„commodior fiat ſolutio, requiruntur. Si loco „ſpiritus vini tinctura tartari vel antimonii acris „adhibeatur, et ſpiritus nitri dulcis admiſceatur, „medicamentum, quod potenter urinam movet, „naſcitur, quod in adfectibus rheumaticis, cache- „cticis præſtantiſſimæ eſt efficaciæ. Elæoſacha- „rum ex eo parátum plane balſamicum ſaporis „jucundioris, quod in atonia ventriculi, in tuſſi „ſtomachali et inteſtinorum nimia laxitate et fla- „tulentia, in paralyticis quoque affectibus cum „vino Hiſpanico vel Hungarico ſumtum magno „præſidio eſt. etc.

§. X.

Balſamis liquidis nativis hactenus deſcriptis etiam OPOBALSAMVM, BALSAMVS TOLVTANVS, et LIQVIDAMBARVM jungi poſſunt: Monendum tamen, ſpecies haſce rarius ad nos deferri, et vario præterea mangonio plerumque deturpatas eſſe. *Opobalſamum*, quod etiam *Bálſamus de Mecha*, *de Gilead*, itemque *Balſamus Indicus*, *Ægyptiacus*, *Aſiaticus*, *Judaicus*, *Jeruchuntinus*, *Memphiticus*, *Arabicus*, *Syriacus* etc. dicitur, in Officinis noſtris rariſſime, vel rectius, nunquam, reperitur genuinum, ſed quod vulgo pro eo venditur, ad artis magis, quam naturæ, producta pertinet, et plerumque ex balſamo de Copaiva, et grato quodam oleo æthero componitur. Verum opobalſamum olim in *Syria*, *Arabia felici*, et *variis Ægypti locis* ex inciſa quadam *arbuſcula* promanabat, noſtra vero ætate unice ferme ex *arbuſculis balſamiferis*, quæ in horto quodam prope *Cairum* ſtudioſe coluntur, poſt vulnerationem profluit, et modica quantitas, quæ ibi quotannis colligitur, ad Imperatorem Turcicum mittitur, et aliqua etiam ex parte ad manus magnatum pervenit. Genuinum, limpidum, albicans, fragrantiſſimum, acre, aromaticum, ac ſumma penenetrabilitate donatum eſſe dicitur. Rami et lignum hujus arbuſculæ ſub *Xylobalſami*, baccæ autem ſub *Carpobalſami* nomine venduntur.

tur. *Balſamus Tolutanus* ſive *de Tolu* in *Tolutana regni Peruviani provincia* ex ſauciata arbore, pino noſtrati minori haud diſſimili, exſtillat, et ab Hiſpanis ad alias gentes transvehitur. Colore aureo balſamum de Copaiva, odore pomum citreum, conſiſtentia atque virtute balſamum de Peru æmulatur. *Liquidambarum* ſive *Ambra liquida* liquorem reſinoſo-oleoſum exhibet, craſſiuſculum quidem, terebinthina tamen tenuiorem, ex flavo rufeſcentem, acrem, aromaticum, ejusdem ferme, quo ſtyrax ſolida, odoris. Arbor, quæ vulnerata hunc balſamum fundit, in *America* creſcit, et *Platanus Virginiana ſtyracem fundens*, ſive *Styrax Mexicana aceris folio* a botanicis nuncupatur.

* *

CAPVT XXXVIII.

DE SEMINE FOENICVLI, ET ANISI, TAM VVLGARIS, QVAM CHINENSIS.

§. I.

Duplex FOENICVLI SEMEN in Officinis proſtat, alterum *Vulgare Germanicum*, alterum *Dulce Florentinum* ſive *Romanum*. Illud ignobilius eſt, hoc præſtantius, et frequentioris proinde uſus medici. Foenicu-

niculum vulgare paſſim in locis ſylveſtribus creſcit, dulce autem apud nos ſolummodo in hortis colitur. In *Hetruria* et *territorio Romano* uberior poſterioris proventus eſt; hinc maxima etiam ejusdem quantitas inde ad pharmacopolia noſtra transmittitur. Semina hæc oblonga ſunt, coloris ſubviridis, ſtriis tamen, eminentibus, ſpadiceo-albicantibus, aut pallide flaveſcentibus diſtincti, ſaporis dulcis ac ſimul acriuſculi, odoris grati aromatici. Semina foeniculi vulgaris cum præcedentibus quidem conveniunt, paullo tamen longiora ac minus craſſa ſunt, et dulcedine minori, acredine ex adverſo majori gaudent.

§. II.

Turgent foeniculi, præſertim Romani, ſemina *oleo dulci* et *aromatico*, indeque præcipuam ſuam virtutem mutuant. Duplicis tamen id ipſum generis eſſe videtur: Alia enim portio, eaque maxima, fluidior atque ſpirituoſior eſt; et humida itaque deſtillatione ſeparatur; altera vero craſſior atque viſcoſior exiſtit, et expreſſionis aut extractionis beneficio in apricum deducitur. Oleum deſtillatum æthereum in calore ſatis fluidum eſt, et colorem flaveſcentem, odorem fragrantem, dulciſſimumque ac ſimul acrem aromaticum ſaporem obtinet; in frigore vero coagulatur, et albedinem induit, ita, ut magis butyrum, aut aliam quandam pinguedinem,

nem, quam oleum, referat. Materia oleoſa, viſcoſior, ſub infuſione ſpirituoſa ſimul extracta, blanda inſtituta evaporatione, ſenſim a maſſa reſinoſa ſecedit, adeoque quoad maximam partem ſeorſim colligi poteſt. Poſt oleum, intuitu virtutis, principium reſinoſum collocandum eſt, in gummoſo autem parum vel nihil activitatis latet: Nam flaveſcens infuſum ſpirituoſum primum ſatis fortem foeniculi odorem ſpirat, et acrem aromaticum ſaporem, dulci mixtum, poſſidet. Perſeverant etiam hæ dotes in flavo-fuſca maſſa inſpiſſata, et odor ſolummodo, propter partium oleoſarum ablationem, debilior evadit. Infuſum vero aquoſum primum debilem quidem foeniculi odorem, aſt ingratiorem, eructat, et in ſapore parum ſaltem dulcedinis, nihil autem acredinis ſeſe manifeſtat. Extractum vix melioris conditionis eſt, et, licet quidem ſemen foeniculi paullulum adhuc redoleat, nullum tamen ſaporem poſſidet ſingularem, ſed eodem rob ſambuci quodammodo æmulatur. Ex uncia ſeminis una tres ferme drachmas extracti ſpirituoſi, et paullo majorem extracti aquoſi primi quantitatem impetravi.

§. III.

Commovendo, diſcutiendo, ac leniter quoque ob dulcedinem demulcendo hæc ſemina operantur, adeoque *ſtomachali*, *carminativa*,

nativa, *pectorali* et *anticatarrhali* virtute ſeſe magnopere commendant, immo inter *antinephritica* et *galactophora* medicamenta collocari merentur. Frequentiſſime igitur ſub forma infuſi vinoſi, aut decocti in torminibus ventris, adfectibus frigidis flatulentis, vertigine ſtomachali, inflatione ventriculi poſt paſtum, coryza, raucedine, tuſſi, aſthmate, tumoribus glandularum, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, ſtranguria etc. præſcribuntur. Decoctum aquoſum, ob notabilem partium ſpirituoſo-oleoſarum jacturam, infuſo vinoſo longe debilius eſt, ordinario nihilominus eligitur, quando ſemen hoc, ad uberiorem lactis proventum apud nutrices procurandum, in uſum vocatur; in reliquis vero caſibus infuſum vinoſum ſemper præſtantius exiſtit. Proſtat etiam ſemen ſacharo obductum. Externe vapor decocti in viſus imbecillitate conducit, et ipſa ſemina recentia contuſa, partibus ſugillatis, et mammarum tumoribus impoſita, multum ad ſanguinem extravaſatum, et lac coagulatum diſcutiendum ac reſolvendum valent.

§. IV.

Cum foeniculi ſeminibus SEMINA ANISI VVLGARIS tam *minora*, quam *majuſcula*, quoad principia conſtitutiva, naturam, vires, et uſum valde conveniunt; adeoque multa de iis dicere haud attinet. Parva ſunt, ſubro-

ſubrotunda, in acumen deſinentia, ſtriata, colore ſubviridi, aut ſubviridi-ſpadiceo, odore grato atque fragrante balſamico, ſapore ſubdulci et aromatico. In *Thuringia* et *territorio Bambergenſi* Aniſum copioſe in agris ſeritur, indeque magna quotannis ſeminis quantitas aliorſum evehitur: Creſcit tamen in multis quoque regionibus aliis, et illa inprimis ſpecies, quæ ex inſula *Malta* adfertur, optima judicatur. Virtus hujus ſeminis unice ab *oleo eſſentiali æthereo*, et *ſubſtantia fixa reſinoſa* dependet, in parte *gummea* enim, etiamſi in uncia una drachmas duas ac totidem ferme ſcrupulos pondere attingat, nulla activitas notatu digna deprehenditur. Oleum eſſentiale æthereum largius quidem inhæret, non adeo copioſe tamen poſt humidam deſtillationem colligitur, quoniam difficilius ſeparatur, multumque, ad ſuperficiem, ob eandem fere cum aqua gravitatem ſpecificam, adſurgere renuens, in aquæ poris remanet. In calore perfecte liquidum eſt, atque ſubflavum, in frigore autem, æque ac foeniculi oleum, in maſſam, pinguem, albiſſimam, coagulatur. Præter oleum æthereum parum quoque *olei craſſioris*, expreſſione duntaxat ſeparabilis, adeſt, ita tamen, ut hoc magis in parte ſeu ſubſtantia ſeminis interiori, illud autem in cortice hoſpitetur. Inſpiſſata ſubſtantia fixa reſinoſa, cujus circiter drachmam unam et grana viginti octo ex integra

tegra ſeminis uncia impetravi, nigricans eſt, odoris balſamici ſpecifici, et ſaporis dulcis atque aromatici, cui leniſſima tamen amarities admixta ſentitur. De viribus nihil addam, quoniam ſemen aniſi, uti antea pridem monui, foeniculi ſemini haud diſſimile eſt, et commode in ejus locum ſurrogari poteſt. Præſcribitur in infuſo vinoſo et aquoſo theiformi, rarius in decocto, et ſubinde etiam maſticatoriis et pulveribus pepticis groſſioribus ſive ſic dictis *Trageis*, miſcetur. In Officinis quoque *Semen conditum* proſtat.

§. V.

SEMEN ANISI STELLATI, ſive SEMEN BADIAN, Stern-Aniß, ex *India orientali*, et *Ruſſia* ad nos defertur. Planta, cujus genus tamen et ſpecifici characteres nondum ſatis innotuerunt, *Aniſum ſtellatum*, itemque *Aniſum peregrinum*, *Indicum*, *Chinenſe*, *Exoticum inſularum Philippinarum* etc. vocatur, et in *China* inprimis, *Tartaria orientali*, et *Inſulis Philippinis* creſcere traditur. Ad uſum medicum magis capſulæ ſeminales, quam nuclei incluſi ſive ipſa ſemina, expetuntur, quoniam longe majorem præ hiſce activitatem poſſident. Capſulæ hæ, quæ ordinario ex ſex, ſeptem, vel octo radiis, ad unum centrum coeuntibus, conſtant, duræ atque foris rugoſæ ſunt, coloris rubiginoſi, odoris grati fragrantis, ſaporis ſubdulcis et aromatici.

tici. In radiis memoratis ſemina oblonga, depreſſa, lævia, ſplendentia, flavo-ſubfuſca latent, quæ ſubſtantiam molliorem ſive pulpam albicantem, pinguem, ſapore dulci atque ſubacri aromatico præditam, includunt.

§. VI.

Magna reſpectu principiorum ſimilitudo aniſum vulgare et Chinenſe intercedit, et partes *oleoſo-reſinoſæ* in poſteriori paullo calidiori duntaxat indole eſſe videntur. Semina plus olei ætherei ſub humida deſtillatione reddunt, quam capſulæ ſeminales, et hæ ex adverſo acriorem ſubſtantiam reſinoſam continent. Adeſt quoque in utrisque copioſum principium fixum *gummoſum*, quod valde tamen debile reperitur, adeoque parum, vel nihil, ad virium augmentum confert. Nam rubro-fuſcum extractum aquoſum, cujus dimidiam ferme unciam ex integra uncia capſularum impetravi, debilem ſaltem odorem, debilemque ſaporem aromaticum poſſidet; extractum ſpirituoſum vero, licet vix drachmas duas pondere attingat, longe majorem energiam odore non minus, quam ſapore ſuo prodit.

§. VII.

Circa vires nil ſingulare dicendum reſtat, quum ſimplex hoc, ſi majorem operationis vigorem exceperis, perfecte in hoc paſſu

cum ſemine foeniculi et aniſi vulgaris conveniat. Præſcribitur in pulvere, a granis aliquot ad ſcrupulum ſemiſſem, nec raro pariter, doſi tamen largiori, infuſis vinoſis, et aquoſis theiformibus additur. Locum quoque inter maſticatoria moderata tuetur, multumque ad foetorem oris corrigendum, nec minus, ſi impraegnata nimirum ſaliva ad ventriculum defluat, ad digeſtionem promovendam, flatusque diſcutiendos, valet.

CAPVT XXXIX.

DE
SEMINE CORIANDRI ET NIGELLÆ ROMANÆ.

§. I.

SEMINA CORIANDRI OFF., ſive CORIANDRI MAIORIS C. B. ſunt rotunda, ſtriata, ſubfuſca, aut ſubfuſco-albicantia, ſaporis et odoris aromatici. Planta apud nos in hortis colitur, alibi autem, v. g. in *Alſatia*, in arvis ſeritur, immo in *Italia* hinc inde ſponte provenit. Quando hæc ſemina adhuc recentia ſunt, odorem gravem, cerebro et nervis quodammodo nocivum, ſpirant, hinc exſiccata ſolum, halitu viroſo impetuoſiori ſenſim orbata, uſui medico interno impenduntur.

§. II.

§. II.

Continent *partes oleoſas, reſinoſas* ac *gummeas:* Oleum eſſentiale æthereum parcius inhæret, nec adeo larga quoque ſubſtantiæ gummeo-reſinoſæ collectio ſub extractione obſervatur. Extracta et inſpiſſata portio gummoſa rob ſambuci odore et ſapore æmulatur, ac parum activa exiſtit, in ſubſtantia reſinoſa autem, æthereo tamen oleo adhuc prægnante, multum virtutis latet. Nam flaveſcens infuſum ſpirituoſum gratum ſeminis odorem ſpecificum emittit, et acrem aromaticum ſaporem poſſidet. Maſſa inſpiſſata balſamicum quidem odorem retinet, reſpectu ſaporis autem, qui ſaltem ſubacris eſt, debilior deprehenditur; manifeſto documento, oleum eſſentiale præcipuam odoris, ſaporis, et activitatis cauſſam materialem conſtituere.

§. III.

Refertur hoc ſemen inter medicamenta *ſtomachalia, carminativa,* et *cephalica,* nec raro proinde contra ventriculi imbecillitatem, adfectus flatulentos, vertiginem ſtomachalem, incipientem cataractam, coryzam diuturnam, et memoriæ debilitatem præſcribitur. Plerumque adſumitur conditum, vel infuſis vinoſis et pulveribus groſſioribus, qui Trageæ vocantur, rariſſime autem decoctis, additur.

 Externe

Externe epithematum diſcutientium, ac roboranti ingredientia auget.

§. IV.

SEMINA NIGELLÆ ROMANÆ ODORÆ LOB., ſive *Nigellæ flore minore ſimplici candido* C. B., Römiſcher Schwartz-Kümmel, anguloſa ſunt, nigra, ſaporis ſubacris aromatici, odoris fragrantis. Planta alibi ſolummodo in hortis, alibi etiam in arvis ſeritur.

§. V.

Scatet hoc ſemen *principiis fixis*, tam *reſinoſis*, quam *gummeis*, et modicam pariter *olei eſſentialis* quantitatem in mixtione fovet. Oleum partim mobile æthereum eſt, partim craſſius unguinoſum: Hoc expreſſione, aut extractione cum ſpiritu vini, illud deſtillatione humida ſeparatur; virium tamen ratio præcipue ad oleum æthereum, et ex parte quoque ad fixam ſubſtantiam reſinoſam, quæ amaricans et ſubadſtringens deprehenditur, redit; portio gummea autem, ob inertiam ſuam, vix annotationem meretur, licet notabili quantitate inhæreat, ac pondere ſuo ultra drachmas duas in una ſeminis uncia adſcendat.

§. VI.

Tribuuntur huic ſimplici vires *diſcutientes*, *roborantes*, *anodynæ*, *anticatarrhales*, *cephalicæ*,

cæ, *anthelminticæ*, *carminativæ*, *uterinæ* et *ſpecificæ galactophoræ*, adeoque, ſub pulveris, aut infuſi vinoſi forma, nonnunquam contra vertiginem, coryzam rebellem, cephalalgiam rheumatico-catarrhalem, febres quartanas, colicam hyſtericam, fluorem album etc., nec minus ad ſanguinem congrumatum diſſolvendum, fluxum menſtruum et lochialem promovendum, uberioremque lactis proventum procurandum, exhibetur. Externe in gravedine, coryza, hemicrania, vertigine, ſuſurru aurium, obauditione, aliisque capitis adfectibus, præſertim catarrhalibus, multum prodeſt, quando inter epithemata ſicca, cucuphas, pulveres errhinos, et ſuffimigia recipitur. Fumus quoque, per infundibulum admiſſus, vermiculis, in dentibus carioſis hoſpitantibus, inimicus eſt, eosque necat, vel tamen e nido ſuo exturbat.

CAPVT XXXX.

DE SEMINE CINÆ, RVTÆ ET TANACETI.

§. I.

SEMEN CINÆ corpuſcula ſeu granula exhibet parva, oblonga, ex ſquamoſis quaſi funiculis, uti HERMANNVS loquitur *(a)*, com-

(*a*) In Cynoſ. mat. med. p. 151.

compacta, colore ex viridi flaveſcente, odore balſamico, nonnihil tamen ingrato, ſapore ſubacri, amaro, et pariter balſamico prædita. Dicitur etiam *Semen Zinæ*, *Sinæ*, *Chinæ*, *Semen Sanctum*, *Santonicum*, *Semen Zedoariæ*, *Semen Lumbricorum vulgare*, *Semen contra Vermes*, *Sementina* etc.

§. II.

Rariſſime, vel nunquam, perfecte purum ad nos defertur, ſed aridis foliolis, paleis, arenulis, aliisque quisquiliis, quin diverſarum prorſus plantarum ſeminibus, plerumque remixtum venditur; quod puritatis vitium ſubinde quidem mercatorum fraudibus, frequentius tamen ſingulari colligendi modo, a TAVERNIERO deſcripto *(a)*, tribuendum eſt. Plantæ enim, quæ parva hæc ſemina largiuntur, in pratis creſcunt, et, cum horum thecæ, et vicina foliola, ſuperveniente maturitate, cito exareſcant, adeoque priores ſemina facile excidere permittant, incolæ binarum ſportellarum ope excutere illa coguntur; hinc aliter fieri nequit, quin arida foliola, fruſtula capſularum ſeminalium, aliaque heterogenea, ſub percuſſione dejecta, ſportellarum altera, qua ſemina excuſſa præcipue excipere ſolent, ſimul colligant.

§. III.

(a) In ſeinen Reiſen P. II. lib. 3. cap. 15.

§. III.

Circa plantæ memoratæ determinationem, quod noſtro ævo, quo frequentes pridem peregrinationes in quoscunque terræ angulos inſtitutæ fuerunt, utique mirandum eſt, auctores valde diſſentiunt. Præter DIOSCORIDEM enim, multi, tum priſci, tum recentioris ævi ſcriptores, hanc plantam *abſinthii* ſpeciebus accenſent, eamque cum CASP. BAVHINO plerumque *Abſinthium Santonicum Alexandrinum* vocant. CLEYERVS, *Dn. de* IAGER, et complures alii eandem inter *Abrotani* ſpecies referunt, immo nonnulli, uti v. g. ETTMÜLLERVS *(a)*, ſemen cinæ modernum neque abſinthii, neque abrotani Santonici, ſed *tanaceti* ſemen eſſe, opinantur. Similis diſſenſio etiam circa patriam occurrit. Vix laudatus enim TAVERNIERVS, nec minus POMETVS, LEMERY, etc. herbam ſantonicam in *Perſia*, præſertim *Caramania*, et prope *Ruſſiæ* limites, nec minus in regno Tartarico *Boutan* creſcere teſtantur: Alii *Palæſtinam*, *Ægyptum*, et *Arabiam*, alii *Chinam* et quasdam *Indiæ orientalis* provincias patriam illi aſſignant, et alii denique, quorum relatio tamen neotericorum experientiæ prorſus repugnat, in *Galliæ* provincia *Xantonge*, unde etiam hoc ſemen *Xantonicum* dictum putant, uberrimum ejus proventum eſſe, perhibent.

(a) In oper. in Comment. Ludov. p. 560.

hibent. (*a*) Difficile igitur eſt, ſub tanto auctorum diſſenſu, certi quidquam determinare; diffiteri tamen nequeo, ſententiam eorum mihi reliquis videri probabiliorem, qui herbam Santonicam *abrotani* ſpeciem eſſe, nec in una ſolum, ſed pluribus regionibus orientalibus, maxime autem in Perſia, et *Magnæ Tartariæ* regno *Thibet*, ſive Bou-tan, quod in Chinæ et Indiæ confiniis jacet, provenire tradunt. Nam, teſte allegato *Domino de* IAGER, qui diu in India vixit, et plantam Santonicam ſæpiſſime propriis luſtravit oculis, hanc et abrotanum maxima, quoad formam externam, ſimilitudo intercedit. (*b*)

§. IV.

(*a*) Conf. Valentini Muſ. Muſeor. p. 132. ſequ.

„(*b*) Ratio, *in Epiſtola quadam, ad Dn.* GEORG. „EVERHARD. RVMPHIVM *miſſa, ſcribit,* cur ſe„mentinam abrotani, minime vero abſinthii, ſpe„ciem eſſe credam, hujus plantæ forma externa „nititur, quam plus vice ſimplici vidi, et hoc „pariter me impuliſſe fateor, ut vocabulum Ara„bicum *Sjebh*, ſive *Sebela*, uti poſuit illud Rau„wolfius, per *abrotanum* interpretari maluerim, „quam *abſinthium Seriphium*, quoniam notabilis „differentia, uti dictum, circa formam obſerva„tur, et mihi in Perſia præterea et Golkonda re„latum fuit, utramque abſinthii ſpeciem, in phar„macopoliis venalem, non *Sebehh*, aut *Sebeba*, „ſed *Aſſintien*, quod ultimum vocabulum a Græco „*ἀψινθιον* derivatum eſt, adpellari. etc. Vid. Valentini Lib. cit. in Append. Epiſt. III. p. 14.

§. IV.

Valde denique difformes auctorum ſententiæ circa principia activa reperiuntur: Sæpius v. g. allegatus HERMANNVS ſeminibus hiſce *ſalia fixa* tribuit, *alcalicæ* procul dubio indolis, quoniam vermium nidum, quem nonſolum putridum, ſed etiam acidum judicat, deſtruere teſtatur. NICOLAVS LEMERY contrariam ferme, vel admodum tamen diverſam, fovet ſententiam, et ſemina hæc *copioſo oleo*, et *ſale volatili eſſentiali* inſtructa eſſe tradit. Verum enim vero, laudati ſcriptores, et reliqui omnes, qui ipſis largiuntur aſſenſum, a veritatis tramite plus minusve deflectunt, uti hoc ſpágyricá examina, quæ cum ſemine hoc ſuſcepi, ſatis ſuperque confirmant. Primo nempe quatuor uncias humidæ deſtillationi in cucurbita vitrea humiliori ſubjeci, at nihil prorſus olei eſſentialis inde prodiit, licet aqua prolecta forti odore balſamico imbuta eſſet. Non credibile quoque videtur, oleum æthereum ſubſtantiale e longe majori ſeminis quantitate copioſe proditurum eſſe. WEDELIVS enim ex integra libra vix aliquot guttulas obtinuit, et NEVMANNVS pariter in aqua deſtillata leviſſimum duntaxat oleoſi principii veſtigium deprehendere potuit *(a)*: Unde luculentiſſime patet, oleum illud, quod in Officinis quibusdam pro oleo Cinæ venditur,

 non

(a) Lib. cit. p. 780.

non verum atque eſſentiale ejus oleum æthereum eſſe, ſed aliud plane, ſuper Cinæ ſemina ſolummodo abſtractum.

§. V.

Quum unam deinde ejusdem ſeminis unciam cum aqua ſimplici aliquamdiu in blanda digeſtione collocarem, infuſum obtinui fuſco-rubeſcens, ſapore valde amaro, ac moderate ſimul balſamico, et odore ſatis forti, ipſius ſeminis odori ſimillimo, præditum, quod, evaporando ad juſtam conſiſtentiam redactum, extractum præbuit, coloris fuſci, ad nigrum nonnihil inclinantis, odoris debilis, ſaporis amari atque balſamici. Pendebat circiter drachmas tres, et grana aliquot. Reſiduum ſiccatum, ſuperfuſo vini ſpiritu, adhuc ſcrupulum unum extracti reſinoſi reddidit. Alia uncia ſeminis, cum ſpiritu vini digeſtioni temporariæ primum ſubjecta, tincturam ſuppeditavit flavo-brunneam, quæ magis vini ſpiritum, quam ſemina, redolebat, et ſapore balſamico præcedens infuſum aquoſum ſuperabat, amaro autem paullo inferior erat. Extractum inſpiſſatum fuſco-nigricans, cujus pondus ad drachmas duas et ſemiſſem adſcendebat, odorem paullulum quidem ingratum, fortiorem tamen, quam ipſa tinctura, ſpirabat, et ſapore ſatis quoque amaro, atque balſamico, propius præterea, quam in extracto aquoſo, ad ſpecificum ſeminis

minis ſaporem accedente, donatum erat. Ex reſiduo, iteratæ infuſionis ope cum aqua ſimplici, adhuc drachmam integram extracti gummoſi impetravi. NEVMANNVS, uti in ſæpius allegatis *Prælectionibus chymico-pharmacevticis p.* 780. teſtatur, majorem extracti, tam aquoſi, quam ſpirituoſi primi, quantitatem obtinuit; cujus differentiæ ratio ſine dubio diverſæ adhibiti ſeminis puritati, maturitati, ac bonitati adſcribenda erit.

§. VI.

A medicorum plerisque Cinæ ſemini ſolæ vires *anthelminticæ* adſcribuntur, immo ſunt, qui, præeunte THEODORO ZWINGERO *(a)*, medicamentum hoc, abſentibus vermibus, noxium magis, quam utile, futurum, quin ipſos vermes, quod ROCHAS credidit *(b)*, procreaturum, exiſtimant. Attamen, priores virtutem hujus ſeminis cancellis juſto arctioribus includunt, et poſteriores ſententiam tuentur, rationi non minus, quam experientiæ valde contrariam: Hæc quippe docuit manifeſte atque creberrime, Cinæ ſemina non ſolis anthelminticis, ſed egregiis quoque viribus *roborantibus*, *diſcutientibus*, et *antiputredinoſis* inſtructa eſſe; Nec ratio quoque, principiorum indole nixa, ullo modo refragatur, ſed valde potius expe-

(a) Vid. Theat. botan. Lib. III. cap. 103.
(b) Vid. Valentini Muſ. Muſeor. p. 133.

experientiam confirmat. Nam volatile principium balſamicum diſcutiendo æque, ac confortando operatur, et fixa principia reſinoſo-gummea, balſamico pariter atque amaro ſapore donata, roborandi virtutem non ſolum valide augent, ſed putridam etiam ſaburram, ſive illa in prima culina, ſive alibi ſtabuletur, deſtruunt, et imminentem humorum corruptionem prohibent.

§. VII.

Ex virtutibus hiſce generalioribus variæ demum virtutes ſpecialiores deducendæ ſunt, *ſtomachalis* nimirum, *carminativa*, *uterina*, *cephalica*, *nervina*, et *pectoralis*. Dum blande enim balſamica et amara hæc ſemina ventriculi tunicas roborant, et viſcidas atque corruptas cruditates, in eodem collectas, corrigunt, adpetitum augent, et motum periſtalticum, quo digerendi facultas præcipue nititur, vegetiorem reddunt; et, quum flatuum proventus uberior ordinario mucidis impuritatibus, et inde continue naſcenti materiæ rudi perſpirabili, nec minus debili vi expultrici, ſive debili contractioni, quæ tunicarum flacciditatem frequentem agnoſcit cauſſam, tribuendus ſit, in clara pariter luce poſitum eſſe, reor, cur ſemina hæc flatus diſcutiant, ac novam, eamque largiorem, eorum geneſin avertant. Pari propemodum ratione virtutes uterinæ, pectorales, nervinæ,

næ; cephalicæ, explicandæ erunt: Nihil quippe nervis, meningibus cerebri, aliisque partibus membranaceis magis amicum eſt, nihil quoque vividam earum oſcillationem melius excitat, reſtituit, auget, quam blanda balſamica, et modice amara, quæ absque impetu operationem ſuam exercent, nihil denique vegetum pulmonum motum efficacius conſervat, et pituitæ moleſtum, atque perniciosum decubitum impedit, quam laudatæ indolis medicamina: Immo, nullum pharmacorum genus uteri ſtatum magis illibatum præſtat, et fluxus menſtrui inordinatum ſucceſſum, aut plenariam ſuppreſſionem, quibus plerumque ſpasmi hyſterici ſuperveniunt, melius avertit, quam temperata ejusmodi diſcutientia ac roborantia.

§. VIII.

Antiputredinoſæ et ſtomachali virtuti maximam partem ſuperſtruenda eſt ſpecifica virtus anthelmintica: Maximam, inquam, partem; inficias enim ire nequeo, eandem ſimul quoque a ſingulari ſapore et odore, quo ſemina hæc ab aliis corporibus balſamicis et amaris ſeſe diſtinguunt, derivandam eſſe. Promta videlicet vermium in canale inteſtinali excluſio, vegetum eorum incrementum, et ſtupenda nonnunquam multiplicatio plures habent cauſſas, quarum præcipuæ tamen ad ventriculi imbecillitatem, ſaburræ

burræ putridæ ac viſcidæ adcumulationem, et bilis, ceu egregii vermium antidoti, inertiam redeunt. Singulis hiſce vitiis ſemen ſantonicum medetur: Specifici quippe veneni inſtar vermes, qui odorem et ſaporem ejus perferre nequeunt, enecat, cruditates viſcidas ac putridas, quæ nidum et amicum pabulum hoſtilibus hiſce incolis præbent, abſtergit ac corrigit, bili inerti priſtinam amaritiem naturalem reddit, et ventriculum rurſus atque inteſtina ita roborat, ut prior debite reſolvendis eſculentis, poſteriora autem impuritatibus, poſt chyli præparationem relictis, promovendis ac tempeſtive expellendis ſufficiant. Præſtat tamen eidem ſemper laxantia, v. g. rhabarbarum, radicem mechoacannæ albæ, mercurium dulcem, et ſimilia addere, ut vermes occiſi, una cum ſaburra heterogenea et inimica, eo citius atque certius excludantur, nec priores forſan, quando, poſt necem ſuam diutius retenti, in foetidum liquamen putredine reſolvuntur, humores corrumpant, adeoque plus, quam antea, ſanitati noceant. Neceſſe præterea eſt, ut huic pharmaco, ſi vermium cauſſa exhibendum eſt, ſemper dulcia quædam miſceantur, quo vermes eo melius ad deguſtandum antidotum alliciantur, nec, inimicum ſaporem et odorem confeſtim percipientes, ab eſu plane abſtineant.

§. IX.

§. IX.

Uſus hujus medicamenti ſpecialior latius adhuc extenditur, idemque cum inſigni omnino fructu in adfectibus flatulentis et ſpasmodicis, nec minus in morbis ſingulis, qui ex atonia partium ſolidarum, et humorum ſpiſſitudine naſcuntur, adhiberi poteſt. Præter cardialgiam igitur, colicam, paſſionem hypochondriacam et hyſtericam, huc pariter apoplexia pituitoſa, debilitas memoriæ, vertigo, variæ otalgiæ, odontalgiæ ac cephalalgiæ ſpecies, epilepſia ſtomachalis et verminoſa, tuſſis pituitoſa, aſthma frigidum humorale, varia adpetitus atque digeſtionis vitia, profluvia alvina, diabetes, fluor albus, febres intermittentes, cachexia vulgaris et icteritia, gonorrhoea benigna etc. referri merentur. Exhibendi forma variat: Nunc enim ſacharo obductum adſumitur, nunc pulveribus additur, nunc rotulas, morſulos et electuaria ingreditur, nunc in infuſo aut decocto, quæ, pro morbi ac ſcopi differentia, modo cum aqua aut cereviſia, modo cum lacte aut vino paranda erunt, nunc denique ſub tincturæ forma propinatur. Fateri tamen cogor, præſtantiores hoc medicamentum ſimplex vires edere, ſi in ſubſtantia exhibetur, aut inter ejusmodi compoſitiones, in quibus nullius principii jacturam facit, nec naturalis quoque mixtionis

nis deſtructionem patitur, juſta quantitate, quæ generatim a granis aliquot ad integram drachmam adſcendere poteſt, recipitur.

§. X.

Ob virium analogiam Cinæ ſemini SEMINA RVTÆ HORTENSIS LATIFOLIÆ, et TANACETI VVLGARIS LVTEI C. B. jungi poſſunt: Notandum tamen, apud priora virtutem magis in capſulis ſeminalibus, quæ valde fragrantes ſunt, atque oleoſæ, quam in ipſis ſeminibus, latitare. Dantur in pulvere et infuſo vinoſo.

CAPVT XXXXI.

DE SEMINE APII, PETROSELINI, ET DAVCI, TAM VVLGARIS, QVAM CRETICI.

§. I.

SEMINA APII PALVSTRIS C. B., ſive APII OFFICINARVM, parva ſunt, ſtriata, coloris ſubfuſco-aut ſubflavo-ſpadicei, odoris fragrantiſſimi, ſaporis amaricantis et aromatici. Gaudent principiis activis *oleoſis*, *reſinoſis* et *gummeis*; præcipua tamen virtus oleo ingenita reperitur. Oleum partim craſſius et ignobilius *unguinoſum* eſt, partim nobilius *eſſen-*

eſſentiale æthereum. Illud expreſſione difficile ſeparatur, et ſimul cum ſubſtantia reſinoſa extrahendum eſt, hinc pondus quoque exacte determinari nequit: Hoc autem, deſtillando ex integra ſeminis libra prolectum, unam ferme drachmam pendet. Non contemnenda quoque virtute pars reſinoſa inſtructa deprehenditur. Nam flaveſcens infuſum ſpirituoſum primum, fortem, eumque ſpecificum, diffundit odorem balſamicum, et acris, amaricantis, aromatici, ſaporis ſenſum in guſtus organo excitat. Maſſa inſpiſſata ſimilis conditionis eſt, præterquam, quod amarities atque acredo aromatica major adhuc, quam in infuſo, exiſtat. Aliter de ſatis inerti portione gummoſa ſentiendum erit: Hæc enim poſt infuſi aquoſi inſpiſſationem acriuſculo duntaxat, ſubamaricante, ac debili balſamico ſapore pollet. Ex ſeminis uncia una ſcrupulos quatuor et grana duodecim extracti ſpirituoſi primi, et drachmas duas ac totidem ferme ſcrupulos extracti aquoſi primi obtinui.

§. II.

Pertinet hoc ſemen ad ſic dicta quatuor ſemina calida minora, et magnopere inprimis, ob vires ſuas *diſcutientes*, *carminativas*, *aperitivas*, et *diureticas*, in obſtructione viſcerum, calculo, ſuppreſſione urinæ, adfectibus flatulentis, torminibus ventris, tumore

mammarum, a lactis coagulatione oriundo, aſthmate pituitoſo, hydrope, præſertim aſcite, cachexia icteritia, et plerisque uteri morbis frigidis prædicatur. Plerumque infuſis vinoſis additur, et interdum quoque in pulvere, a granis aliquot ad ſcrupulum integrum, præſcribitur.

§. III.

Cum Semine Apii paluſtris SEMEN PETROSELINI OFF., ſive APII VERI HORTENSIS MATH. convenit, paullo remiſſiores tamen vires obtinet, et doſi igitur largiori in morbis vix memoratis exhiberi poteſt. Parum quoque, vel nihil, naturæ nimirum ac virium intuitu, SEMINA DAVCI VVLGARIS TOVRNEF., ſive PASTINACÆ SYLVESTRIS MATH., et SEMINA DAVCI CRETICI ſive DAVCI FOLIIS FOENICVLI TENVISSIMIS C. B., Wilder⸗ und Cretiſcher Möhren⸗Kümmel, differunt. Hæc ex Inſula *Creta* ſive *Candia*, *Italia*, aliisque regionibus calidioribus adferuntur, et corpuſcula ſiſtunt oblonga, in altera tamen extremitate acutiora, ſtriata, villoſa, ſubluteo-incana, odoris modice fragrantis, ſaporis acris aromatici: Illa autem apud nos paſſim in locis incultis ſylveſtribus, ubi planta creſcere amat, colliguntur, et præcedentibus paullo minora unt, compreſſa, villoſa, cinerea, odoris et aporis aromatici debilioris. Principium oleoſo-

oleoſo-reſinoſum in Semine Dauci Cretici, quod ſolum examini chemico ſubjeci, valde activum eſt, gummeum vero, ob inertiam ſuam vix conſiderationem meretur. Extractum quippe ſpirituoſum primum, colore ſaturate aureo donatum, ex ſeminis uncia una circiter drachmam unam cum ſemiſſe pendet, et odorem quaſi melleum ſpirat, ac ſatis acrem, ſubamaricantem, aromaticum ſaporem linguæ imprimit; aquoſum vero, brunneo-nigricans, debili ſapore ſuo rob ſambuci quodammodo æmulatur, et poſt aliquam moram leviſſima ſaltem acredinis veſtigia monſtrat: Pondere tamen ſpirituoſum ſuperat, et, ſuppoſita æquali ſeminis quantitate, ultra drachmas tres gravitate ſua adſcendit. Eodem modo, quo Apii ſemina, et in iisdem quoque morbis, Dauci utriusque ſemina in uſum vocantur, plus tamen, quam illa, in nephritide pituitoſo-ſabuloſa, ſtranguria, et doloribus poſt partum præſtare creduntur.

CAPVT XXXXII.

DE SEMINE CARVI, CVMINI, AMMEOS, ANETHI, ET LEVISTICI.

§. I.

SEMINA CARVI OFFICINARVM, ſive CVMINI PRATENSIS C. B., Wieſen-Kümmel, parva ſunt, oblonga, tenuia, ſtriata, paullulum incurva, fuſca, ſaporis et odoris aromatici. Planta ſponte in pratis creſcit, et hinc inde pariter, præſertim in *Thuringia* et *Franconia*, in arvis ſeritur.

§. II.

Quatuor ſeminibus calidis majoribus adnumerantur, creberrimeque, ob validas ac ſatis egregias vires *diſcutientes*, *commoventes*, *roborantes*, *ſtomachales*, *carminativas*, et *uterinas*, in morbis variis, maxime autem in vitiis digeſtionis, adfectibus flatulentis, torminibus ventris, tympanitide, vertigine ſtomachali, ſingultu, obſtructione hepatis et lienis, morbis pectoris pituitoſis, paſſione hyſterica, fluore albo, doloribus poſt partum, ſuppreſſione lochiorum etc. in uſum trahuntur. Dantur per ſe cruda aut condita, vel juſculis, aliisque eſculento-

rum

rum generibus adduntur, vel coquuntur cum cereviſia, et vino quoque, quae exhibendi forma, intuitu effectus, optima eſt, infunduntur. Externe epithemata partibus ſugillatis, et mammis, a lacte coagulato tumefactis, nec minus abdomini, praeſente paſſione quadam flatulenta, diarrhoea, dyſenteria, vel urgentibus etiam torminibus ventris, imponenda, ut et ſimilis virtutis emplaſtra ingrediuntur.

§. III.

Memoratarum virium ratio ad *oleum eſſentiale æthereum*, et ex parte quoque ad *fixam ſubſtantiam reſinoſam* redundat; a parte gummea autem non adeo ſingularis effectus exſpectandus erit. Oleum, quod rubri coloris eſt, fragrantiſſimum, valdeque calidum exiſtit, et notabili quantitate, ſi ſemina matura ſunt, ſub humida deſtillatione prodit. Tinctura ſpirituoſa prima, colore flavo-virideſcente tincta, odorem ſeminis ſpecificum, quanquam debiliorem, eructat, et aromatico pariter atque ſpecifico ſapore ſimplex ſatis prodit. Maſſa inſpiſſata parum, vel nihil, differt, et majori ſaltem acredine aromatica praedita ſentitur. Infuſum aquoſum primum, quod coloris rubro-fuſci dilutioris eſt, fortiori quidem odore ſpecifico, quam tinctura ſpirituoſa, gaudet, ſaporem vero longe debiliorem obtinet, eumque, ut et odo-

rem, ablatis nimirum poſt inſpiſſationem partibus oleoſis æthereis, ita amplius amittit, ut ſimplex inde vix, aut ne vix, cognoſci queat. Recepta uncia ſeminis una; pondus extracti primi ſpirituoſi circiter ſcrupulos quatuor et grana aliquot, extracti aquoſi autem drachmam unam et grana viginti ſeptem æquat.

§. IV.

SEMINA CVMINI ſive CYMINI OFFICINARVM, Garten-Kümmel, carvi ſeminibus majora ſunt, oblonga, ſubfuſca, ſtriis tamen ſubluteo-albicantibus prædita, odoris et ſaporis aromatici ingrati. Planta, quæ *Cyminum* ſive *Cuminum ſativum* I. B. eſt, apud nos in hortis ſeritur, in *India* autem, *Perſia*, aliisque regionibus calidioribus ſponte creſcit. Optima ſeminis ſpecies, quæ plerumque in Officinis noſtris proſtat, ex *Italia* adfertur.

§. V.

Æque, ac præcedentia, ad quatuor ſemina calida majora referuntur, in naturali tamen mixtione ſua *principia oleoſo-reſinoſo-gummea* paullo ingratiora fovent; quemadmodum hoc odor eorum, ſi nonnihil ſaltem digitis terantur, nec minus infuſi utriusque, maxime autem aquoſi, ſapor et odor abunde confirmant. Nauſeoſi hujus odoris et ſaporis origo partim in volatili portione oleoſo-ſpirituoſa, partim in fixa reſinoſa quærenda videtur.

tur. Extractum enim aquoſum, ſaturate fuſcum, exeuntibus ſub evaporatione particulis volatilibus, ſatis jucunde olet, et ſaporem debilem, nec ingratum, ſaporem balſamicum, cui leniſſima acredo admixta eſt, poſſidet; ſpirituoſum vero, flavo-fuſcum, magis ipſius ſeminis odorem ſpecificum ſpirat, et ingratum quoque, ſubacrem, amaricantem, aromaticum, ſaporem linguæ imprimit. Prius, recepta ſeminis uncia una, drachmas tres et grana aliquot, poſterius autem ſolummodo ſcrupulos quatuor, et grana octodecim pondere ſuo attingebat. In extracto aquoſo parum amplius virtutis latet, et virium itaque ratio unice ferme ad principia reſinoſo-oleoſa redit. Quoad virtutes et uſum cum ſeminibus carvi conveniunt, paullo mitiorem tamen operationem, ob parciorem olei ætherei inhæſionem, exercere creduntur.

§. VI.

SEMEN AMMEOS, ſive AMIOS, quod hoc pariter loco; propter magnam naturæ analogiam, collocari meretur, duplicis generis eſt, alterum nempe *Vulgare*, alterum *Creticum*, ſive *Verum*. Semina *Ammeos Vulgaris*, ſive *Majoris* parva ſunt, ſtriata, cinereo-ſublutea, amara, acria, ac modice fragrantia. Planta, quæ hæc ſemina fert, apud nos in hortis colitur, in *Italia* autem ſponte in locis ſylveſtribus creſcit, et *Ammi majus*

C. B., *Vulgare ſive commune* DOD., itemque *Ammi vulgare majus latioribus foliis, ſemine minus odorato* I. B. etc. dicitur. Semina *Ammeos veri*, ſive *Cretici* forma externa a præcedentibus parum quidem differunt, colore tamen ſpadiceo, et majori fragrantia, longeque acriori ſapore aromatico gaudent. Planta, quæ maxime in *Creta*, *Syria*, *Ægypto*, et *Æthiopia* provenire traditur, eſt *Ammi Creticum aromaticum* LOB., *Ammi parvum foliis foeniculi* C. B., *Foeniculum annuum origani odore* TOVRNEF., *Cuminum Æthiopicum* DIOSC. etc.

§. VII.

Semen Ammeos Cretici ſive Cumini Æthiopici frequentius, quam ammii vulgaris, in uſum medicum trahitur, quoniam principiis *oleoſis eſſentialibus*, et *reſinoſo-gummeis* nobilioribus inſtructum eſt. Olei ætherei quantitas modica eſt, fixa vero ſubſtantia reſinoſo-gummea mixtionem ſatis copioſe ingreditur; Ex uncia enim ſeminis una ſcrupulos quatuor ac grana duodecim extracti ſpirituoſi primi, et æqualem ferme quantitatem extracti aquoſi primi impetravi. Maſſa flavo-rubeſcens, magis reſinoſa, virtute, uti clare e ſapore ejus valde acri aromatico cognoſcimus, præpollet, gummea fuſco-nigricans autem debilior eſt, et amaricantem duntaxat, ac modice acrem aromaticum ſaporem obtinet.

net. Odor aromaticus, qui præcipue ab oleo æthereo, ceu principio primario, dependet, ſub infuſi utriusque evaporatione adeo imminuitur, ut in extractis, ad juſtam conſiſtentiam redactis, leniſſimus ſaltem balſamicus, non amplius tamen, præſertim in extracto aquoſo, ſpecificus, remaneat.

§. VIII.

Optime in pulvere, tam ſubtiliori, quam groſſiuſculo, præſcribitur, a granis aliquot ad ſcrupulum unum, nec minus in infuſo vinoſo, a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem, immo integram. Vires generaliores itidem *diſcutientes*, *calefacientes*, *roborantes*, *carminativæ*, *ſtomachales*, et *uterinæ* ſunt; hinc in præcedentium quoque locum commode ſurrogari, et in iisdem morbis, in quibus illa proſunt, exhiberi poteſt. Notandum ſaltem, ſemen ammeos Cretici paullo calidioris naturæ eſſe, et doſi proinde comparative moderatiori ægris exhiberi.

§. IX.

De SEMINIBVS ANETHI HORTENSIS C. B., et LEVISTICI VVLGARIS MATH. multa ſubjungere ſupervacaneum duco, quoniam, reſpectu naturæ, virium, atque uſus, a deſcriptis carvi ſeminibus parum diſtincta ſunt: Monuiſſe ſaltem ſufficiat, oleum eſſentiale æthereum in mixtione paul-

lo parcius, quam apud ſemina carvi, hoſpitari, halitumque ſeminis anethi, præſertim recentis, de indole narcotica nonnihil participare, et contuſum igitur, ad ſomnum conciliandum, infantum temporibus ſubinde applicari.

* *

CAPVT XXXXIII.

DE
BACCIS LAVRI ATQVE JVNIPERI.

§. I.

Baccæ lavri oblongæ ſunt, rotundæ, ſub tenui pellicula nigricante nucleum includentes geminum, ſubfuſcum, odoris aromatici, ſaporis acris, amaricantis, oleoſi, ac pariter aromatici. Arbor, quæ has baccas fert, eſt *Laurus vulgaris* c. b., ſive *Laurus vulgatior baccifera* lob In *Luſitania*, *Hiſpania*, *Italia*, aliisque regionibus calidis maxima ubertate, ac paſſim ſponte adoleſcit, apud nos autem ſolummodo hortorum incola eſt, ſedulamque culturam poſtulat.

§. II.

Præter *inutiles partes terreas*, et *fixum principium gummeo-reſinoſum*, *duplex oleum*, alterum nempe *craſſius unguinoſum*, expreſſione

ſione ſeparandum, alterum *ſubtile, æthereum, valde aromaticum*, in mixtione naturali fovent. In aromatico hoc oleo eſſentiali præcipua virtutis ratio latet; hinc, eodem prorſus ſeparato, vires valde imminutæ ſentiuntur. Oleo ſuccedit ſubſtantia fixa, et poſtremo demum loco pars gummea, quæ pura ac ſolitaria admodum iners reperitur, collocanda eſt.

§. III.

Militant hæ baccæ inter activa *roborantia*, *ſtomachalia*, *carminativa*, *uterina*, atque *bezoardica*, et egregie proinde adfectibus flatulentis, vitiis adpetitus atque digeſtionis, frigidisque uteri morbis, nec minus paralyſi, catarrhis capitis atque pectoris, doloribus poſt partum, quin ipſis febribus malignis, medentur. Dantur in pulvere ad grana aliquot, vel etiam ſub forma infuſi vinoſi, a ſcrupulo dimidio ad drachmam ſemiſſem. Varias præterea compoſitiones pharmaceuticas ingrediuntur, nec raro quoque eſculentis difficilioris reſolutionis, condimenti loco, adduntur. Si in pulvere exhibentur, doſes moderatæ eſſe debent, ne viſcoſo ſuo oleo ventriculo moleſtiam inferant, et nauſeam, vel ipſum vomitum excitent. Externe inter epithemata, unguenta, et emplaſtra nervina, ſtomachalia, et carminativa, immo, inter inſeſſus uterinos recipiuntur.

§. IV.

§. IV.

BACCÆ IVNIPERI OFF. ſunt *Juniperi vulgaris fruticoſæ* C. B., baccæ rotundæ, nigricantes, vel rectius, fuſco-aut coeruleo-nigricantes, quæ ſub tenui pellicula pulpam fragrantem, acrem, ſubdulcem, aromaticam includunt, cui tres acini oblongi triangulares ingeniti hærent. Creſcunt hi frutices arboreſcentes ſive arbores fruticoſæ in *plerisque regionibus ſeptentrionalibus*, et in *Germania* quoque noſtra hinc inde, maxime autem in *Vogtlandia*, ſatis uberem earum proventum obſervare licet. Baccæ altero demum anno ad juſtam maturitatem perveniunt, hinc quovis tempore in fruticibus hiſce tum fructus maturi coeruleo-nigricantes, tum virides immaturi conſpiciuntur.

§. V.

Sapor, odor, ac tota virtus unice in pulpa latent, quæ ſola ex gratis et activis *principiis reſinoſis*, *gummeis*, et *oleoſis* compoſita eſt: Notandum tamen, fragrantiam et acrimoniam aromaticam præcipue ad ſubſtantiam reſinoſo-oleoſam, ſaporis vero dulcedinem unice ad partem gummeam redundare. Oleum, quod veſiculis exiguis, per pulpam diſperſis, incluſum eſt, et temporis ſucceſſu in reſinam ſiccam induratur, deſtillatione humida elicitur, et aqua ſpecifice levius, flavum, fragrantiſſimumque deprehenditur. Libra

bra baccarum una, ſi perſectam maturitatem adeptæ fuerint, circiter drachmas tres reddit. Tinctura ſpirituoſa prima coloris aurei eſt, odoris grati balſamici, ſaporis ſubacris, ſubamaricantis, et aromatici. Poſt evaporationem relinquit maſſam duplicis generis, alteram nimirum flavam, ſemiliquidam, dulcem, oleoſam, alteram tenacem, reſinoſam, dentibus atque palato valde adhærentem, ſubfuſco-virideſcentem, ſaporis reſinoſi atque nonnihil aromatici. Unde liquido conſtare arbitror, quod oleum eſſentiale in baccis hiſce partim mobilius æthereum, partim craſſius, magisque viſcoſum exiſtat. Uncia baccarum una mihi maſſæ utriusque, conjunctim lance examinatæ, unciam dimidiam et aliquot grana ſuppeditavit. Infuſum aquoſum primum, ſi baccæ integræ recipiuntur, pellucidum eſt, pallide rubrum, odoris balſamici, ſaporis balſamico-ſubdulcis, paullulum tamen nauſeoſi, et in receſſu ſubamaricantis: Sin baccæ vero diſſectæ adhibentur, ſolutio, etiam filtrata, poſt digeſtionem turbida ac ſordide ſublutea deprehenditur, et majori, quam præcedens infuſum, fragrantia, atque gratiori pariter dulcedine aromatica pollet. In extractis inſpiſſatis leviſſima hæc differentia vix amplius animadvertitur, et maſſa utraque rob ſambuci odore æmulatur, gratumque ſaporem ſubdulcem, aromatico nonnihil remixtum, linguæ imprimit.

Non

Non differt quoque quantitas, dum prior æque, ac poſterior, recepta baccarum uncia una, tres ferme drachmas pondere attingit.

§. VI.

Inter efficaciſſima ac plane eximia medicamenta *ſtomachalia*, *carminativa*, *pectoralia*, *diuretica*, *uterina*, *antiſcorbutica*, et *bezoardica* viliſſimi hi fructus ſibi locum vindicant, multumque auxilii, quum operationem ſuam blande diſcutiendo, abſtergendo, demulcendo, ac roborando abſolvant, ab uſu eorum in ventriculi imbecillitate, lienteria, coeliaca, adfectibus flatulentis, hydrope humido, et tympanitico, dyſuria, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, obſtructione menſium, tuſſi, aſthmate, raucedine, aliisque morbis catarrhalibus, nec minus in ſcabie vulgari et ſcorbutica, peſte, ceterisque febribus malignis exſpectandum eſt, ſi, pro ægritudinum diverſitate, modo per ſe commedantur, modo ſub forma infuſi, cum vino aut aqua fervente parandi, exhibeantur. Uſum quoque egregium atque ampliſſimum ſic dictum Rob in praxi obtinet *(a)*, et frequentiſſime imprimis

(a) „Hoc ipſum, FRID. HOFFMANNVS *in Obſ. phy-„ſico-chym. p. 12. ſcribit*, medicinam præbet ad ro-„borandum imbecillem ventriculum, ad tonum „reſtituendum dejectum inteſtinalem in alvi flu-„xibus, ad præſervationem a calculo, ab hydro-„pe, præſtantiſſimam. Commode ſolvitur in

mis bolis et electuariis ſtomachalibus, pectoralibus, et diureticis additur. Externe ipſæ baccæ epithemata ſicca diſcutientia, carminativa, ac roborantia, nec minus ſuffimigia, ac balnea uterina etc. ingrediuntur, et multum præterea, ſi cum vino coquantur, idemque tepidum aliquamdiu in ore detineatur, in odontalgia rheumatico-catarrhali atque ſcorbutica prodeſſe ſolent.

* *

CAPVT XXXIX.

DE

NVCE MOSCHATA ET MACE.

§. I.

NVX MOSCHATA, ſive MYRISTICA, vel *Oblonga* eſt, vel *Rotunda:* Illa, quæ etiam *mas* vocatur, arboris ſylveſtris progenies eſt, et raro, vel nunquam, cum odore atque ſapore penitus ferme deſtituta ſit, ad exteros transmittitur; hæc autem, quæ vulgo

„vino Hiſpanico, vel alio dulci et potente, et „cochleatim offertur poſt cibum ſumtum, vel ante lecti introitum. Hoc medicamentum juvat „ſenes, quibus veſicæ vitia, et in urinæ emiſſione difficultates, nec non imbecillitates ventriculi et inteſtinorum valde familiares ſunt, et „noſtra opinione hoc Rob ſupergreditur vires „olei deſtillati, quoniam illud magis temperatum, hoc vero calidum eſt.

go *foemina* audit, nucleum, compactum, pinguem, in ſuperficie nonnihil rugoſum, odore grato, ſapore oleoſo-aromatico, et colore foris cinereo-ferrugineo, intus pallide flaveſcente, venulis ſpadiceis diſtincto, donatum, ſiſtit, et ubique apud pharmacopoeos et aromatarios venalis proſtat. Arbores, quæ nucem hanc proferunt, in *Inſula Banda Indiæ orientalis* naſcuntur, et folia, mali Perſicæ foliis haud diſſimilia, breviora tamen, latiora, et magis ſubrotunda, nec minus florem roſaceum, valde odoratum, habent, cui nux ſuccedit, triplici integumento, *pulpoſo* videlicet, *filamentoſo*, et *duriori corticoſo*, ſive *lapideo*, cincta. Integumentum primum pulpoſum in principio, æque, ac apud nuces juglandium noſtrarum, viride eſt, deinde autem, maturitate ſuperveniente, hinc inde maculas flavo-purpureas ſortitur, ac ſenſim dehiſcit; quo facto, ſecundum integumentum, ſive cortex filamentoſa, aut potius ramoſo-reticulata, pinguis, oleoſa, purpurea, odoratiſſima, quæ *Macis* eſt, in conſpectum prodit. Hæc putamini tertio duriori, quod nucem ipſam proxime ambit, ſolummodo laxe adhæret, ac facile proinde detrahitur. In principio, uti vix dictum fuit, macis purpurei coloris eſt, poſtea autem, quando nimirum aeri libero exponitur, et blando calore ſiccatur, flavum induit. Nuces maturæ, remoto duplici hoc integumento, tandemque diffra-

diffracto putamine duriori, eximuntur, et, poſtquam per horas aliquot in ſaturata aqua calcis vivae maceratae, atque obiter iterum aqua pura ablutae fuerunt, ſiccantur, ut diutius a corruptione immunes perſiſtant. In India perſaepe pariter integri fructus, virides tamen, ac paullo juniores, ſacharo condiuntur, quoniam ita praeparati diutiſſime perdurant, et ſaporis non minus atque odoris ſuavitate, quam egregia etiam virtute analeptica, ſtomachali, et aphrodiſiaca ſeſe commendant.

§. II.

Ad formandam nucis myriſticae mixtionem partes *terreae*, *gummeae*, *reſinoſae*, et *oleoſae* concurrunt. Partes terreae, quae dimidiam ferme ponderis partem conſtituunt, per ſe inertes ſunt, ſub unione vero cum reliquis principiis ad augendam virtutem ſubadſtrictoriam aliquid conferunt. In ſubſtantia fixa gummea ſolitaria parum quoque activitatis deprehenditur, et inſpiſſatum igitur extractum aquoſum, quod, adſumta una nucum uncia, circiter drachmas duas et ſcrupulum unum pendet, debiliſſimum ſaltem odorem ſpirat, et adeo debili quoque ſapore balſamico-ſubamaricante pollet, ut ſimplex inde vix amplius cognoſci queat. In extracto ſpirituoſo primo, reſinoſo magis, quam gummeo, majorem quidem virtutem deliteſcere, odor

fortis ſpecificus, et ſapor amaricans, aromaticus atque ſubadſtringens teſtantur, praecipua nihilominus, odoris, ſaporis, ac virium ratio ad oleum eſſentiale redit, quod duplicis generis eſt, alterum nempe *craſſius*, *unguinoſum*, alterum *ſubtilius*, *fragrantius*, *aethereum*. Hoc deſtillatione humida elicitur, et in integra nucum libra circiter unciam dimidiam vel drachmas quinque pondere aequat; illud vero exprimitur, et tanta copia adeſt, ut plerumque quatuor, quinque, immo ſex, unciae colligantur. Quando hoc poſterius aqua tepida aliquamdiu lavatur, et reſiduum poſtea ſpiritu vini rectificatiſſimo extrahitur, portio liquidior, flava, pinguis, odorata, penitus ſeparatur, nihilque remanet, niſi maſſa ſolidior, inſipida, inodora, ſevum aut ceram albam colore ac conſiſtentia aemulans, nec in aqua amplius, nec ſpiritu vini ſolubilis, quae parandis balſamis ſpiſſiuſculis externis creberrime excipientis loco inſervit, et ideo etiam *mater balſamorum* vocatur. Silentio quoque praetermittere nequeo, olei aetherei deſtillati moleculas diverſae ſubtilitatis, et diverſae pariter gravitatis ſpecificae eſſe, idemque eapropter aquae partim innatare, partim in eadem fundum petere.

§. III.

MACIS ab ipſa nuce myriſtica, intuitu principiorum, vix diſcrepat, praeterquam, quod

quod *oleum eſſentiale æthereum*, nec minus *fixa ſubſtantia reſinoſa* mixtionem paullo majori quantitate ingrediantur, et hæc in uncia una circiter ad drachmas duas et grana ſedecim, illud vero in libra integra ad drachmas quinque, immo ſex, pondere adſcendat. Notandum tamen, partem reſinoſam nunquam perfecte puram obtineri, ſed multis particulis oleoſo-unguinoſis, ſub extractione cum ſpiritu vini ſimul ſolutis, nec evaporatione prorſus auferendis, remixtam eſſe. In *parte gummoſa* nil ſingulare quærendum eſt, eademque, ſeorſim conſiderata, tota ferme iners deprehenditur, ac valde debili ſaltem ſapore balſamico-ſubamaricante, non amplius tamen ſpecifico, gaudet.

§. IV.

Eminent bina hæc ſimplicia inter medicamenta aromatica, et frequentem uſum, ob vires ſuas *roborantes*, *ſtomachales*, *carminativas*, *cephalicas*, *cardiacas*, et *uterinas*, in multis morbis, ex humorum viſcoſitate, partiumque ſolidarum flacciditate oriundis, maxime autem in adpetitus atque digeſtionis vitiis, adfectibus frigidis flatulentis, vomitu, lienteria, coeliaca, aliisque profluviis alvinis, torminibus ventris, nec minus in palpitatione cordis, ſyncope, debilitate memoriæ, paralyſi, vertigine, atque cephalalgia ſtomachali, ſuppreſſione menſium, fluore albo, prolapſu

uteri atque vaginæ, ſterilitate, torpore venereo etc. inveniunt. Macis paullo calidiorem indolem poſſidet, ac confortando inprimis, commovendo, et diſcutiendo operationem ſuam exercet, nux myriſtica vero, quæ temperatior exiſtit, præter diſcuſſionem, commotionem etc., blandam quoque adſtrictionem præſtat. Adduntur condimenti loco eſculentis, vel manducantur, vel vino infunduntur. Nux moſchata interdum quoque, nunc ſibi relicta, nunc antea paullulum toſta, inter pulveres recipitur. Doſis in genere a granis aliquot ad drachmam ſemiſſem adſcendit. Externe ad ingredientia emplaſtrorum, nervinæ, cephalicæ, ſtomachalis, atque carminativæ virtutis, pertinent, et ſubinde etiam decocta vulneraria vinoſa atque unguenta ingrediuntur. Olei deſtillati et expreſſi uſus, qui late quoque patet, in libris pharmaceuticis videndus eſt.

CAPVT XXXXV.

DE

PIPERE, CVBEBIS, ET AMOMO.

§. I.

In Officinis noſtris pharmaceuticis triplex PIPERIS ſpecies proſtat, *Piper* videlicet *rotundum nigrum*, ſive *Melanopiper*, *Piper rotun-*

rotundum album, ſive *Leucopiper*, et *Piper longum*, ſive *Macropiper*. PIPER NIGRVM grana ſiſtit rotunda, rugoſa, nigricantia, piſi vulgaris magnitudine, odore fragrante, et ſapore valde acri ac fervido aromatico prædita. Planta, quæ in plerisque Indiæ orientalis locis, maxime autem in *Malabaria*, *inſulisque Sumatra*, *Java*, *Sunda* etc. creſcit, ſarmentoſa eſt, volubilis, hederæ arboreæ inſtar, arbores, aliasque plantas, immo perticas, in terram defixas, ſcandens. Folia ejus ampla, valde nervoſa, ovata, anterius tamen cuſpidata, et flores, in ſpicam diſpoſiti laxiorem, monopetali, campaniformes eſſe dicuntur. Grana brevibus inſident petiolis, et aggregatione ſua, ferme inſtar fructuum groſſulariæ non ſpinoſæ, racemos, arctiores tamen, ex triginta, quadraginta, quinquaginta, imo pluribus granis compoſitos, formant. In principio virides ſunt, et æquali ſuperficie, deinde rubræ evadunt, tandemque, ad perfectam nempe maturitatem perductæ, decerptæ, ac ſoli per aliquot dies expoſitæ, nigreſcunt, et rugoſitatem aliquam contrahunt.

§. II.

Grana PIPERIS ALBI a præcedentibus figura orbiculari, magnitudine, odore, et ſapore parum vel nihil differunt, non rugoſa tamen ſunt, ſed lævia, compactiora, gryſeo-albicantia. Circa originem eorum ſcripto-

res diſſentiunt: Alii enim piper album a nigro ſola maturitate diſcrepare opinantur: alii ex pipere nigro arte produci, nihilque aliud eſſe contendunt, niſi piper nigrum, macerationis temporariæ et agitationis beneficio in aqua dulci aut ſalſa marina decorticatum, et alii denique iſtud a diverſa quidem planta, non genere tamen, ſed ſpecie ſaltem aliquantulum a priori diſtincta, provenire ſtatuunt *(a)*. Pro meo judicio ſen-

tentia

(a) „Quidam, *Excell.* HEISTERUS *in Diſſert. de Pi*„*pere p. 10. ſcribit*, *ope muriæ* corticem inde *(a pi*„*pere ſcilicet nigro)* ſeparari, atque ſic album ex „nigro præparari perhibent, ſed ſine ratione. „Verum GARCIAS (in Hiſt. aromat. Lib. I. p. „22.), et STAPELIUS contrarium ſuſtinet, do„cetque (Comment. in Theophraſt. p. 1180.), „hæc duo piperis genera omnino a diverſis pro„venire plantis, quæ vero tam parum differrent, „ut vitis baccis albis et nigris, quæ ante fructus „maturos vix diſtingui poſſent; refertque STA„PELIUS, ſe a nautis, et navigantibus, qui ex „India orientali redierunt, utriusque hujus pipe„ris ramulos et racemos integros accepiſſe, bac„cis maturis onuſtos, qui illos ſecum ex India il„lâ attulerant, ubi nonſolum ex illis intellexit, „horum ramulorum plantas, unde eos decerpſe„runt, revera diverſas eſſe, et alteras piper ni„grum, alteras album, ſine omni prægreſſa præ„paratione et ſine omni arte proferre, ſe ipſum „quoque quod diſtinctæ ſint plantæ, ex ipſis il„lis ramulis ſatis perſpicue cognoſcere potuiſſe, „ſcribitque inſuper, ſe ex illis peregrinantibus „intellexiſſe, baccas utriusque hujus plantæ „principio, et quando nondum maturæ ſunt, vi-

tentia poſtrema rationi et experientiæ magis, quam reliquæ, conſentanea eſt, eidemque proinde ſubſcribere nullus dubito.

§. III.

PIPER LONGVM forma plane ſingulari gaudet, fructumque exhibet ſiccum, durum, teretem, cylindraceum, unciam aut ſeſquiunciam circiter longum, coryli, aut rectius, betulæ julum figura ſua quodammodo æmulantem, ex numeroſis granulis minoribus, papaveris aut ſinapi ſemina magnitudine æquantibus, et vermiculato plexu diſpoſitis,

„rides eſſe, poſtea vero illas rubrum, et poſtquam ſiccæ fiunt, nigrum, has autem album colorem induere, forte ſicuti in ribeſiis videmus, „baccas eorum immaturas omnes virides eſſe, „poſtea autem quando matureſcunt, vel album, „vel rubrum, vel etiam nigrum colorem induere, pro diverſo illarum plantarum ſive fruticum „genio, quæ ſpecie differunt, vel ut aliis magis „placet, tantum unius ſpeciei varietates ſunt. „Ita ut hæc duo pipera quidem ad unum revera „genus pertineant, quia ſibi invicem et foliis, et „modo creſcendi, et baccis, excepto colore, ſimiles ſint, adeoque non niſi ſpecie, ſicuti ribeſia diverſi coloris fructibus tantum a ſe invicem „differant: Rariores vero eſſe plantas piperis albi in India, quam nigri, ita ut in Malavar illud „non niſi Magnatum menſis, teſte Garcia, inferatur, qui hoc etiam nigro, aliter quam Dioſcorides fecit, multum præfert, libro citato pag. mihi 89. etc.

compactum, coloris gryſei, odoris aromatici, ſaporis acerrimi, urentis. Planta praecedenti, quae piper nigrum profert, creſcendi modo ac foliis pariter ſimillima eſſe traditur, et folia paullo majori duntaxat teneritudine, dilutiori viriditate, pluribusque nervis donata dicuntur. Creſcit quidem in *inſula Java, aliisque Indiae* orientalis locis, in ſola tamen *Bengala* uberior ejus proventus obſervatur.

§. IV.

Quoad naturam, principia activa, et vires medicas deſcriptae tres piperis ſpecies conveniunt, ac ſola tantum acredo fervida in pipere longo paullo major, quam in utroque rotundo, exiſtit. Principia activa partim *oleoſa*, partim *gummeo-reſinoſa* ſunt. Oleum eſſentiale aethereum, quod aquae conſtanter innatat, et pallide aureo colore donatum cernitur, piper odore quidem et ſapore prodit, immo ſolam odoris ſpecifici rationem continet, non acerrimum tamen, uti *Excell.* HEISTERVS in *Diſſertatione allegata (a)* retulit, ſed adeo potius temperatum eſt, ut guttula deguſtata lenem duntaxat, ac gratam acrimoniam aromaticam, citra ullum moleſti ardoris aut mordacis puncturae ſenſum, linguae, ceterisque oris partibus imprimat, quid? quod, aqua deſtillata, etiamſi

(a) p. 31.

etiamſi piper valde redoleat, multasque, ſeparatione peracta, moleculas oleoſas retineat, acredine prorſus deſtituta, ac pene inſipida deprehenditur. B. NEVMANNVS ex integra piperis nigri libra ſub deſtillatione humida olei drachmas tres cum ſemiſſe prodire perhibet *(a)*: Attamen, aſſenſum illi in hoc paſſu præbere nequeo. Vix laudatus HEISTERVS enim ex libra una vix drachmam impetravit, et ego pariter quatuor ſolummodo ſcrupulos ex æquali quantitate elicere potui: Credo tamen, in mixtione piperis plus olei hoſpitari, quoniam ſub deſtillatione et ſeparatione multum receptaculo et vitro hypocleptico adhæret, multumque etiam, uti antea dictum, in aqua remanet.

§. V.

Non reſidet quoque fervida piperis acredo in parte ejus gummea, ſed unice in ſubſtantia reſinoſa quærenda eſt. Nam portio gummea, (prius tamen extracta reſinoſa), iterata aquæ ſimplicis infuſione ſeparata, odore, ſapore, et virtute penitus ferme caret, immo ipſa infuſa et extracta aquoſa prima, licet aliquam ſubſtantiæ reſinoſæ partem, intimius gummoſæ implicitam, ſimul contineant, debilem duntaxat ſaporem acrem, debilemque odorem aromaticum poſſident: Infuſa contra et extracta ſpirituoſa linguam, palа-

(a) *L. c.* p. 985.

palatum, fauces, ac labia tantopere urunt ac pungunt, ut inflammatio fere metuenda ſit. Ardor quoque ſatis diu perdurat, et magna ſalivæ viſcidæ copia elicitur. Notandum tamen, piper longum in hoc paſſu piper nigrum rotundum, et hoc iterum album nonnihil ſuperare. Quantitates ſubſtantiæ reſinoſæ ac gummeæ in triplici ſpecie parum differunt, et uncia una plerumque drachmam unam et grana aliquot extracti primi ſpirituoſi, et dimidiam ferme unciam extracti aquoſi primi largitur.

§. VI.

Ad calidiſſima ac potentiſſima medicamenta aromatica, quæ vehementer partes ſolidas urendo ac pungendo, valideque humores attenuando operantur, piper referri meretur, adeoque magnam ſub uſu interno circumſpectionem poſtulat. Conducit ſaltem ſubjectis frigidis phlegmaticis, nocet vero ſiccis, cholericis, plethoricis, et in iis itaque morbis ſolummodo locum invenit, qui ex humida partium ſolidarum flacciditate, et frigida, mucida, craſſa, humorum dyſcraſia maxime naſcuntur. Specifice inprimis convenit in vitiis digeſtionis, ex collecta copioſa ſaburra pituitoſa oriundis, nec minus in refractaria febre quartana, cachexia, oedemate membrorum, catarrhis rebellibus, fluore albo diuturno etc., multum-

que

que etiam in principio hydropis humidi prodeſſe creditur. Piper rotundum nigrum frequentiſſime, album rarius, longum vero nunquam apud nos cibis condimenti loco additur. In medicina vero uſus longi et rotundi utriusque æque frequens eſt. Datur in infuſo vinoſo, rarius in pulvere, et ſi in ſubſtantia illud adſumere placet, integra rotundi grana, et longum groſſiuſcule ſaltem contuſum, deglutire præſtat. Subtilis enim piperis pulvis ventriculi rugis altius immergitur, et facile, dum pertinaciter adhæreſcit, eminenti ardore ſuo inflammationem, aliaque prava pathemata, præſertim apud ſubjecta ſicciora ac ſenſibiliora, producere valet. Doſis ſemper moderata eſſe, et a paucis granis ad dimidium ſolummodo ſcrupulum adſcendere debet. Externe cataplasmata et emplaſtra rubefacientia, nec minus pulveres et decocta, in paralyſi linguæ, laxitate uvulæ, intumeſcentia glandularum ſalivalium, odontalgia frigida catarrhali etc. adhibenda, ingreditur.

§. VII.

Præter notiores haſce piperis ſpecies, in Officinis quibusdam adhuc alia, quæ PIPER ODORATVM IAMAICENSE, itemque *Amomum ſpurium*, *Piper Tavaſci*, *Piper Chiapæ* etc. dicitur, proſtat. Arbor, quæ hunc fructum profert, ac ſimul quoque caſſiam caryophyl-

ryophyllatam largitur (*a*), eſt *Myrtus arborea aromatica foliis laurinis*, in variis *Indiæ occidentalis* locis, maxime autem in *inſula Jamaica*, adoleſcens. Baccæ maturæ nigræ ſunt, ſplendentes, in parte ſuperiori parva corona inſtructæ, juniperi baccis adhuc majores; immaturæ autem, quas incolæ ordinario decerpere, atque aliorſum transmittere conſueuerunt, minores paullo viridesque reperiuntur, et ſub exſiccatione demum ad ſolem primo flavum, tandemque fuſco-nigricantem colorem acquirunt. Sub cortice pulpam ſubviridem, quæ binos acinos continet, includunt, et odore denique atque ſapore ſuo caryophylla aromatica, immo nucem moſchatam quoque, cinnamomum, piper ordinarium, et baccas juniperi aliquantulum æmulantur.

§. VIII.

In Anglia piper Jamaicenſe magni æſtimatur, et frequentiſſime, propter indolem temperatiorem, majoremque ſaporis atque odoris gratiam, piperis vulgaris loco, ad cibos condiendos adhibetur, tutiorisque præterea uſus medici eſſe creditur. Principia ejus activa magis cum principiis caryophyllorum, quam piperis ordinarii conveniunt, acredo tamen, quæ in parte fixa reſinoſa præcipue latet, longe moderatior deprehendi-

(*a*) Conf. Cap. de Caſſia caryophyll. p. 186.

henditur: Quod eſſentiale autem oleum æthereum attinet, cujus dimidia circiter drachma ex integra libra ſub deſtillatione humida prodit, illud, intuitu odoris, ſaporis et gravitatis ſpecificæ, genuino oleo caryophyllorum valde analogum eſt. Ad bina hæc principia vires unice redeunt: In parte fixa gummea enim, quæ pura, et penitus a moleculis reſinoſo-oleoſis liberata, admodum inertem ſaporem poſſidet, nulla virtus ſingularis quærenda eſt, licet in uncia una duas ferme drachmas pondere ſuo æquet, et reſinoſam ideo, cujus unica circiter drachma adeſt, quantitate ſuperet.

§. IX.

A pipere ordinario CVBEBÆ OFF., ſive *Cubebæ vulgares* C. B., Cubeben, Haupt-Körner, forma et indole non adeo quoque diſcrepant: Baccæ enim rotundæ ſunt, magnitudine piperis granis nunc æquales, nunc paullo majores, rugoſæ, caudatæ, ſeu tenui pediculo inſtructæ, coloris fuſci, vel albicantis, vel fuſco-aut gryſeo-nigricantis, odoris fragrantis, ſaporis aromatici ac valde acris. Cortex ſcabra exterior nucleum rotundum, lævem, compactiorem, foris fuſco-rufeſcentem, intus albicantem, includit, et acrior propemodum, quam ipſe nucleus, deprehenditur. Nonnulli, quod addere placet, cubebas etiam *Piper caudatum* vocant.

§. X.

Adferuntur ex *India orientali*, et copioſius inprimis in *regno Pegu*, *inſulisque Ceylon* et *Java* provenire dicuntur. Planta, quam HERMANNVS itidem ad *frutices convolvulaceos* refert, ſpecie ſaltem non genere, a planta pipifera diſtincta eſt: Hederæ quoque inſtar, arbores ſcandit, et æque pariter, ac vulgaris pipifera, fructus racemoſos fert.

§. XI.

Valde activa *principia oleoſo-reſinoſa* in mixtione fovent: Activa, inquam, oleoſo-reſinoſa; gummea quippe ſubſtantia, licet largiori quantitate, quam reſinoſa, inhæreat, æque, ac in præcedentibus ſimplicibus, admodum iners reperitur, et debilem ſuum odorem, debilemque ſaporem ſubacrem atque amaricantem paucis quibusdam particulis oleoſis, poſt evaporationem infuſi aquoſi primi in extracto relictis, partim etiam mixtis miculis nonnullis reſinoſis debet. Oleum eſſentiale æthereum, quod parca ſaltem quantitate ſub humida deſtillatione elicitur, aqua ſpecifice gravius, ſuaveolens, et indole temperata piperis oleo non diſſimile exiſtit. Hoc igitur præcipuam fragrantiæ, ſubſtantia fixa reſinoſa autem præcipuam acredinis rationem in ſe continet. Nam infuſa, et extracta ſpirituoſa ipſas cubebas ſpecifico ſapore acri, aromatico, et amaricante perfecte pro-

produnt, immo extractum mixtum, poſt olei deſtillationem in veſica aut cucurbita reſiduum, priſtinam cubebarum acredinem linguæ imprimit, et fragrante ſaltem odore aliquantulum orbatum deprehenditur. Uncia cubebarum una plerumque drachmas duas cum ſemiſſe extracti primi ſpirituoſi, et drachmas tres extracti aquoſi primi largitur.

§. XII.

Mucum, alioſque humores viſcidos cubebæ potentiſſime diſſolvunt, ac vegetam in ſolidis oſcillationem, moderatiorem tamen, quam piper vulgare, excitant; hinc inter *pectoralia* quoque, *anticatarrhalia*, et *ſtomachalia* medicamenta eminent, et magnam inprimis efficaciam in tumore glandularum ſalivalium, laxitate uvulæ, paralyſi linguæ, raucedine refractaria, tuſſi, dyſpnoea, aſthmate, catarrho ſuffocativo, a tenaci pituita, partiumque ſolidarum flacciditate oriundis, nec minus in cephalalgia et hemicrania rheumatico-catarrhali, ſuſurru aurium, adfectibus ſoporoſis, rebelli febre quartana, cruditatibus ventriculi pituitoſis, vertigine ſtomachali, cachexia, hydrope aſcite recentiori, etc. monſtrant. Plerumque per ſe manducantur, vel vino infunduntur, vel groſſioribus pulveribus, immo herbæ Nicotianæ, in fumum vertendæ, modica quantitate miſcentur. In ſubſtantia a granis aliquot ad ſcrupulum

lum ſemiſſem, in infuſo vinoſo autem a ſcrupulo uno ad drachmam integram exhiberi poſſunt.

CAPUT XXXXVI.

DE CARYOPHYLLIS ET ANTOPHYLLIS.

§. I.

CARYOPHYLLI ſive CARYOPHYLLA AROMATICA OFF., Würtz-Nägelein, Würtz-Nelcken, neque immaturi Arboris caryophylliferæ fructus ſunt, uti plerique hactenus crediderunt, neque initia fructuum, ſed potius calices florum, exſiccati, oblongi, anguloſi, nonnihil rugoſi, forma clavum obtuſum quodammodo referentes, in altera, eaque ſuperiori extremitate, quatuor apiculis ſive cuſpidulis, ſtellatim decuſſatis, globulumque inſidentem ſive capitulum intermedium circumquaque fulcientibus, inſtructi, coloris extrinſecus fuſci, ſubfuſci, aut rubiginoſi, intus ſubluteo-rufeſcentis, odoris fragrantiſſimi, ſaporis grati, acris, aromatici, ac ſatis urentis.

§. II.

Globulus memoratus futuri floris rudimentum eſt, aut rectius oculus floris, e quatuor

tuor complicatus pelliculis, quæ ſeſe, quamprimum calices, antea ſubvirides, rubeſcere incipiunt, ſenſim pandunt, floremque involutum in conſpectum prodire permittunt. Valde hi flores ſuaveolentes ſunt, et ex quatuor petalis, primo candidis, poſtea vireſcentibus, multisque præterea ſtaminulis albis, piſtillum tenue et acutum, ex quadrato umbilico ſive alveolo prominentem, ubique cingentibus, componuntur. Incipiente prædicta coloris mutatione, floribusque nondum evolutis, caryophylli decerpuntur, et in ſole poſtea exſiccantur, donec conſuetum colorem fuſcum aut rubiginoſum acquiſiverint.

§. III.

Quando diutius in arbore relinquuntur, ut efflorеſcere, ſenſimque ad fructus maturi perfectionem pervenire poſſint, quadruplo ferme majores, craſſioresque evadunt, et eodem fere modo, quo calices roſarum ſylveſtrium, in baccas oblonge-rotundas, in parte ſuperiori aliquantulum umbilicatas, ſub cortice craſſiori rubiginoſo nucleum, durum, oblongum, ſolidum prorſus ac ſimplicem, vel ſubinde etiam bifidum, includentes, ſive in ſic dictos ANTHOPHYLLOS, Mutter-Nelcken, transformantur. Ex arbore hi ipſi, ceu fructus perfecti atque maturi, partim ſponte decidunt, partim flagellis etc. decutiuntur, et eodem quidem, quo caryophylli, odore et ſapore,

longe tamen debiliori, gaudent. Superſtes præterea virtus, quod addendum duco, præcipue in cortice reſidet, in nucleo autem parum amplius ſaporis et odoris ſentitur.

§. IV.

Arbor, quam C. BAVHINVS *Caryophyllum aromaticum fructo oblongo* vocat, folia habet, laurinis non diſſimilia, anguſtiora tamen, et plerumque ad pyri altitudinem excreſcere, vel quocunque tamen lauro celſior eſſe dicitur. Quondam in ſingulis propemodum inſulis *Moluccis* uberrimus harum arborum proventus erat; noſtra vero ætate, poſtquam Batavi illas in locis plerisque exſtirpare, funditusque delere allaborarunt, ſola *Amboina* easdem copioſe alit.

§. V.

Caryophylli aromatici adhuc integri, h. e., recentiores, et praeſtantiori principio ſuo activo a fraudulentis nondum orbati *(a)*, *oleo*

(*a*) In Batavia deſtillatores fraudulenti, caryophyllos deſtillationi integros ſubjiciunt, oleo prolecto, denuo ſiccant, et recentibus, ad lucrum augendum, miſcent, uti hoc ipſe teſtatur BOERHAAVIVS, quando in *Chemiæ T. II. p. m. 100.* ſcribit: „Ipſa vero corpora à deſtillatione hac „reſidua priſtinam formam coloremque ita referunt, ut incautus quisque ſemiſiccatos pro integris, veriſque haberet Caryophyllis. Quin „etiam, ſi ſinceris, oleoque ſuo adhuc integro

oleo eſſentiali valde ſcatent, et ſatis copioſa pariter *ſubſtantia fixa gummeo-reſinoſa* inſtructi ſunt. Acredo urens neque in ſolo ac puro oleo eſſentiali, neque in ſola ac pura ſubſtantia fixa reſinoſa reſidet, ſed ab utriusque miſcela dependet, ita tamen, ut pars reſinoſa, quæ, per ſe conſiderata, acrior, quam purum oleum eſt, plus ad producendum ſaporem urentem conferat. Oleum æthereum, præmiſſa caryophyllorum maceratione temporaria in aqua ſalſa, ex veſica humiliori, ſubſtrato igne moderatiori, proportionato tamen, deſtillatum, ſatis tenue eſt, albicans, aqua ſpecifice gravius, (ſi modicam portionem exceperis, quæ aquæ in principio innatat), odoratiſſimum, et acredine aromatica quidem, adeo fervente tamen, qua vulgare Hollandicum *(a)*, vel juſto fortiori

 etiam

„prægnantibus permiſcentur, imbuuntur iterum „odore, ſapore, ipſoque oleo inde attracto, ut „quidem a genuinis poſtea diſcerni nequeant. „Qua ratione etiam adulterari ſolent ab Aroma„topolis nonnullis, qui turpe inde lucrum pe„tunt. Conf. HOFFM. in Obſ. phyſico-chym. „p. 14.

(a) Oleum caryophyllorum, quod ex Hollandia adfertur, et in Officinis præcipue vendibile proſtat, nunquam purum eſt, ſed ſemper oleo quodam expreſſo, quin ipſo caryophyllorum extracto reſinoſo plus minusve remixtum, hinc ordinario etiam genuino ſpiſſius eſt, nec totum in ſpiritu vini ſolubile, fuſco-rubicundum præterea, et urente atque acerrimo ſapore præditum. De

etiam igne expulſum, pollet, neutiquam donatum. Color albus, ſi aer ſæpius in vitrum admittitur, ſucceſſive in flaveſcentem, tandemque flavo-rufeſcentem degenerat, et fluiditas quoque aliquantulum minuitur. Libra una, ſi caryophylli bonæ notæ fuerint, plerumque uncias duas, totidemque drachmas, immo majorem adhuc, quantitatem reddit, ſi deſtillatio, aqua abſtracta rurſus ſuperfuſa, ſemel vel bis repetatur. „Ultimo, „B. HOFFMANNVS inquit *(a)*, illud attendi meretur, quod ſi omne ex caryophyllis oleum prolicere velimus, opus ſit reiterare bis deſtillationem, ſuperfundendo „denuo aquam, a qua oleum ſeparatum fuit. „Ita in deſtillatione ſecunda ſæpius adhuc „unciam et ſemiunciam, in tertia dimidium „unciæ acquirimus. Ubi notandum, quod „oleum prodiens in ultima deſtillatione craſſius et ponderoſius ſit eo, quod prima deſtillatio concedit.

§. VI.

Poſt oleum eſſentiale fixa quoque principia, præſertim potentius reſinoſum, aliquam conſi-

hoc igitur ſolummodo valent, quæ vix allegatus BOERHAAVIUS *l. c.*, de ſumma hujus olei acredine urente propoſuit, neutiquam vero de genuino, quod, Hollandico, uti expertus teſtari poſſum, longe remiſſius exiſtit.

(a) In Obſ. Phyſico-chym. ſelect. p. 15.

conſiderationem merentur. Infuſum ſpirituoſum primum odorem caryophyllorum ſpecificum, debiliorem tamen, quam ipſi caryophylli, diffundit, et colore ſubfuſco-rubicundo, ſapore acri, urente, aromatico eſt. Evaporando inſpiſſatum extractum relinquit rubro-fuſcum, odoratum, et valde acri, urente, aromatico, et in receſſu nonnihil adſtringente ſapore donatum. Quando aqua ſimplex aliquoties ab eo abſtrahitur deſtillando, adeoque oleum adhuc inhærens prorſus hac ratione auffertur, odorem et acredinem ſuam penitus ferme amittit, ac valde debile redditur; manifeſto documento, oleum fragrantiæ unicam cauſſam eſſe, fervidamque acredinem, quod antea pridem dictum, ab olei, et reſinoſæ ſubſtantiæ miſcela dependere. Infuſum aquoſum rubro-fuſcum fortius quidem, quam ſpirituoſum, caryophyllos redolet, longe debiliori tamen ſapore, eoque ſubacri ſaltem, ac paullulum aromatico, gaudet. Maſſa inſpiſſata parum, vel nihil, differt, præterquam, quod coloris fuſco-nigricantis ſit, et debiliorem adhuc acredinem obtineat. Ex uncia una tres ferme drachmas extracti ſpirituoſi primi, ac paullo majorem quantitatem extracti primi aquoſi obtinui.

§. VII.

Caryophylli aromatici, qui jure inter aromata calidiſſima collocari merentur, forti

vellicatione, et ſingulari quodam ardore, quem tunicis ac fibris nervoſo-muſculoſo-membranaceis imprimunt, ſolida quævis ad fortiores, celerioresque contractiones impellunt, humores commovent, calorem, partes cruoris oleoſo-inflammabiles expandendo, intendunt, pituitam attenuant, et *exſiccante* igitur, *roborante*, ac *ſtomachali* virtute ſeſe inprimis commendant. Magnam tamen ſub uſu interno circumſpectionem poſtulant, et in iis duntaxat morbis, qui lentorem lymphæ, abundantiam ſeri præternaturalem, flacciditatem partium ſolidarum, viſcidasque primæ culinæ cruditates cauſſas agnoſcunt præcipuas, tuto exhibentur. Præſcribuntur in infuſo vinoſo, a ſcrupulo dimidio ad integrum, et variis quoque compoſitionibus pharmaceyticis, maxime autem ſic dictis ſpeciebus, miſcentur, nec infimum denique locum inter ciborum condimenta occupant. Tinctura ſpirituoſa calida indole ipſos caryophyllos ſuperat, et multo cautius adhuc, etiam in refractariis morbis chronicis, cachexia v. g., oedemate membrorum, febre quartana, cruditatibus ventriculi pituitoſis etc., quam ipſi caryophylli, propinanda eſt. Externe caryophylli, groſſiuſcule pulveriſati, cucuphas, pulveres cephalicos, capillis inſpergendos, ſacculos nervinos, nec minus unguenta et emplaſtra, quorum pharmacorum alia imbecillitati capitis, hemicraniæ diuturnæ, catarrhis

tarrhis rebellibus etc., alia tumoribus oedematoſis, adfectibus paralyticis etc. medelam adferunt, perſæpe ingrediuntur, et laudata quoque tinctura magnam in ſphacelo et carie oſſium efficaciam monſtrat, ſi cum aliis adpropriatis decenti quantitate miſcetur.

§. VIII.

ANTHOPHYLLI, quod ex debili protinus odore et ſapore cognoſcere licet, caryophyllis longe remiſſiores ſunt, iisdemque proinde in morbis, qui mitiora ad ſui curationem poſtulant, ſubſtituuntur. Nonnulli, fructus hoſce in adfectibus uteri ſpecifice prodeſſe, perhibent; attamen, ſpecificæ hujus virtutis nullam ſingularem rationem invenio. Hodie rarius in uſum vocantur, et pro meo quoque judicio prorſus, citra ullum ægrorum detrimentum, ex Officinis pharmacevticis exulare poſſent.

§. IX.

De CARYOPHYLLO REGIO ſive SPICATO, cujus non pauci in ſcriptis ſuis mentionem fecerunt, multa recenſere ſuperſedeo, quoniam nusquam amplius apud pharmacopolas noſtrates reperitur, et hodie quoque in ipſa India orientali, ob parciſſimum arborum proventum, carus non minus quam rarus eſt. Odoris et ſaporis aromatic.

gratia vulgarem ſuperare, quoad formam vero cum eodem convenire dicitur, ſphærula florifera excepta, qua deſtituitur.

* *

CAPUT XXXXVII.

DE

GRANIS CARDAMOMI ET PARADISI.

§. I.

A plerisque Materiæ medicæ ſcriptoribus tres quidem, immo quatuor, CARDAMOMI ſpecies, nimirum *Cardamomum majus*, *medium* ſive rotundum, *minus*, et *minimum* numerantur; verum, noſtra ætate ſolum *Cardamomum minus*, ſive *ſimpliciter dictum* C. B., ceu præſtantius et odoratius, in uſum venit. Hoc ſiliquas ſiſtit membranaceas, triquetras, pallide ſubluteas, in tria loculamenta diſtinctas, quibus ſemina ſeu granula, rugoſa, anguloſa, fuſco-nigricantia, aut flavo-rubentia, odoris grati, ſaporis acris, aromatici, et paullulum camphorati, includuntur. Planta, quæ fructus hoſce ſiliquoſos fert, et in regionibus Indiæ orientalis *Cananor*, *Calecut*, atque *inſula Ceylon* præcipue creſcere dicitur, caulem habet arundinaceum, geniculatum, ad trium pedum altitudinem plerumque adſurgentem. Radix juſto tempore ſpicam emittit, cui flores ſubflavo-albicantes

cantes innaſcuntur, quibus tandem ſiliquæ laudatæ ſuccedunt. Grana hæc, ſiliquis ſuis adhuc incluſa, præſtantiora ſunt, et obſcurioris coloris, exemta vero et exſiccata intra breve tempus multum virtutis amittunt, et colorem rufo- aut ſubluteo-albicantem ſortiuntur.

§. II.

Conſtant ex partibus *oleoſis eſſentialibus, reſinoſis, gummeis*, et *multis terreſtribus*. Virtus partim in oleo eſſentiali, partim in ſubſtantia fixa reſinoſa quærenda eſt. Oleum mediocri quantitate adeſt, et libra granorum una, teſte NEVMANNO *(a)*, quinque vel ſex drachmas reddit. Tinctura ſpirituoſa prima, quæ flaveſcens eſt, ipſius cardamomi odorem ſpirat, gratumque ſaporem aromaticum poſſidet. Evaporata maſſam ſuppeditat pallide ſubfuſcam, cardamomi grana fortius, quam tinctura, redolentem, ſaporis in principio moderate aromatici, poſtea autem valde acris, atque diu urentis. Uncia una mihi drachmam unam et aliquot grana dedit. In extracto aquoſo primo nihil ferme activitatis latet, idemque, licet majus pondus habeat, odore et ſapore aromatico ſpecifico penitus deſtituitur.

(a) *L. c. p.* 668.

§. III.

Inter ciborum condimenta non minus, quam medicamenta cephalica, ſtomachalia, carminativa, et cardiaca calidiora non infimum locum ſibi vindicant, et in vomitu inprimis pituitoſo, imbecillitate ventriculi, adfectibus frigidis flatulentis, vertigine ſtomachali, lipothymia, palpitatione cordis, ab utero præcipue atque ventriculo conſenſualiter oriunda, cachexia etc. vires notabiliores exerunt. Recipiuntur inter maſticatoria, trageas, et varias compoſitiones pharmacevticas, nec raro quoque, ad drachmam ſemiſſem vel integram, vino infunduntur.

§. IV.

Cardamomi ſpeciebus multi ſcriptores etiam GRANA PARADISI, ob aliquam formæ externæ ſimilitudinem, accenſent, eaque *Cardamomum maximum* vocant; alii ex adverſo, qui magis ad ſaporem reſpiciunt, illa inter piperis ſpecies collocanda eſſe, exiſtimant. Pro meo judicio horum æque, atque illorum ſententia quodammodo admitti poterit, quum utraque aliquo fundamento nitatur. Quicquid interea ſit, *Grana Paradiſi* ſunt ſemina anguloſa, cardamomi vix deſcripti granis majora, coloris fuſci, aut ſubfuſco-rufeſcentis, odoris aromatici, ſaporis, piperis fere inſtar, acerrimi ac valde urentis. Adferuntur ex *India Orientali*, et *Africa*, planta

planta tamen, a quibusdam *Malaguetta* nuncupata, nondum ſatis nota eſt, et capſulæ ſeminales ſolummodo, quibus grana hæc includuntur, magnæ, globoſæ, tumidæ, ac rubicundæ eſſe traduntur.

§. V.

A pipere, intuitu naturæ, principiorum, atque virium, parum recedunt, ac paullo ſaltem temperatiora ſunt. Activitas nonſolum ad *oleum* et *principium fixum reſinoſum*, ſed ad *gummeam* quoque *ſubſtantiam* redundat. Nam extractum aquoſum primum, obſcure ac ſordide fuſcum, albis maculis paſſim in ſuperficie diſtinctum, ſatis acrem ac fervidum ſaporem poſſidet, licet infuſo et extracto ſpirituoſo primo in hoc paſſu non æquiparandum ſit: quippe quæ urentem atque acerrimum ſaporem guſtus organo imprimunt. Ex uncia una circiter drachmam unam et grana aliquot extracti aquoſi, et drachmam unam, ſcrupulumque ſemiſſem extracti ſpirituoſi primi impetravi. Notandum tamen, me extractioni non grana contuſa, ſed integra abhibuiſſe.

§. VI.

Militant magis inter condimenta ciborum, quam medicamenta, piperi nihilominus in caſu quocunque ſubſtitui, et eodem quoque modo in uſum trahi poſſunt. Nonnulli,

nulli, ſemina hæc inter grana piperis et cardamomi, reſpectu virtutis, medium quaſi locum, et hiſce potentiora, illis remiſſiora eſſe, non ſine ratione credunt.

* *

CAPVT XXXXVIII.

DE CASTOREO.

§. I.

CASTOREVM ſive CASTORIVM, adhuc integrum, h. e., nondum in fruſtra diſſectum, duos folliculos glanduloſo-membranaceos denotat, oblonge rotundos, in inguinibus *Caſtoris* (a), ovi gallinacei, immo anſerini, magnitudine, naturaliter prognatos, paullulumque poſt exciſionem brevi fumi-

(a) Caſtor, qui etiam *Fiber*, itemque *Canis Ponticus*, Germ. Bieber, dicitur, amphibium quadrupes eſt, pilis molliſſimis, coloris partim fuſci, partim gryſei, veſtitum, ac plene adultum ſuis ſex circiter menſium magnitudinem habet. Capite, quod dentibus longis et acutis armatum eſt, murem Alpinum vel lutram, cauda vero, quaſi ſquamoſa, et ordinario pilis denudata, integrum piſcem refert. Pedes breves ſunt, anterioresque melis vel canis, poſteriores vero anſeris, vel oloris pedibus non diſſimiles deprehenduntur. Conf. B. HILSCHERI *Diſſ. de Caſtorii natura et genuina in praxi medica uſu p. 5.*

fumigatione in camino exſiccatos, adeoque nonnihil corrugatos, intus materia pingui oleoſa, melleæ in principio conſiſtentiæ, melleique coloris, hinc inde inſtructos, valde graveolentes, coloris flavo-fuſci, vel rubro-aut fuſco-nigricantis, ſaporis ſubacris et amaricantis nauſeoſi.

§. II.

Folliculi hi, ſive burſulæ, quas veteres, et nonnulli pariter neotericorum pro teſticulis caſtorum falſo habuerunt, et germanico proinde idiomate Biebergeil adpellarunt, apud caſtores, mares æque, ac foeminas, reperiuntur, et peculiaris ſubſtantiæ corpora ſunt, a teſticulis plane diverſa. Veri enim teſtes, apud caſtores mares obvii, et ovum columbinum magnitudine vix æquantes, ſpecifico caſtorei odore et ſapore penitus deſtituuntur: Texturam præterea vaſculoſo-tubuloſam obtinent, et ita intra abdominis cavitatem locati ſunt, ut citra necem animantis exſcindi nequeant; memorati folliculi autem utrinque in inguinibus, alter nimirum in dextro, alter in ſiniſtro inguine, ſtatim ſub cute excreſcunt, nec ullo modo cum mentula communicant. Præter binos hoſce folliculos majores, duo adhuc minores adſunt, qui ſola tamen pinguedine repleti inveniuntur.

§. III.

§. III.

Laudata amphibia in ripis fluminum majorum atque lacuum ſua exſtruunt domicilia, et in *Pruſſia* atque *Polonia* circa Viſtulam, in *Moſcovia*, *Siberia*, et *Tartaria* circa Boryſthenem, Dvinam, Tanaim, Obium, Wolgam, et Pontum Euxinum, in *Gallia* circa Rhodanum, nec minus in *Canada*, et *Nova Anglia* magno inprimis numero occurrunt, immo, ipſa *Germania* noſtra, circa Rhenum, et Albim, præſertim in *Ducatu Magdeburgico*, multos caſtores alit. Victum ſuum magis in terra, quam aqua, quærunt, et arborum fructibus atque corticibus præcipue delectantur.

§. IV.

Pro regionum atque climatum diverſitate caſtorei bonitas differt: Optimum cenſetur *Pruſſicum* et *Polonicum*, huic *Ruſſicum* ſuccedit, et infimo demum loco *Americanum* collocatur. Pruſſicum genuinum reliquas ſpecies penetrante odore et ſapore, viribusque medicis magnopere ſuperat: Genuinum, inquam; caſtoreum enim ad illas merces pertinet, quæ a fraudulentis, lucri majoris cauſſa, creberrime corrumpuntur. Maſſam ſcilicet ex gummatibus, gummi ammoniaco v. g. opopanace, ſagapeno etc. componunt, eamque pinguibus folliculis caſtorinis poſtea inſuunt. Mangonium hoc odor et ſapor detegunt,

tegunt, qui in caſtoreo genuino longe fortiores, quam in adulterino, deprehenduntur. Subinde etiam, ad pondus augendum, arenam, globulos plumbeos, et ſimilia corpora ponderoſa immittunt, quæ fraudes, niſi folliculi aperiantur, non facile detegi poſſunt.

§. V.

Circa deſignandas partes caſtorei conſtitutivas, præſertim activas, ſcriptores medici plus minusve diſſentiunt: Alii enim eidem cum HERMANNO *(a)* *ſal volatile penetrantiſſimum, pinguedini incluſum*, aut cum LEMERIO *(b)* *copioſum* ac *penetrans oleum*, et *ſal volatile*, alii cum ETTMÜLLERO *(c)* et VALENTINO *(d)* *ſal volatile oleoſum*, vel etiam, uti B. HILSCHERVS fecit *(e)*, *partes ſalinas volatiles, ſulphur copioſum explicantes*, tribuunt. Quod me attinet, nullas particulas ſalinas explicitas admitto, ſed caſtoreum, *ſtricte ita dictum*, maſſam nempe fuſcam, exſiccatione induratam, adeoque fragilem, folliculis incluſam, et adhærente pinguedine liberatam, ſolisque membranulis tenerrimis permixtam, ex partibus *terreis*, *reſinoſis*, *gummeis*

(a) Cynoſ. Mat. Med. p. 309.
(b) *Lib.* ſæpius cit. p. 261.
(c) V. Coll. Pharmacevt. in Schroeder. ſub voce Caſtor.
(d) In Muſ. Muſeor. p. 474.
(e) In *Diſſ.* cit. p. 15.

gummeis ſive mucilagineis, et *oleoſo-inflammabilibus* conſtare, arbitror. Oleum ſubſtantiale tam exigua quantitate adeſt, ut vix, aut ne vix, in ſubſtantia monſtrari queat, niſi magna caſtorei quantitas una vice humidæ deſtillationi ſubjiciatur; adeo tamen ſubtile eſt, adeoque mobiliſſimis particulis ſpirituoſis refertum, ut unica guttula, in halitus reſoluta, magnum aeris ſpatium ſpecifico caſtorei odore replere valeat. Huic igitur principio odor, et vires, quibus totum caſtoreum, ejusdemque extracta pollent, unice adſcribi merentur. Inertes partes terreæ dimidium ponderis explent, gummeæ vero ac reſinoſæ fixæ ita invicem mixtæ inveniuntur, ut pondera earum exacte determinari nequeant. Obſervante enim NEVMANNO *(a)*, una caſtorei uncia, ſive aqua primum, ſive ſpiritu vini rectificatiſſimo extrahatur, drachmas duas et ſcrupulum unum extracti ſuppeditat, ita tamen, ut ſpirituoſum primum unguinoſum, et ſatis quoque, ob retentas, implicitasque multas particulas oleoſo-ſpirituoſas, activum, aquoſum vero fragile, ſiccius, et, ſaporis non minus, quam odoris intuitu, longe debilius reperiatur. Extracta ſecunda, propter inertiam ſuam, nulla amplius conſideratione digna ſunt, immo, ipſa extracta prima odore et virtute ſpoliantur, quando aqua ſimplex ſemel vel aliquoties

(a) L. c. p. 1232.

ties ab illis abſtrahitur, adeoque partes oleoſæ ſpirituoſæ, quæ ſolæ, uti antea dictum, activitatis et fragrantiæ rationem in ſe continent, penitus ſeparantur.

§. VI.

Multi maximis hoc pharmacum laudibus extollunt, multi prorſus contemnunt: Hi illud medicamentum *famoſum* quidem, aſt *nimis fumoſum* eſſe, et citra artis medicæ detrimentum ex Officinis pharmacevticis exulare poſſe, credunt *(a)*; illi ex adverſo vires plane egregias *ſedativas*, *anodynas*, *antiſpasmodicas*, *nervinas*, *cephalicas*, *carminativas*, *uterinas*, et *anthyſtericas* eidem adſcribunt, adeoque uſum ejus in morbis variis, maxime autem in convulſionibus partium, epilepſia, apoplexia, adfectibus ſoporoſis, paralyſi, vertigine, palpitatione cordis, cardialgia, colica, paſſione hypochondriaca, ſuffocatione hyſterica, ſingultu, et cachexia virgi-

(*a*) „Caſtorium, RIVINVS *ſcribit*, ſane mulierculis, „quibus ſuaveolentia diſplicent, negare nolim: „ſi modo medici politiores non delectentur ejus-„modi ſordibus. Sit ita, egregie foetere, ne-„care vermes, expellere omnis generis exan-„themata, pollere facultatibus nervinis et uteri-„nis, quid tum poſtea? non deſunt alia, etiam „ſi caſtoreo carerent officinæ etc. Vid *Diſſ. ejus* „*de Medicamentor. officinal. cenſura cap. II. de nau-„ſeôſis §. 8.*

virginum, præſtantiſſimum eſſe, contendunt. (a) Pro meo judicio utriusque ſententiæ patroni, hi laudando nimium, illi vituperando, juſtos limites transgrediuntur. Pollet omnino caſtoreum, propter tenerrimum, mobiliſſimumque principium ſuum oleo-

(a) „Vis ejus, ETTMÜLLERVS *loco vix allegato inquit,* fundata eſt in ſale admodum oleoſo acri et „penetrante, et ſenſus graviter afficiente. Unde inprimis ad affectus nervinos doloroſos et „capitis multum valet, ubi ſenſuum hebetatio „adeſt, quos fortiter ferit, ſpiritus etiam animales torpidos excitat, indeque in lethargo, paralyſi, apoplexia, epilepſia, et quibusvis affectibus convulſivis, tam internis, quam externis, „aphonia, vertigine caſtorium frequentiſſimi et „egregii uſus eſt, quocunque modo adhibitum, „imo eſt nobiliſſimum remedium carminativum, „et flatuum diſcuſſivum, unde in affectibus inteſtinorum et abdominis torminoſis et flatuoſis, „inflatione ſtomachi v. g., colica flatulenta, paſſionibus hyſtericis, ſuffocatione hypochondriaca etc. ſacra anchora eſt, ſive externe appenſum, ſive interne propinatum, acidum in primis viis, præprimis ex pancreate, et quocunque in corpore humano corrigit, motusque „convulſivos potenter ſiſtit et compeſcit. Ulterius in aurium tinnitu, aſthmate convulſivo, „epilepſia uterina, aliisque morbis uteri, in ſpecie pro uſu pellendi foetum et ſecundinas, „ciendi menſes ſuppreſſos, et cum difficultate ac „variis abdominis pathematibus fluentes, ſiſtendi „mulierum dolores poſt partum, et promovendis lochiis aperto conſilio datur, et cum myrrha „ſociatur. etc.

oleoſum, et expanſivum ſpirituoſum, viribus *diſcutientibus*, *commoventibus*, et *anodynis*, ideoque in morbis memoratis, aliisque, ſuppoſita tamen frigida magis, quam calida cauſſa materiali, non contemnendum præſtare valet auxilium: Quod in iis autem promiſcue, h. e., præſente cauſſa quacunque, in uſum trahi poſſit, concedere nequeo, dum adfectus memorati perſæpe a cauſſa calida bilioſa, vel etiam ab abundantia, orgaſmo et congeſtione ſanguinis, ſimilibusque cauſſis, quæ expandentia minime perferunt, nunc proxime, nunc remote, oriuntur.

§. VII.

Pro uſu interno pulveribus quidem, electuariis, ac pilulis, ad grana aliquot, additur, optime tamen in eſſentia, a decem ad triginta guttas, exhibetur. Externe inter odoramenta anthyſterica locum occupat, nec raro quoque emplaſtra et unguenta roborantia, nervina, antepileptica, antiſpasmodica etc., itemque pulveres errhinos atque cephalicos ingreditur.

§. VIII.

Cum ipſo caſtoreo, quoad principia volatilia, AXVNGIA ſive PINGVEDO CASTOREI, quæ in folliculis minoribus ſola reperitur, in majoribus vero ſubſtantiæ duriori, ſeu caſtoreo proprie ita dicto, paſſim

adhæreſcit, indeque abraditur, liquatur, poſteaque ſeorſim adſervatur, convenit. Penetrantem enim caſtorei odorem et ſaporem ſpecificum poſſidet, nec ullo igitur modo dubitandum eſt, quin ſimillimis particulis oleoſo-ſpirituoſis, ſimilibusque viribus inſtructa ſit. Interne ob nauſeam, quam adſumentibus creat, nunquam præſcribitur, externe autem frequentiſſime unguentis *nervinis*, *antiparalyticis*, *antiſpasmodicis*, *antepilepticis*, *anticolicis* etc. miſcetur, immo haud raro per ſe contra ſingultum et colicam flatulentam, convulſivam, hyſtericam, regioni umbilicali et hypochondriis, vel ſpinæ etiam dorſali, præſente epilepſia, inungitur.

CAPVT XXXXIX.

DE MOSCHO ET ZIBETHO.

§. I.

MOSCHVS, Bieſam, eſt ſubſtantia grumoſa, ſicca, contactu tamen nonnihil pinguis, ſanguini exſiccato et in fruſtula minima diffracto quodammodo ſimilis, coloris fuſco-aut ferrugineo-nigricantis, ſaporis ſubacris amaricantis, odoris balſamici fragrantiſſimi.

§. II.

§. II.

Eximitur e naturali quodam folliculo, rotundo, duro, piloſo, qui apud ſic dictam *Çapreolam* ſive *Dorcadem moſchiferam* (*a*) in abdomine prope inguina, ovi gallinacei magnitudine, excreſcit. Vivunt hæc animalia in regnis *Thibet*, *Pegu*, *Tunquin*, pluribusque *Chinæ* et *Indiæ orientalis* tractibus, immo in *Siberia* et *Tartaria* notabili hinc inde numero obvia ſunt. Moſchus *orientalis*, præſertim in regno Thibet collectus, moſchum *Ruſſicum*, ex Siberia etc. allatum, partium

 vola-

(*a*) Animal moſchiferum neque capris ſylveſtribus, neque dorcadibus perfecte accenſeri poſſe, ſed ſingulare quadrupes eſſe, tum corporis totius, tum partium nonnullarum forma a capris et dorcadibus diſtinctum, quidam rerum naturalium ſcriptores dudum agnoverunt: „Animal moſchi, „IOH. CYPRIANVS *in Cont. Hiſt. Animalium* FRAN„ZII *T. I. p. 749. inquit*, i. e., pretioſi ac ſuavis „odoramenti illius in India, Tartaria, Sina, Al„drovandus capris accenſet, alii capreis annume„rant, alii leporis aut vulpis figura deſcribunt. „Qui inter diverſas ejus ab auctoribus productas „icones eam, quæ exactiſſima putatur a Luca „Schröckio Med. D. et Phyſico Auguſtano, re„centiſſimo, ſolertiſſimoque Moſchi ſcrutatore, „intuetur, inter capras non refert, nec inter ca„preolos, cum barba et cornibus careat, exertos „etiam dentes, quibus animal moſchiferum in„ſtructum, capreolorum, dorcadum, cervorum„que genus nullum oſtendat. Cruribus et pilis „capreolum repræſentat, vultus lupinus eſt, col„lum camelinum. etc.

volatilium ſubtilitate atque copia, adeoque odoris etiam fragrantia, longe ſuperat, et multo cariori proinde pretio venditur. Fraudulenti præſtantiorem moſchum orientalem viliori Ruſſico, vel etiam, ad pondus augendum, ſanguine exſiccato, terra Japonica, ſtercoribus murium etc. miſcent; quæ mangonia, ſi materiæ peregrinæ modica quantitate additæ fuerint, interdum difficillime cognoſcuntur.

§. III.

Scatet ſingulare hoc concretum *particulis tenerrimis*, *mobiliſſimis*, *fragrantiſſimisque oleoſo-ſpirituoſis*, quæ *fixiori matrici gummeo-reſinoſo-terreæ* plus minusve involutæ ſunt, indeque ſenſim exhalando ſecedunt, et aerem circumfuſum, aliaque corpora, quibus ſeſe inſinuant, ſpecifico moſchi odore valde imbuunt. Subtilitas earum maxima omnino, ac prorſus ſtupenda eſt: Unicum quippe moſchi granum per aliquot annos absque intermiſſione fortem diffundit odorem, et integram pulveris cujusdam inodori libram, ſi intimius tritura miſceatur, odore fragrante imprægnare valet. Moleculæ fixæ reſinoſo-gummeæ unam, terreæ inertes alteram ferme totius ponderis partem dimidiam conſtituunt. Priores odoratiſſimo principio volatili admodum turgidæ, et tantopere invicem mixtæ inveniuntur, ut aqua non minus, quam

quam ſpiritu vini rectificatiſſimo maximam partem ſolvi poſſint: Gummea tamen ſive mucilaginea ſubſtantia paullo majori quantitate, quam reſinoſa, adeſſe videtur, quoniam moſchi drachma una plerumque grana viginti quatuor extracti primi aquoſi, et unicum ſolummodo ſcrupulum extracti ſpirituoſi primi foeneratur (a). De *volatilibus particulis ſalinis*, quæ oleoſo-ſpirituoſis inflammabilibus ſociatæ cenſentur, multa addere nolo, quum natura earum nondum ſatis innotuerit: Si paucis tamen, quid ſentiam, dicere licet, urinoſæ easdem indolis eſſe, arbitror. Credo quoque, præter urinoſas, maſſæ fixiori tenerrimas quasdam *ammoniacales* inhærere, quoniam adfuſo oleo tartari per deliquium halitus urinoſi veſtigia notantur, et tenerrimum præterea ſal ammoniacale, niſi omnium, certe tamen plerarumque, partium animalium mixtionem ingreditur.

§. IV.

ZIBETHVM Ziebeth, eſt ſubſtantia unguinoſa, pallide flaveſcens, conſiſtentia mel aut butyrum æmulans, ſaporis ſubacris, odoris balſamici fragrantiſſimi. Pretioſa hæc pinguedo apud *Animal Zibethicum*, quod nonnulli, propter aliquam formæ ſimilitu-

 dinem

(a) Conf. Neumann. *L. c.* p. 1289.

dinem *(a)*, etiam *Felem* aut *Catum Zibethicum*, *Catum odoriferum* etc. vocant, e ſanguine, et quidem in certo folliculo glanduloſo, apud mares inter anum et penem, apud foeminas inter anum et pudenda, adeoque in perinæo, naturaliter ſito, atque in duos loculos diviſo, ſecernitur, indeque, largius collecta, vel ſponte per ductum excretorium effluit, vel ab ipſo animante, quamprimum in loco moleſtum ſentit pruritum, vi exprimitur, arborumque truncis ac ramis, aliisque corporibus ſolidis ſub folliculi prurientis affrictu illinitur, vel certis etiam temporibus, apud capta nimirum, cancellis incluſa, atque nonnihil cicurata hujusmodi animalia, e laudatis loculis, parvi cochlearis ope, eximitur. In locis ſylveſtribus collectio non tædioſa ſolum, ſed etiam parciſſima eſt, quoniam animalia Zibethica, ex antris ſuis egreſſa, hinc inde curſitant, arbores-

(a) Animalia Zibethica in *India orientali*, *China*, *Braſilia*, aliisque *Aſiæ*, *Africæ*, et *Americæ* regionibus ſylvarum incolæ ſunt, et magis vulpem. quam felem, corporis forma referunt. Caput habent longum, dentes nigros et acutos, pedes breves, caudam prolixam ac ſatis piloſam. Pelle teguntur cinerei coloris, ſtriis tamen ac maculis nigris, præſertim apud fæmellas, eleganter diſtincti. Animalia admodum fera ſunt, et capta igitur, et cancellis incluſa, difficilius paullo manſueſcunt. Zibethum orientale, quod addere placet, occidentali ſive Americano præſtantius eſſe dicitur.

boresque ſcandunt, et promanantem itaque, vel expreſſam materiam unguinoſam ſparſim, et exigua duntaxat quantitate arboribus etc. affricant. In principio, quod monendum duco, Zibethum colorem albicantem habet, aliquamdiu vero adſervatum, flaveſcentem, tandemque ſubfuſcum induit.

§. V.

Ex duplici ſaltem principio, altero nimirum *ſpirituoſo*, *mobiliſſimo*, *oleoſo-inflammabilis naturæ*, altero *craſſiori*, *pingui*, *unguinoſo*, conſtat: Hoc involucrum quaſi, ſeu receptaculum conſtituit, illud maſſæ fragrantiam, et præcipuam activitatem largitur. Portio ſpirituoſa, iterata deſtillatione humida, maximam quidem partem a ſpiſſiori ſubſtantia ſeparatur, et aquam tranſtillantem fragrantiſſimo odore imbuit, ob ſummam tamen teneritudinem ac mobilitatem, in molem conſpicuam redigi, adeoque relativum quoque ejus pondus exacte determinari nequit.

§. VI.

Parum vel nihil diſcriminis, intuitu virium et uſus, moſchum et Zibethum intercedit, præterquam, quod Zibethum odore ſuo facilius, quam moſchus, nauſeam creet. Cruorem, fluidum nerveum, ceterosque humores mirifice expandunt, et forti hac expanſione perſæpe capitis dolorem, vertigi-

 nem,

nem, lipothymiam, apud plethorica inprimis ſubjecta, provocant, immo, ſolus odor eorum multis, tam maſculini, quam foeminini ſexus, hominibus, maxime autem foeminis hyſtericis adeo adverſatur, ut eundem citra animi deliquium, ſummamque anxietatem, diu perferre nequeant: Hine per ſe etiam rariſſime, vel nunquam, a medicis providis præſcribuntur, ſed aliis tantummodo medicamentis, tam internis, quam externis, ſpiritibus v. g., aquis ſpirituoſis, ſpeciebus, rotulis, morſulis, balſamis liquidis, et ſpiſſiuſculis, unguentis, emplaſtris, maſſis odoratis, pulveribus cypriis etc., doſi valde exigua adduntur. Notandum tamen, moſchum Zibetho in hoc paſſu præferri, et longe frequentius laudatum medicaminum condimentum odoriferum conſtituere.

(*a*) PAVLVS HERMANNVS moſcho vires analepticas, cardiacas et anthyſtericas tribuit. Sed, quomodo illæ cum memoratis, frequenti experientia ſatis comprobatis, effectibus conciliari poſſint, non intelligo, faciliusque fragrantiſſimum hoc concretum inſultus hyſtericos et lipothymias accerſere, quam profligare, credo.

CAPVT

CAPVT L.

DE SVCCINO ET AMBRA.

§. I.

SVCCINVM OFF. Birnſtein, Agtſtein, eſt bitumen minerale, durum, ſplendens, nunc opacum, nunc plus minusve pellucidum, eminente vi electrica præditum, coloris vel flavi, aut flaveſcentis, vel albi, vel flavo-rubicundi, immo interdum, tametſi paullo rarius, ſubflavo-virideſcentis, odoris, ſi prunis injicitur, aut panno ſaltem villoſo etc. fortius affricatur, grati balſamici. Dicitur etiam *Carabe*, *Karabe*, itemque *Electrum*, *Gleſſum*, *Ambra citrina*, *Ambra occidentalis* etc.

§. II.

In variis quidem regionibus, *Anglia* nimirum, *Polonia*, *Hungaria*, *Moravia*, *Bohemia*, *Italia*, *Sileſia*, *Saxonia*, *Marchia Brandenburgica*, nec minus circa mare Balthicum in *Livonia*, *Finnonia*, *Curlandia*, *Holſatia*, *Dania*, *Suecia* etc. majora et minora ſuccini fruſta perſæpe reperta fuerunt, immo hodienum in tractibus arenoſis ſubinde reperiuntur, aut fortuito etiam inter arandum ac fodiendum e terra eruuntur, nullibi tamen in recen-

recenſitis telluris tractibus tanta copia occurrunt, ut pharmacopoei et artifices neceſſariam inde quantitatem petere poſſent, ſed ſola *Pruſſia* gentibus plerisque copiam deſideratam largitur. Hic enim a piſcatoribus e mari Balthico prope littora Sudavica ſingularibus retibus copioſe extrahitur, partim etiam, poſtquam, borea aut Zephyro flante, a commoti pelagi undis major vel minor portio in littus ejecta fuit, ex arena colligitur, partim in *Sambiæ* locis quibusdam, a mari magis minusve diſſitis, e tellure, cujus viſcera venæ bituminoſæ ſucciniferæ hincinde perreptant, effoditur. In ſtratis ſive venis hiſce, quæ ex arena, vitriolo martiali, aut ejus tamen minera, et nigra materia ceſpitoſo-bituminoſa, petroleo prægnante, lignumque foſſile habitu externo atque forma æmulante, conſtant, illud quoque ſuccinum, quod in fundo maris reperitur, ſuos natales habet, et inde ſaltem ab aqua marina, per ſubterraneos cuniculos intrante, eluitur: Hinc ratio quoque manifeſta eſt, cur ſuccinum majori duntaxat copia prope littora obvium ſit, in locis vero maris Balthici, a promontorio Sudavico, laudatisque venis ſucciniferis longius remotis, rarius inveniatur.

§. III.

Ad naturalem ſuccini mixtionem, ſive album, ſive aureum, flaveſcentem, flavo-ſubviri-

viridem, aut flavo-rubicundum, ſive alium adhuc colorem (a) obtineat, ſemper *petroleum* et *acidum vitrioli* concurrunt, ita tamen, ut parum quoque *terræ* et *aquæ* in conſortium recipiant. Petroleum, cujus color aureus, et interdum quoque, quanquam rarius, albicans, aut flaveſcens, rubicundus, virideſcens etc. exiſtit, cum parte terrea baſin præbet, et præcipuam diverſi coloris rationem in ſe continet, acidum vitrioli vero, ſub halitus, aut tenuis liquoris forma paullatim ſeſe inſinuans, maſſam terreo-oleoſam in corpus ſolidum cogulat. In principio, h. e., poſt primam coagulationem, fruſta ſuccini, quod variæ obſervationes, alibi recenſitæ, abunde comprobant, aliqua adhuc mollitie ac friabilitate gaudent, et in aqua demum marina, vel ſenſim quoque in ipſis ſtratis aut venis ceſpitoſo-bituminoſis perfecte indureſcunt.

§. IV.

(a) Quamvis HARTMANNVS, octoginta ſuccini ſpecies, colore plus minusve diſtinctas, reperiri, in *Hiſtoria Succini Pruſſici* referat; certo tamen certius eſt, omnes ac ſingulas de albo, flavo, rubente, et ſubviridi colore præcipue participare, et prædictam igitur varietatem a ſingulari ſolummodo, ac diverſiſſima colorum memoratorum exaltatione et miſcela dependere. Nam, quod ſic dictum *Succinum nigrum* attinet, illud *Gagatæ* aut *Aſphalti* ſpecies, vel aliud quoddam peculiare bitumen foſſile eſt, nec ullum ideo locum inter ſuccini veri ſpecies ſibi vindicare poteſt.

§. IV.

Laudata ſuccini elementa, quoad qualitatem et proportionem, deſtillatione ſicca facile demonſtrantur. Quando ſuccini enim portio in retortam vitream aut terream loricatam, carbonibus immediate imponendam, absque additamento immittitur, et ignis ſucceſſive augetur, primo liquor ſpirituoſus aqueo-acidulus cum oleo ſubtiliori, leviori, volatiliori, clariori, flaveſcente, deinde oleum rubicundum mediæ conſiſtentiæ, tandemque craſſius, gravius, fuſco-nigricans, prodeunt. Oleo maximam partem expulſo, ſal ſiccum, volatile, albicans, pingue, acidulum, adſcendit, et collo retortæ, partim etiam receptaculi parietibus adhæreſcit, et nihil itaque, niſi pauca materia carbonaria terreſtris in retortæ fundo remanet. Oleum ſubtile, ſtatim in principio deſtillationis prolectum, in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur, adeoque indolem magis ætheream, et teneriorem texturam prodit, craſſius vero ſolutionem in eodem, quoad maximam partem, reſpuit. Secundum adcurara B. NEVMANNI examina ſuccini vulgaris libra una duodecim ferme uncias olei, unciam unam cum ſemiſſe phlegmatis, unciam unam capitis mortui terreſtris, et quatuor circiter drachmas cum dimidia ſalis aciduli ſuppeditavit (*a*).

Quic-

(*a*) Vid. Lect. ejus de Succino.

Quicquid circa totum pondus deficit, procul dubio ad volatilia principia aqueo-ſalino-oleoſa pertinet, et partim per vaſorum commiſſuras ſub halitus forma penetravit, partim in vaſis, parietibus hinc inde adhæreſcens, relictum fuit.

§. V.

Egregias vires *nervinas*, *cephalicas*, *cardiacas*, et *uterinas* bituminoſum hoc concretum in corpore humano exerere, et urinam quoque, foetum, et ſecundinas potenter pellere, medicorum plerique hactenus crediderunt. Verum, ſi de ſuccino, in ſubſtantia exhibito, ſermo eſt, aſſenſum meum ſimpliciter largiri nequeo, quoniam in ventriculo, etiamſi in pulverem tenerrimum redactum ſit, a liquore gaſtrico nunquam perfecte ſolvitur, ſed modica ſaltem ſubtilioris ac volatilioris ſubſtantiæ oleoſo-ſpirituoſo-inflammabilis odoratæ portio extrahitur, partim etiam blando ventriculi calore expellitur, et in halitum tenerrimum mutatur. Pars rudior indiſſolubilis vaſa bibula et lactea ſubire nequit, et neceſſario iterum cum excrementis alvinis excludi debet, pars reſoluta vero atque halituoſa ad ſanguinem quidem, tum filtrando, tum inhalando, penetrat, ibidemque leniſſimam comotionem ac diſcuſſionem præſtat: An inde autem laudatæ vires nervinæ, cephalicæ, cardiacæ, diureticæ, uterinæ atque pellentes

lentes ſufficienter deduci queant, judicent ſagaciores. Ego ſane rationem ſufficientem non invenio, et ſuccinum itaque inter debilia ac parum activa nervina referendum eſſe, arbitror. Nolo tamen dicta ad tincturam extendere, quæ mobilibus particulis oleoſo-inflammabilibus largius impraegnata eſt, et vegetiorem omnino operationem exercet, præſertim cum activitas ejus ſpiritus vini connubio, ac ſimul inhærente ſale alcalico, quod plerumque ſub extractione additur, haud parum intendatur. Externe ſuccini integri uſus majoris ferme momenti eſt, dum uſitatiſſimum, præſtantiſſimumque ſuffimigiorum ingrediens conſtituit, quæ contra aerem corruptum, dolores partium rheumaticos, catarrhos, tumores partium oedematoſos, et frigida uteri vitia in auxilium vocantur.

§. VI.

Ad bituminum mineralium cenſum AMBRAM SOLIDAM quoque referre nullus dubito, etiamſi ſcriptorum aliqui de animali, alii de vegetabili ejus origine tam multa ac varia tradiderint, ut numeroſiſſimæ inde hypotheſes enatæ fuerint (*a*). Pro meo judicio Ambra ſtricte ita dicta non genere, ſed ſal-

(*a*) Plura de diverſis opinionibus, quæ circa originem ac geneſin *Ambræ* ſucceſſive innotuerunt, in KLOBII *Ambrologia*, et adhuc melius in NEUMANNI *Lectione de Ambra* videri poſſunt.

ſaltem ſpecie, a ſuccino differt, et corpus ſiſtit opacum, ſplendore deſtitutum, leve, ſiccum quidem ac fragile, contactu tamen nonnihil pingue, ad ignem facile liqueſcens, totum fere inflammabile, in manu calida, ceræ inſtar, molleſcens, raro lævis, ſed difformis plerumque ſuperficiei, odoris ſuaviſſimi, ſaporis nullius ſingularis, coloris vel albi, vel gryſei, vel flaveſcentis, cinereo-nigricantis, fuſci, nigri, aut variegati. Ambra gryſea, præſertim ſtriata, aut maculis albicantibus, flaveſcentibus, aut nigricantibus donata, cenſetur optima, nigra vero et perfecte alba ignobilior exiſtit *(a)*. Subinde roſtra avium, ſpinæ piſcium, aliaque heterogenea inhærent, nec raro quoque fruſta majora et minora foris cruſta nigricante oddućta ſunt.

§. VII.

(a) „Ambræ, KÆMPFERVS *in Amoenit. exot. p. 633.* „*ſcribit*, ex venarum ſubterranearum diverſitate, „multa varietas eſt, et ſuis quæque regionibus „propria; adeo, ut ex ejus inſpectione etiam na„tale littus, quo recepta ſit, a gnaris cognoſci „poſſit: perinde ut exercitatiores oenopolæ vini „deguſtati provinciam indicant. Alia enim bi„tumini crudiori, aſphalto, vel naphtæ atræ ex„ſiccatæ ſimilior eſt, adeoque nigrior, denſior, „gravior, vel minus; alia, ex nobiliorum par„ticularum admiſſione, candidior, carior, levior, „vel minus; alia ſæpe fungoſa admodum, ut acu„tiſſimus *Scaliger*, Serapionem amplexus, am„bram non inepte pro fungo maris habuerit. etc.

§. VII.

Adfertur ambra præcipue ex *India orientali*, ubi in variis oceani locis, maxime autem juxta *promontorium Comorinum*, prope *littora Æthiopiæ et Japoniæ*, itemque circa *inſulas Sumatram*, *Borneo*, *S. Laurentii*, *Mauritii*, et *pleraſque Moluccanas*, a piſcatoribus, nautis, aliisque ex aqua marina, cui per intervalla, prægreſſa inprimis forti pelagi agitatione, hinc inde fruſta minora et majora (*a*) innatant, extrahitur, vel ſubinde etiam in littore, ejusdemque cavernis reperitur. Senſim fruſta memorata e fundo maris, poſtquam a ſubterranea ſua minera, undis inprimis vehementius ſævientibus, violenter avulſa, et abrepta fuerunt, ad ſuperficiem adſurgunt, eorundemque alia in matrice ſua dudum indurata prodeunt, alia, quod inhærentia heterogenea, maxime autem ſpinæ piſcium, et parva avium roſtra ſatis teſtantur, aliquantulum adhuc mollia in aquam transferuntur. Orca, animal marinum ex piſcium cetaceorum familia, ambræ fruſta, aquæ innatantia, perſæpe deglutire, nec raro iterum evomere, aut per alvum reddere dicitur; hinc ambram quoque in folliculo ſeu cyſtide quadam

(*a*) De grandioribus ambræ fruſtis, quæ aliquot libras, integrum centenarium, quin aliquot ſubinde centenarios pependerunt, NEVMANNVS *L. c.* multa exempla ſpecialia, à variis ſcriptoribus, fide dignis, ſuggeſta, attulit.

quadam ventriculi apud piſces hoſce generari, multi, quanquam abſque ſufficienti ratione, crediderunt. Ambra cæteroquin, ab orca deglutita prius, ac denuo ejecta, vel etiam ex piſce occiſo exemta, reliquis ambræ genuinæ ſpeciebus longe ignobilior eſt, quoniam odorem debiliorem, foetido peregrino mixtum, ſpirat, ét rariorem præterea friabilioremque texturam obtinet *(a)*.

§. VIII.

Collectores et mercatores fraudulenti ambram genuinam, præſertim recentem, maſſæ farinaceæ inſtar molliuſculam, variorum corporum miſcela perſæpe corrumpunt, vel ſpuriam prorſus ex pice, cera, reſina, ſtorace, ladano, benzoe, ſuccino, moſcho, ligno aloes, ſimilibusque componunt, et ignaris ſeorſim pro vera vendere, vel genui-

(a) „Poſtremæ notæ, *ſunt iterum verba* KÆMPFERI *l. c. p. 635.*, ea cenſetur ambra, quæ in inteſtinis balænarum invenitur; virtute quippe ſua plurimum ibidem imminuta. *Mokos*, ceti genus, trium, et ad ſummum quatuor orgyiarum longitudinis, circa Japoniam capitur; cujus inteſtina frequentiſſime ambram exhibent: eſtque latentis nota, ſi inteſtinum ſolventibus illico occurrat grumoſa, calcique ſimilis materia. Frequens eſt in Japonia, quæ in balænæ extis inventa, vel cum excrementis, dum viveret, in mare egeſta fuit; unde vulgari lingua Japones ambram appellant *Kuſura no fuu*, i. e., ſtercus balænarum. etc.

næ tamen miſcere haud erubeſcunt. Emtor itaque, ſi fraudes craſſiores evitare velit, ad habitum externum, conſiſtentiam, liqueſcendi promptitudinem, colorem, ſaporem, et ſpecificum inprimis odorem, quem ambra integra non minus, quam prunæ aut metallo candefacto impoſita, diffundit, probe attendere debet: Suffitus enim adulteria optime detegit, reliqua criteria ſæpiſſime fallunt: „Non eſt melior, *ſæpe allegatus* „KÆMPFFERVS *l. c. p. 635. ſcribit*, boni„tatis et conſtantior nota, quam ſi candenti „laminæ ejus granula aliquot imponantur; quo ipſo ſuffitus prodit adulterium, et cineris paucitas bonitatem etc. Conf. etiam *Neumann. l. c.*

§. IX.

Monſtrante analyſi chemica, ambra eadem quidem principia, quæ ſuccinum poſſidet, circa proportionem tamen diſcriminis quidquam obſeruatur, oleumque comparative majori, terra ex adverſo longe minori quantitate mixtionem ingreditur. HERMANNVS NICOLAVS GRIMMIVS, in India orientali tunc temporis degens, aliquando unciam unam ambræ gryſeæ deſtillationi ſiccæ ſubjecit, indeque, igne gradatim aucto, primo *liquorem aqueum*, deinde *liquidum ſpirituoſum*, et *oleum* prodiiſſe, tandemque pauxillum *ſalis ſicci* ſublimatum fuiſſe,

fuiſſe, teſtatur. Producta hæc perfecte cum ſuccini diſſoluti productis conveniebant, præterquam, quod oleum paullo gratiorem odorem diffunderet. Reſiduum picem habitu externo referebat, et plures ſine dubio partes volatiles oleoſo-ſalinas reddidiſſet, ſi, adhibito intenſiori ignis gradu, deſtillatio diutius protracta fuiſſet. Ambra enim pauciſſimas ſaltem partes terreas continet, et quoad totam ferme molem in phlegma, oleum, et ſal volatile acidulum reſolvi poteſt; quemadmodum hoc B. NEVMANNVS expertus eſt *(a)*, cum unicam ambræ gryſeæ drachmam ſimili modo deſtillaret, et adæquatum in fine ignis gradum adhiberet. Obtinuit enim ſcrupulos duos cum dimidio olei, grana quinque aquæ, grana duo ſalis aciduli volatilis, et unicum ſolummodo granum materiæ ſiccæ, pulverulentæ, terreſtris. Bina grana, quæ deficiunt, ſine dubio inviſibili exhalatione conſumta fuerunt. Sal ſiccum volatile, præſertim ſi parva ambræ moles deſtillationi impenditur, non ſemper ſeorſim in conſpectum venit, ſed, penitus translatum, phlegmati immergitur, et majorem illi acorem conciliat.

§. X.

Quando ambra cum aqua ſimplici digeritur, vel plane coquitur, nonnihil quidem, Bb 3 reſi-

(a) L. c. p. 1419.

reſinæ inſtar, liqueſcere incipit, ſolutionem vero reſpuit, et aquam ſuavi duntaxat odore paullulum imbuit. In ſpiritu vini rectificatiſſimo quoque, tam ſimplici, quam tartariſato, nunquam penitus, blanda ſolummodo digeſtione in auxilium vocata, diſſolvitur, ſed modica ſaltem portio, quæ menſtruo fragrantiam, debilemque ſaporem balſamicum communicat, extrahitur: Sin coctio vero ſive ebullitio protractior, optime in cucurbita peragenda, accedit, et menſtruum præterea nonnihil ſimul oleoſum adhibetur, tota ferme ſolvitur, et tincturam valde activam largitur.

§. XI.

Liquido ex prælictis pateſcere arbitror, quod in ventriculo nulla plenaria ambræ, in ſubſtantia adſumtæ, ſolutio, ſed aliqua ſaltem, longe tamen copioſior, quam apud ſuccinum, partium ſubtiliorum extractio contingat, et quod medica igitur activitas unice a ſeparatis et extractis hiſce particulis tenerioribus exſpectanda ſit. Hæ ipſæ enim ob teneritudinem ſuam ac mobilitatem facile ad ſanguinem tranſeunt, eundemque, ut et fluidum nerveum blande agitant, atque expandunt, motumque circularem vegetiorem reddunt, et generali hac operatione moderatas quaſdam vires *nervinas*, *cephalicas*, *cardiacas*, *analepticas*, *aphrodiſiacas*, aliasque, quæ ambræ

bræ vulgo adſcribuntur, omnino exerere valent. Succino in hoc paſſu præferri quidem meretur; cavendum tamen, ne vires ejus ultra juſtos activitatis terminos, uti fieri ſolet ſæpiſſime, extendantur. Per ſe interne præſcribitur rariſſime, ſed aliis ſolummodo medicamentis compoſitis, ad augendam magis, aut conciliandam odoris ſuavitatem, quam virtutem; refracta doſi additur. Tinctura frequentiorem fere uſum invenit, et majorem quoque effectum edit, præſertim ſi ſolutis aut extractis particulis largius imprægnata ſit.

SECTIO XIII.

DE

AMARICANTIBVS, AVSTERIVSCVLIS, BLANDE BALSAMICIS, ACRIVSCVLIS, TERREO-AVT MVCILAGINEO-SVBADSTRINGENTIBVS, ALIISQVE, SAPORE MIXTO DONATIS.

CAPVT I.

DE

NATVRA, DIFFERENTIA ATQVE VIRTVTE DIVERSORVM HORVM SIMPLICIVM IN GENERE.

§. I.

Simplicia hujus Sectionis, ſpecialius in ſequentibus deſcribenda, odore et maxime ſapore plus minusve ab invicem diſtincta inveniuntur, ac jure igitur ſub diverſis claſſibus collocanda ſunt. Sapor quippe, qui primarium hoc loco

loco differentiæ fundamentum ſuppeditat, in aliis *amaricans*, aut *amarus*, in aliis *auſterus*, vel *auſteriuſculus*, in aliis *blande balſamicus*, in aliis *terreo-* aut *mucilagineo-ſubadſtringens* eſt, rariſſime tamen purus ac ſolitarius, ſed alio aliisve v. g. amarus aut amaricans *ſubdulci*, *auſteriuſculo*, *ſubacri*, *ſalſo*, aut *balſamico*, auſterus et auſteriuſculus *amaricante*, *amaro*, *balſamico*, *acriuſculo*; *ſubdulci* etc. mixtus. Nonnulla eorum, immo pleraque, ad amara quidem, auſtera, et balſamica, in præcedentibus dudum pertractata, referri potuiſſent: Verum, quum odor balſamicus in horum aliis longe remiſſior, in aliis fugaciſſimus exiſtat, et ſapor amarus quoque atque auſterus in plerisque, quæ illum poſſident, multo debilior ſit, ſejungere illa, et in hac Sectione ſeorſim deſcribere, conſultius duxi.

§. II.

Principia fixa, *reſinoſa*, *gummea*, aut *mucilaginea*, quibus *inſipida* et *inodora ſubadſtringentia* prædita ſunt, plerumque valde terrea et inertia reperiuntur; hinc guſtus quoque et olfactus organis non adeo ſingularem ſaporem et odorem poſt ſeparationem imprimere, multo minus eminentem in corpore humano mutationem producere valent. *Auſteriuſcula* et *Amaricantia*, quoad partes activas, cum auſteris et amaris fortioribus conveniunt; quare repetere hoc loco, quæ

 alibi

alibi ſufficienter de iis dicta fuerunt, ſupervacaneum judico. Sufficiat adjeciſſe, hæc, cum ſaporis ſint debilioris, minorem principii primarii quantitatem in mixtione gerere reconditam, vel illud tamen, ſive ſit reſinoſo-gummeum, ſive gummeo-reſinoſum, longe remiſſioris indolis exiſtere. Eadem propemodum de *Auſteriuſculo - amaricantibus*, *amaro-auſteris*, tum inodoris, tum ſimul odoratis balſamicis, nec minus de *acriuſculis* ac *blande balſamicis* dicenda erunt. Inodora enim ſola principia fixa gummeo-reſinoſa, reſinoſo-gummea, vel reſinoſo-gummeo-terrea, ſpecifice tamen diſtincta, fovent; odorata autem, licet parum vel nihil olei ſubſtantialis, recepta etiam notabili quantitate, ſub deſtillatione humida reddant, tenerrimum tamen, mobiliſſimum, fugaciſſimumque principium balſamicum cum aqua transmittunt, et decoctum, in cucurbita aut veſica relictum, fixis partibus tam gummoſæ, quam reſinoſæ indolis, adeo imprægnant, ut ſimilis conditionis extracta inde blanda evaporatione parari queant. Nonnulla quoque inter ea occurrunt, quæ *ſale quodam ſalſo* modice inſtructa ſunt.

§. III.

Inſipida terreo-reſinoſa et terreo-reſinoſo-gummea leniſſime ſaltem, auſteriuſcula, pure talia, paullo fortius partes corporis ſolidas

lidas conſtringunt, et aliquantulum proinde, majori nimirum vel minori adſtrictione mediante, flacciditatem eorum corrigunt, adeoque roborant paullulum, vim contractilem, ipſamque contractionem, absque humorum exagitatione, augent, leniterque urinam pellunt: Hinc jure inter blanda travmatica, diuretica, lithontriptica, et tonica referuntur, et in variis itaque morbis, qui mitiora roborantia et adſtringentia poſtulant, non ſine fructu adhibentur. Eximiam quoque opem ſubinde in ulceribus, et vulneribus conſolidandis, ſanguine congrumato, epilepſia, et diabete ferunt.

§. IV.

Ab hiſce plus minusve, reſpectu videlicet virium medicarum, auſteriuſculo-amaricantia, tum inodora, tum ſimul odorata balſamica, diſtincta inueniuntur. Propter amaritiem enim atque volatilis principii miſcelam ſimul blande abſtergunt, diſcutiunt, leniſſimam diaphoreſin atque diureſin movent, tutius ac certius roborant, et plus igitur ad humores purificandos, quam mere auſteriuſcula, valent; præſertim, cum virtus adſtrictoria in plerisque valde moderata ſit, et in receſſu demum ſeſe nonnihil manifeſtet.

§. V.

§. V.

Vires non contemnendas in genere exerere creduntur in coryza, febri catarrhali, adfectibus pectoris, tuſſi v. g., aſthmate, phthiſi incipiente, raucedine, nec minus in ſauguinis ac lymphæ impuritate, variisque inde propullulantibus adfectibus ſcabioſis, rheumaticis, arthriticis, catarrhalibus, obſtructionibus viſcerum chronicis, ſuppreſſione conſuetarum ſe- et excretionum, doloribus variarum partium, calculo, dyſuria, iſchuria, cephalalgia, febribus continuis, præſertim malignis, et ſic porro. Nonnulla quoque eorum, licet ſanguini purificando parum cæteroquin inſerviant, egregie ac plane ſpecifice, uti v. g. cortex Peruvianus, febres intermittentes, præſertim refractarias quartanas, fugant, immo, quædam, temperata nempe balſamica, quæ, ob principii auſteriuſculi abſentiam, nullum plane adſtrictionis effectum edunt, potentius paullo humores, interveniente blanda diaphoreſi atque diureſi, heterogeneis quisquiliis liberant, et auxilium ideo in ſcabioſis inprimis, venereis, ſimilibusque adfectibus ferunt; quemadmodum de ſingulis hiſce in ſtatim ſubſequente tractatione ſpecialiſſima plura videnda ſunt.

CAPVT

CAPVT II.

DE RADICIBVS PAEONIÆ ET NYMPHÆÆ.

§. I.

RADIX PAEONIÆ MARIS FOLIO NIGRICANTE SPLENDIDO C. B. tuberoſa ac craſſa eſt, foris ſubfuſca, intus pallida, verſus peripheriam tamen venulis rufeſcentibus paſſim diſtincta, ſaporis poſt exſiccationem mucilagineo-terrei, leniſſimeque in receſſu adſtringentis, odoris nullius. Recentiſſime effoſſa ſaporem debilem ſubdulcem, leniſſima acredine mixtum, et parum quoque odoris obtinet. Planta apud nos ſolummodo in hortis colitur, et radices ordinario tempore vernali, antequam germina protrudant, effodiuntur.

§. II.

Præter rudiores partes terreas, et *ſolubilia principia fixa terreo-reſinoſo-gummea*, nihil amplius ſingulare in radice exſiccata demonſtrari poteſt, nullamque ideo rationem ſolidam invenio, cur multi medicorum ſimplici huic *vaporoſum* pariter *principium activum* adſcripſerint, indeque virtutes varias derivare auſi fuerint. Vires ſane, quas exerit, unice a laudatis principiis fixis, maxime autem a reſinoſo, dependent, etiamſi in hiſce etiam

non

non adeo magna activitas, quod examina probant, deliteſcat. Nam infuſum aquoſum primum, obſcure fuſcum, odore ferme deſtituitur, et inerti ſaltem ſapore nauſeoſo pollet. Extractum inſpiſſatum, cujus drachmas duas et aliquot grana ex uncia radicis impetravi, deterioris ferme conditionis eſt, nec ullum odorem, ac ſaporem, notatu dignum, olfactus, guſtusque organis imprimit. Tinctura ſpirituoſa prima colorem pallide flaveſcentem obtinet, odore ſolum vini ſpiritum prodit, et ſapore ſubacri gaudet; quæ acredo tamen magis a menſtruo, quam ſoluta ſubſtantia reſinoſa, derivanda eſt, quod clarius poſtea ex flavo extracto inſpiſſato cognoſcere licet: Hoc quippe non amplius acrem, ſed debilem amaricantem, et ſatis adſtringentem ſaporem auſteriuſculum poſſidet, debilemque odorem balſamicum ſpirat. Uncia radicis mihi binas ferme drachmas reddidit.

§. III.

Modice hæc radix partes corporis ſolidas roborat, et adſtringit, adeoque locum omnino inter *blanda nervina*, *antepileptica*, *antiſpasmodica*, et *leniſſima ſtyptica*, aperitivis incidentibus, abſtergentibus, ac diſcutientibus in vaſorum ac viſcerum obſtructionibus, hæmorrhagiis exorbitantibus, variisque profluviis ſeroſis, diabete v. g., vomi-

tu,

tu, diarrhoeis, gonorrhoea benigna etc. refracta doſi addenda, tueri poteſt. Probabile præterea eſt, ſubtilem terram farinaceam, ſi in pulvere nempe probinatur, præternaturale ventriculi acidum nonnihil extinguere, et hac quoque ratione aliquid ad curationem epilepſiæ infantilis, ex acriori primæ culinæ acido ſæpiſſime oriundæ, conferre. Optime in pulvere, a granis aliquot ad ſcrupulum integrum, nec minus in infuſo vinoſo, a ſcrupulo uno ad drachmam unam, exhibetur; infuſa ejus aquoſa autem, et ſic dicta *fæcula*, quæ in Officinis proſtat, nullius fere uſus ſunt.

§. IV.

RADIX NYMPHÆÆ, tam LVTEÆ, quam ALBÆ, MAIORIS C. B. Seeblumenwurtzel, craſſa eſt, fungoſa, levis, foris partim flaveſcens, partim ſubfuſca, intus pallida, odoris nullius, ſaporis terreo-ſubadſtringentis, et in receſſu quoque leniſſime amaricantis. Planta in lacubus, piſcinis, et fluviis, rivuliſque lente decurrentibus, creſcit, ac flores magnos roſaceos, vel luteos, vel candidos, profert: Radicem deſcriptam tamen ſæpius Nymphæa flore albo, quam luteo, pharmacopoeis largitur, licet utramque, intuitu naturæ ac virium medicarum, nulla differentia intercedat.

§. V.

§. V.

De *volatili ſale alcalino*, quod poroſæ et laxæ hujus radicis ſubſtantiæ inhærere, PAVLVS HERMANNVS retulit *(a)*, multa dicere ſuperſedeo, quum imaginarium hoc loco principium ſit, nec unquam in hac radice demonſtrari queat. Probandi quidem fine præcipitationem allegat, quam radix pulveriſata in acidis ſolutionibus præſtare conſuevit; verum, fallaciam hic circa cauſſam committi, certo certius eſt. Non ſalinæ enim particulæ alcalinæ, ſed terreæ, quas ſolvens acidum prompte adgreditur, molecularum, antea ſolutarum, ſeceſſum, atque deſcenſum efficiunt. Suffragatur mihi B. STAHLIVS, quando de ſimili ſimilium plantarum ſubadſtringentium etc. effectu ita ſcribit: „In plan„tis travmaticis adſtringentibus, plantagine, „ſymphyto, et conſolidis etc. ſal alcalinum „ſubtile agnoſcunt autores, quia talia deco„cta ſolutiones metallorum, cum acidis fa„ctas, in ſpecie mercurium ſublimatum, aqua „calida in liquorem redactum, præcipitant. „Suo interim loco relinquendum, an non „potius ſubtiliſſima terrea adſtringentium ſi„milium portio hoc peragat, nihil contri„buente ſalina eorundem, niſi ut terram ſibi „antea combinatam potentiori acido paſſive „relinquat. etc. *(b)*

§. VI.

(a) L. c. p. 86.
(b) V. Fundament. Chemiæ dogmatico-experim. p. 68.

§. VI.

Partibus terreſtribus rudioribus ac prorſus inertibus *ſolubilis quædam ſubſtantia reſinoſo-gummea*, quæ *ſubtiliores moleculas terreas* in arctius conſortium recepit, mixta reperitur; portio mere gummea tamen parum activa exiſtit, et ſola igitur reſinoſa præcipuam virtutis rationem in ſe continet. Nam flavum infuſum aquoſum primum vappidum eſt ac nauſeoſum, nullumque ſingularem ſaporem et odorem poſſidet. Materia quoque, ſub digeſtione magis minusve ſoluta, nunquam tota per chartam bibulam tranſit, ſed, æque, ac apud infuſum aquoſum radicis paeoniæ, præter rudiores partes terreas, craſſa mucilago albicans in filtro remanet. Solutio filtrata et inſpiſſata maſſam relinquit flavo-fuſcam, quæ, una radicis uncia extractioni adhibita, binas ferme drachmas pendet, et valde debilem ſolummodo ſaporem ſubſalſum et ſubamaricantem linguæ imprimit. Tinctura ſpirituoſa prima dilute aurei coloris eſt, odoris nullius ſingularis, debilisque ſaporis ſubacris. Evaporata extractum foeneratur flavo-ſubfuſcum, quod odorem debilem emittit, et ſaporem ſubſalſo-amarum, et ſubadſtringentem obtinet. Paullulum itaque hoc ipſum a ſimili radicis paeoniæ extracto differt: In hoc quippe amarities, in illo vero ſapor auſterus et vis adſtrictoria prædominantur.

§. VII.

Blande hoc ſimplex *abſtergit*, *roborat*, et *adſtringit*, adeoque in iisdem adfectibus, in quibus paeoniæ radix commendata fuit, modicum auxilium ſpondet, ſi nimirum in infuſo vinoſo, a drachma una ad unciam dimidiam, præſcribitur. Nonnulli antacida quoque atque temperante virtute hanc radicem prædicatam eſſe, et nimias vigilias ſpecifice compeſcere, perhibent: Verum, pro meo judicio, vires memoratæ imaginariæ ſunt, nec ſolidum in demonſtratis principiis activis fundamentum inveniunt.

CAPVT III.

DE RADICIBVS RVBIÆ TINCTORVM ET ANCHVSÆ.

§. I.

RADIX RVBIÆ TINCTORVM ſive TINCTORIÆ SATIVÆ C. B., Färber-roth-Wurtzel, oblonga eſt, tenuis, intus et extus fuſco-rubicunda, ſaporis terreo-ſubadſtringentis, odoris nullius. Planta, ob frequentem radicis uſum apud tinctores, in regionibus variis, maxime autem in *Sileſia*, et *Belgio*, ſtudioſe in agris colitur. Radix recens

cens, præter terreo-adſtringentem ſaporem, debilem quoque ſubdulcem et ſubamaricantem poſſidet, qui amplius tamen in exſiccata, et aliquamdiu adſervata vix, aut ne vix, ſentitur.

§. II.

Volatilibus principiis penitus deſtituitur, et *fixa* duntaxat *terreo-reſinoſo-gummea* in mixtione fovet. Activitas ad utramque quidem ſubſtantiam fixam, magis tamen ad terreo-reſinoſam, quam gummoſam, redit. Infuſum aquoſum primum rubro-nigricantis coloris eſt, et nullo ſapore ſingulari, nulloque, niſi debili ſaltem nauſeoſo, odore pollet. Sub evaporatione odor paullo fortior evadit, et nauſeoſus in blande balſamicum mutatur. Inſpiſſata maſſa ſubrubro-nigricans debilem odorem balſamicum non amplius emittit, ſaporem tamen terreo-ſalſum, ſubadſtringente nonnihil remixtum, obtinet. Tinctura ſpirituoſa prima ſaturata et elegantiſſima rubedine ſeſe commendat, et evaporata extractum relinquit coloris flavo- et rubro-ſubfuſci, odoris nullius ſingularis, ſaporis ſubadſtringentis, et leniſſime ſimul amaricantis. Ex uncia una radicis duas circiter drachmas extracti primi aquoſi, et quatuor ſcrupulos, totidemque grana extracti primi ſpirituoſi impetravi.

§. III.

Vulgo hæc radix quinque radicibus aperientibus minoribus adnumeratur, viresque eidem potentes in ſanguine congrumato, vulneribus, oppilatione renum, viſcerumque obſtructionibus tribuuntur. Verum, ſi, dicere licet, quid ipſe ſentiam, ſcriptores de viribus memoratis hyperbolice locutos eſſe, pronuncio: Concedo quidem, rubiæ radicem aliqua virtute *aperitiva*, *travmatica*, et *diuretica* inſtructam eſſe, eandem tamen, uti crediderunt, potentem exiſtere, analyſi chemica aliter edoctus, nego. Tota certe hujus radicis actio ad debilem quandam abſterſionem et adſtrictionem redundat, indeque auctior ſolidorum contractio, cum ſubſequente blanda humorum reſolutione, vegetiori circuitu, et paullo largiori lotii in renibus ſe-et excretione, unice derivanda eſt. Datur in decocto aquoſo, et adhuc melius in infuſo vinoſo, a drachma una ad unciam dimidiam, immo integram, nec raro quoque, tametſi minus apte, pulveribus additur. Externe decocta et unguenta, vulnerariæ et adſtringentis virtutis, ingreditur.

§. IV.

RADIX ANCHVSÆ OFF. vulgo *Alcanna* dicta, oblonga eſt, craſſa, lignoſa, intus alba, foris fuſco-rubeſcens, odoris nullius, ſaporis terreo - ſubadſtringentis. Planta, quam

quam CASP. BAVHINVS *Anchuſam floribus puniceis*, IOH. BAVHINVS *Anchuſam Monſpeliacam*, et TOVRNEFORTIVS *Anchuſam vulgatiorem*, itemque *Bugloſſum radice rubra*, rothe Ochſen-Zunge, vocant, in *Italia*, *Gallia*, *Sileſia* etc. creſcit, optima tamen radicis ſpecies ex Italia adfertur.

§. V.

Interior ſubſtantia lignoſa plane iners deprehenditur, ſolusque cortex tingendi facultatem, et vires medicas obtinet; hinc ordinario etiam detrahitur, et ſeorſim in uſum vocatur. Gaudet *principiis fixis*, tam *reſinoſis*, quam *gummeis*, quæ, confirmante extractione, ejusdem ferme virtutis ſunt. Extractum aquoſum primum, cujus tres ferme drachmas ex corticis uncia impetravi, coloris rubro-fuſci eſt, ſaporis in principio ſubdulcis, deinde acriuſculi et ſubadſtringentis, odoris nullius ſingularis. Extractum ſpirituoſum primum, cujus pondus, recepta vix memorata corticis quantitate, circiter ad ſcrupulos quatuor et aliquot grana adſcendebat, rancidum unguentum quodammodo redolet, et ſaporem ſubdulcem, amaricante atque auſteriuſculo remixtum, coloremque rufo-ſubfuſcum poſſidet. Tinctura ſpirituoſa adhuc liquida, quod addere placet, ſaturata et elegantiſſima rubedine oculis blanditur, quæ poſtea tamen in extracto valde minuitur.

§. VI.

Reſpectu virium medicarum cum radice rubiæ tinctorum maximam partem convenit, ſuamque operationem *blande adſtringendo, abſtergendo*, imo *aliquantulum demulcendo*, abſolvit, et cum majori fortaſſis emolumento, quam illa, in ſuppreſſione urinæ, obſtructionibus viſcerum chronicis, ex partium ſolidarum atonia maxime promanantibus, nec minus in hæmorrhagiis exorbitantibus, et variis profluviis ſeroſis, quoties nempe ſubadſtringentia tuto admittuntur, in uſum vocari poteſt. Interne in decocto aquoſo, et infuſo vinoſo, a drachma una ad unciam dimidiam et ultra, exhibetur. Externe unguentis, quæ contra ſanguinem congrumatum, contuſiones, caſum ab alto, etc. commendantur, perſæpe additur.

CAPVT IV.

DE

CONTRAYERVA ET RADICE CARYOPHYLLATÆ.

§. I.

CONTRAYERVA OFF., quam alii etiam *Radicem yervam*, i. e., contra venena, *Radicem bezoardicam, alexipharmacam, Cyperum longum odorum Peruanum* etc. Peruaniſche Gifft-

Gifft-Wurtzel, vocant, radix oblonga eſt, tenuis, nodoſo-fibroſa, foris ſubflavo-aut ſubfuſco-rubeſcens, intus albicans, odoris debilis aromatici, ſaporis ſubadſtringentis, et acriuſculi. Planta in quibusdam *regni Peruani* tractibus præcipue creſcit, ac vulgo, quum Granadillæ ſive Flori paſſionis affinis exiſtat, *Clematis paſſionalis folio bifido* dicitur.

§. II.

Principium volatile balſamicum in radice exſiccata et diutius adſervata nulla conſideratione dignum eſt, ſed activitatis ratio unice ad ſubſtantiam *gummeo-reſinoſam* redit, ita tamen, ut reſinoſa longe iterum gummoſæ præferenda ſit. Fuſcum enim infuſum aquoſum primum odorem nauſeoſum ſpirat, et debilem ſolummodo ſaporem amaricantem, leniſſima ac vix ſenſibili acredine mixtum, poſſidet. In fuſco-nigricante extracto inſpiſſato amarities, quod utique mirandum, vix amplius animadvertitur, pungens vero acredo fortior exiſtit. Tinctura ſpirituoſa prima ſolum vini ſpiritum odore prodit, et amaricante, ac ſatis acri pungente ſapore, quo radicem pimpinellæ aut pyrethri quodammodo æmulatur, pollet. Ardens ac morſicans hæc acrimonia in maſſa inſpiſſata potentior evadit, eademque in hoc paſſu extractum aquoſum notabiliter ſuperat.

§. III.

Blande abſtergendo, leniterque irritando operationem ſuam exercet, et ſpecifice inprimis a ſcriptoribus medicis in febribus malignis, peſtilentialibus, purpuratis, petechialibus, varioloſis, morbilloſis etc. ad exanthemata expellenda commendatur: An vero etiam, uti vulgo creditur, contra palpitationem cordis, dolores pleuriticos, melancholiam, febres intermittentes, dyſenteriam, vermes inteſtinorum, philtra, et varia venena multum valeat, juſte dubito. Recipitur inter pulveres et tincturas alexipharmacæ virtutis, et per ſe quoque in infuſo vinoſo, ad unam alteramve drachmam, præſcribi poteſt.

§. IV.

RADIX CARYOPHYLLATÆ OFFICINARVM ſive VVLGARIS C. B. Benedicten- oder Nägelein-Wurtzel, minimi plerumque digiti craſſitie eſt, multasque fibras tenues emittit, quibus major ferme virtus, quam trunco ſive capiti, ingenita reperitur. Colorem foris fuſco-nigricantem, intus rubeſcentem poſſidet, et manducata linguæ ſaporem terreo-auſterum adſtringentem, naribus vero, præſertim in tractibus calidioribus nata, aut contuſa, odorem gratum caryophyllæum imprimit. Planta paſſim ſponte creſcit, et loca inprimis humida atque umbroſa amat.

§. V.

Nonnulli, hanc radicem et contrayervam maximam quoad principia ſimilitudinem intercedere, arbitrantur; ſed falſum hoc eſſe, analyſis chemica docet. Hæc enim, præter ſubtile quoddam principium ſpirituoſum, fixam ſubſtantiam reſinoſo-gummeam, terreo-auſteram, ac ſatis adſtringentem, contrayerva autem ſubacrem ac leniter amaricantem continet. Infuſum aquoſum primum, (loquor nunc de ſola radice caryophyllatæ), coloris flavo- et rubro-ſubfuſci eſt, odoris grati caryophyllæi, ſaporis balſamico-auſteriuſculi. Similis conditionis etiam extractum inſpiſſatum exiſtit, præterquam, quod odor debilior, quam in infuſo, ſapor auſterus vero fortior deprehendatur. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate aureo, et ſapore pariter balſamico-auſteriuſculo pollet, odore autem magis ſpiritum vini, quam radicem, prodit. Maſſa inſpiſſata, quæ ſubfuſcum colorem obtinet, ſapore auſtero, ac ſimul leniter balſamico, leniſſimeque amaricante, gaudet, et odorem caryophyllæum, quem ſpiritus vini in tinctura quaſi occultaverat, fortius iterum ſpirat. Subſtantia gummea reſinoſam quantitate ſuperat, et in uncia radicis una circiter ad ſcrupulos quatuor vel quinque pondere adſcendit.

§. VI.

Parciſſimum principium ſpirituoſo - balſamicum ſub operatione in corpore non adeo ſingularem conſiderationem meretur, ſed ratio virium præcipua ad fixas partes terreo-reſinoſo - gummeas, quæ ſolida ſatis valide adſtringunt, et mediante hac conſtrictione roborant, referenda eſt. Specialius igitur hæc radix in morbis ſingulis, qui proxime ex tunicarum, membranarum etc. flacciditate naſcuntur, prodeſſe conſuevit, multumque etiam ad ulcera ac vulnera conſolidanda, profluvia ſeroſa cohibenda, et hæmorrhagias ſiſtendas valet: An vero, quod multi tamen credunt, in arthriticis pariter ac convulſivis adfectibus, nec minus in febribus malignis ſingulare auxilium ferat, experientia nondum ſatis probatum eſſe arbitror. Interne in infuſo vinoſo, aut, quod perinde videtur, in decocto aquoſo, ad unam alteramve drachmam, præſcribitur. Externe decoctis travmaticis ac ſtypticis additur, vel pulveriſata, depurandi et conſolidandi ſcopo, ulceribus cacoethicis inſpergitur.

CAPVT

CAPVT V.

DE

RADICIBVS BARDANÆ, TARAXICI ET TVSSILAGINIS.

§. I.

RADIX BARDANÆ MAIORIS OFF., ſive *Lappæ majoris* C. B., groſſe Kletten-Wurtzel, oblonga eſt, craſſa, foris nigricans, intus alba, ſaporis ſubdulcis, modice amaricantis, et leniſſime ſimul adſtringentis, odoris nullius. Planta hinc inde circa vias, ſepimenta, ædificia etc. copioſe provenit, et in ſolo ſicciori ac macriori læta inprimis incrementa capit.

§. II.

Principiis activis mere fixis, pluribus tamen *gummeis*, quam *reſinoſis*, gaudet. Una quippe uncia mihi quinque ferme ſcrupulos extracti primi aquoſi, et quinquaginta circiter grana extracti primi ſpirituoſi ſuppeditavit. Extractum ſubluteo-fuſcum aquoſum, odorem debilem balſamicum, fere inſtar panis melliti, ſpirat, ſaporem ſubſalſum, ſubdulci et ſubadſtringente nonnihil mixtum, poſſidet. Tinctura ſpirituoſa prima, colore dilute aureo eſt, odore nauſeoſo, ſapore ingrato ſubacri. Maſſa inſpiſſata flavo-ſubfuſca, quoad

quoad odorem cum tinctura convenit, et ſapore ſubſalſo, leniter amaricante, atque ſubadſtringente pollet.

§. III.

Vires medicæ, quod examina docent, ad utrumque principium redeunt, et *leniter reſolventes*, *abſtergentes*, *roborantes*, ac *diureticæ* ſunt. Specialiorem igitur uſum, ſub decocti nimirum aquoſi aut infuſi vinoſi forma, ad unam alteramve drachmam, immo unciam, præſcripta, in ſingulis morbis invenit, qui mitiora remedia poſtulant, et ſpecifice inprimis in arthriticis, rheumaticis, nephriticis, ſcabioſis, ſcorbuticis, et venereis adfectibus commendatur, ſanguinemque congrumatum præterea diſſolvere dicitur. Plerique ſudoriferam quoque virtutem illi tribuunt, de qua tamen paullo aliter ſentio, eamque non adeo ſingularem eſſe exiſtimo. Commode radici ſarſaparillæ ſubſtitui poteſt, quoniam eadem præſtat, immo majorem, quam illa, in humoribus depurandis effectum edit.

§. IV.

RADIX TARAXICI OFF., ſive *Dentis Leonis latiore folio* C. B., oblonga eſt, ramoſa, digiti minimi craſſitie, foris ſubfuſca, intus pallida, ſaporis amaricantis, leniterque adſtringentis, odoris nullius ſingularis. Planta ubivis obvia eſt, et æque, ac radix recens, ſucco lacteo turget.

§. V.

§. V.

Natura, principiis activis, et virtute a præcedente parum differt. Subſtantia gummea enim, aqua ſimplici primum extracta, ac denuo inſpiſſata, maſſam fuſco-nigricantem exhibet, odore debili balſamico, quaſi melleo, et ſapore in principio ſubdulci, poſtea ſatis amaricante, præditam. Flavo-ſubfuſcum extractum ſpirituoſum primum cum aquoſo maximam partem convenit, præterquam, quod ſapori ſubdulci et amaricanti leniſſime adſtringens adhuc ſociatus ſentiatur. Pondus extracti aquoſi primi ad binas ferme drachmas, reſinoſi ſive ſpirituoſi autem ad unam circiter drachmam adſcendit, ſi radix ſcilicet bonæ notæ eſt, et integra ejus uncia utrique extractioni adhibetur.

§. VI.

Militat inter *blanda aperitiva*, *diuretica*, et *purificantia*, quæ operationem ſuam leniter abſtergendo, leniterque adſtringendo ac roborando abſolvunt: Quare protinus quoque conſtat, quod ab uſu ejus interno in obſtructionibus viſcerum, ictero, calculo, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, aſthmate, tuſſi mucida, ſcorbuto, ceteriſque adfectibus chronicis, ſub bardanæ deſcriptione pridem recenſitis, auxilium non contemnendum exſpectandum ſit. Datur æque, ac præcedens, in infuſo et decocto.

§. VII.

§. VII.

Deſcriptis Bardanæ et Taraxici radicibus RADICEM TVSSILAGNIS, VVLGARIS C. B. Huffſlattich-Wurtzel, quæ tenuis eſt, longa, pallida, odoris nullius, ſaporis mucilagineo-ſubadſtringentis ac debilis balſamici, jungere nullus dubito: Tanta enim ſub exploratione principiorum chemica inter hanc et taraxaci radicem, intuitu odoris, ſaporis ac virium, ſimilitudo deprehenditur, ut practico alteram in alterius locum tuto, ac citra ullam deliberationem, ſurrogare liceat. Scio quidem, medicorum plerosque radici tuſſilaginis majorem virtutem demulcentem, adeoque majorem quoque atque ſpecificam virtutem in morbis pectoris, tuſſi v. g. phthſi etc., adſcribere; at ſcio etiam, ſpecificam hanc prærogativam nullius momenti eſſe, et taraxici radicem in memoratis, aliisque pectoris adfectibus idem præſtare auxilium. Frequentius in decocto, cum aqua, lacte, cereviſia, aut vino parando, quam in infuſo, præſcribitur, et doſis quoque ultra unciam adſcendere poteſt.

CAPVT

CAPVT VI.

DE

RADICE VINCETOXICI ET PAREIRA BRAVA.

§. I.

RADIX VINCETOXICI OFF. Schwalbenkraut-Wurtzel, ex communi capitulo multas fibras tenues, ſive radiculas minores emittit, quae intus candido, foris pallide flaveſcente, aut ſubfuſco colore gaudent, et ſaporem ſubdulcem, acriuſculo et amaricante mixtum, debilemque praeterea ac nauſeoſum odorem balſamicum poſſident. Planta in locis ſylveſtribus creſcit, et a CASP. BAVHINO *Aſclepias* ſive *Vincetoxicum multis floribus albicantibus*, et ab aliis quibusdam *Hirundinaria* adpellatur.

§. II.

Partes *oleoſo-ſpirituoſae balſamicae* valde exigua quantitate mixtionem ingrediuntur, *fixae reſinoſo-gummeae* autem copioſius inhaerent, et praecipuas huic radici vires largiuntur. Ex uncia radicis una duas ferme drachmas extracti aquoſi primi, et drachmam circiter unam extracti ſpirituoſi primi impetravi. Infuſum aquoſum pallide flaveſcens, non-

nonnihil turbidum eſt, et odorem nauſeoſum, ſimilemque ſaporem ſubdulcem, acriuſculo paullulum remixtum, obtinet. Sub evaporatione ſatis fortem, eumque in principio nauſeoſum, poſtea vero gratum balſamicum, odorem emittit, et, plene tandem planeque inſpiſſatum, maſſam ſuppeditat fuſcam, odore debili quidem, aſt, panis melliti inſtar, ſatis grato, et ſapore balſamico-ſubdulci, leniſſimeque in receſſu amaricante, præditam. Tinctura ſpirituoſa dilute aurea naribus debilem odorem nauſeoſum, linguæ autem balſamico-ſubacrem ſaporem imprimit, et evaporata extractum relinquit flavo-ruſeſcens, odoris debilis et nonnihil ingrati, ſaporis balſamico-ſubdulcis, et in receſſu acriuſculo-amaricantis. Docent hæc examina, utramque ſubſtantiam fixam activam quidem exiſtere, reſinoſam tamen gummeæ nonnihil præferendam eſſe. Particulæ volatiles oleoſo-ſpirituoſæ humidæ deſtillationis beneficio facile ſeparantur, in molem tamen conſpicuam congregari nequeunt; hinc easdem quoque ex aquæ deſtillatæ fragrantia magis ſuſpicari, quam demonſtrare licet.

§. III.

Inter blanda *ſtimulantia*, *reſolventia*, *diaphoretica*, *diuretica*, *anticatarrhalia*, et *bezoardica* hæc radix jure collocatur, et ſingularem inprimis efficaciam in tumoribus glandula-

dularum, ſcrophulis, adfectibus mucidis, hydrope, obſtructione viſcerum, nephritide ſabuloſo-pituitoſa, cachexia, et chronica menſium ſuppreſſione monſtrat. Datur interne, a drachma una ad unciam ſemiſſem, in decocto aquoſo et vinoſo, nec raro etiam pulveribus additur. Externè lavamenta vulneraria, et gargariſmata, contra anginam ſpuriam, paralyſin linguæ, et glandularum ſalivalium tumores adhibenda, ingreditur.

§. IV.

PAREIRA BRAVA in Officinis noſtris radicem denotat magnam, craſſam, lignoſam, foris ferrugineo-nigricantem, intus partim pallide flaveſcentem, partim ſubfuſco-luteam, ſaporis dulcamari, odoris nullius. Pareira brava vox Luſitanica eſt, et *vitem ſylveſtrem* ſignificat: Planta enim, cujus character Europæis nondum ſatis innotuit, paſſim in *regno Mexicano* et *Braſilia* creſcit, ac, vitis inſtar, ſcandens atque volubilis eſſe dicitur. Incolis *Caapeba* audit.

§. V.

Nulla poſſidet principia activa volatilia, ſed vires ejus unice a *fixa ſubſtantia reſinoſo-gummea* deducendæ ſunt. Infuſum aquoſum primum colore dilute aurantio eſt, et ſaporem quidem amaricantem, nullum vero odorem ſingularem obtinet. Poſt inſpiſſatio-

nem odore penitus deſtituitur, et ſapori amaricanti debilis quædam dulcedo admixta ſentitur. Tinctura ſpirituoſa prima, ſaturate fuſca, ſolum menſtruum redolet, et ſaporem, ex acri, amaricante, et ſubdulci mixtum, guſtus organo imprimit. Evaporatione peracta, ſapor in inſpiſſata maſſa fuſco-nigricante aliquantulum mutatus, et ſub deguſtationis initio ſubadſtringens et amaricans, poſtea vero ſubdulcis deprehenditur. Satis interea ex deſcriptis examinibus conſtat, quod virtus quædam principio utrique, major tamen reſinoſo, quam gummeo, ingenita ſit.

§. VI.

In principio de eximia ac valde potenti hujus radicis virtute *diuretica* et *lithontriptica* multus ubique ſermo fuit; verum, cum medici circumſpecti poſtea obſervarent, vires elogio longe inferiores eſſe, rariusque, vel nunquam, effectum voto ac ſpei perfecte reſpondere, fama ſenſim iterum decrevit. Noſtra ætate medici rationales blandas duntaxat vires *abſtergentes*, *aperitivas*, ac *diureticas* huic ſimplici tribuunt, idemque ideo in cachexia icteritia, hydrope, ſuppreſſione urinæ, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, et adfectibus ſcorbuticis, rheumaticis atque arthriticis aliquid auxilii omnino præſtare poſſe, credunt. Plerumque ſub forma pulveris, a drachma dimidia ad integram, in vehiculo vinoſo

noſo exhibetur, vel vino etiam, aut aqua fervente, recepta tamen quantitate majori, infunditur.

* *

CAPVT VII.

DE

RADICIBVS CHINÆ ET SARSAPARILLÆ.

§. I.

RADIX CHINA ſeu rectius CHINÆ OFF., Pocken- oder Schweiß-Wurtzel, craſſa eſt, tuberoſa, inæqualis, texturæ lignoſo-farinaceæ, coloris intus pallide rubeſcentis, foris rufi, vel fuſci, aut ferrugineo-nigricantis, ſaporis terrei inertis, odoris nullius. Adfertur ex *India orientali* et *occidentali*, et ideo etiam in *Orientalem*, quæ melior judicatur, et *Occidentalem*, quæ ignobilior exiſtit, dividitur. Planta, ex orientali progerminans, in *Malabaria*, *China*, *Cuncan*, *Japonia* etc. creſcit, et a KÆMPFERO (*a*) *Smilax minus ſpino-*

(*a*) Placet ipſiſſimis verbis hoc loco ſubjungere, quæ Auctor allegatus in *Amoenitatibus ſuis exoticis*, *Faſc. V. p.* 781. *ſequ.* de hac planta retulit: „SANKIRA vulgo QVAQVARA. Smilax minus ſpinoſa, fructu rubicundo, radice virtuoſa, „Chinæ dicta. In incultis locis inter Felices e- „vepres perennis luxuriat; *Radice* gaudens ma- „gna, dura, nodoſa, inæquali, paucis longisque

ſpinoſa, fructu rubicundo, radice virtuoſa, Chinæ dicta, adpellatur: Occidentalis in *Nova Hiſpania*, et *Regno Peruano* præcipue gignitur, ejusdemque planta Botanicis recentioribus

„fibris capillata, extus rufa, vel nigricante, in„tus albida, ſaporis vappidi, Medicis *Radix Chi„næ* dicta, ſatis illa ex virtute nota ac celebrata. „Scandit unum vel alterum cubitum ſine admi„niculo; dumetis vero propinquis nixa altius „enititur, *Sarmentis* lignoſis, culmum hordeaceum „craſſis, obſcure circa humum ſpadiceis ex biun„ciali intervallo geniculatis, articulis alterne, et „ad ſeriem reflexis, interdum gemina Spina ad„verſa, brevi et redunca interceptis. Ex geni„culis ſingulis valva emergit duplicata, mem„branacea, ſemunciam longa, pennam lata anſe„rinam, dura, ſtriata, duos extendens capreolos, „vitigineis ſimiles, quibus contacta quævis fir„miter comprehendit. Ex valvis ſingula oriun„tur folia, ex aliis ſimul florum corymbi, tum „novelli interdum ſurculi. *Folium* perbrevi vel „pene nullo inſtructum pediculo, ex acuto bre„vi principio in orbiculum triuncialis diametri „expanditur, in mucronem curtum repandum de„ſinens. Tenue eſt, membranaceum, utraque fa„cie diluto virore nitens, ante mucronem ingen„ti valva undulans, margine integro, aliquando „inæquali, alterutro latere protuberante. Ve„nis donatur quinis ramoſis, ex baſi folii in mu„cronem media directe, ceteris arcuatim, pro„tendentibus. Pediculo tenuiſſimo unciali, ru„bente vel luteſcente inſident *Floſculi* plus mi„nus decem, in umbellæ formam congeſti, nudi, „in herbido lutei, hexapetali, petalis anguſtis, „in gyrum repandis, ad ſeminis Coriandri ambi„tum radiantibus, pellucidis ſtaminibus ſenis,

ribus *Smilax aſpera* audit *fructu nigro, radice nodoſa, magna, lævi, farinacea, China dicta.* Facile hæc radix, ſive ex orientali, ſive occidentali India allata fuerit, carioſa redditur; quare fraudulenti quoque homines in Hollandia lacunas, ſenſim natas, maſſa quadam, ex tragacantha, bolo etc. compoſita, replent, coloremque nativum alia mixtura tingente reſtituunt; quod mangonium tamen hominibus ægrotantibus interdum valde nocivum evadere poteſt, quoniam, NEVMANNO ſuſpicante *(a)*, maſſæ memoratæ, ad pondus augendum, nonnunquam lithargyrium miſcetur.

§. II.

In naturali hujus radicis mixtione nullæ partes ſpirituoſæ, nullumque ſal explicitum,

 quod

„apicibus in luteum albicantibus: ſtylo turbini
„medio inſiſtente, capitulo cæſio. *Fructus*, in-
„valeſcente pediculo, florem excipiunt, ceraſis
„figura, magnitudine, rubedine, ac nitore ſimi-
„les, rarius turbinati, aere magis, quam carne
„turgidi; Carne conſtant pauca ſicca, farinoſa,
„incarnata, ſaporis acerbi, Meſpilorum æmuli;
„in qua *Semina* involuta latent quaterna, quina,
„vel ſena, lenticulæ magnitudinis, figuræ luna-
„ris, in orbem inſtar Malvæ ſeminum conglo-
„bata, per ſiccitatem ex badio nigricantia, intus
„candida, duriſſima, ſubſtantiæ corneæ.

(a) L. c. p. 776.

quod HERMANNVS tamen adeſſe credidit *(a)*, ſed *fixa* ſolummodo ac *valde iners ſubſtantia reſinoſo-gummea*, *copioſæ terræ teneriori* ac quaſi *farinaceæ* immerſa, demonſtrari poteſt. Subſtantiam fixam, præſertim gummoſam, jure inertem voco, quoniam, analyſi chemica confirmante, in infuſo et extracto utroque nullus odor ac ſapor ſingularis reperitur. Infuſum aquoſum v. g., licet rubro colore tinctum ſit, nauſeoſum ſaltem et vix ſenſibilem balſamicum odorem ſpirat, vappidumque ſaporem, inſtar aquæ ſimplicis tepidæ, poſſidet. Inſpiſſatum extractum fuſco-rubicundum deterioris ferme conditionis eſt, et odore non minus, quam ſapore deſtituitur. Tinctura ſpirituoſa prima, quæ aureo colore gaudet, itidem inſipida penitus, atque inodora eſt, et evaporata flavo-rubeſcentem maſſam relinquit, in qua levia ſaltem odoris et ſaporis balſamici nau-

feoſi

(a) „Sarſaparillæ, *inquit in Cynoſ. Mat. Med. p. m. 41.*, „et Chinæ effectus probat ſal blandum, quod in „farinacea ſalſæparillæ ſubſtantia, et in ſubſtan-„tia chinæ nonnihil reſinoſa latet, et in utrius-„que radicis decocto manifeſte ſe prodit. Hoc „cum tenuiſſimarum partium, et ſanguini noſtro „naturali valde analogum ſit, ſalia ſeu ſpiritus „non tantum exaltat, ſed et acida quævis, perti-„naciſſima etiam, remotiſſimis partibus inhæ-„rentia, a quibus lues venerea, arthritis, ſcorbu-„tus, atrophia, phthiſis, aliique morbi oriun-„tur, infringit, et cum blanda vi anodyna per „diaphoreſin expellit. etc.

ſeoſi veſtigia notantur. Uncia radicis una circiter ſcrupulos quinque extracti ſpirituoſi primi, totidemque drachmas extracti aquoſi primi reddit.

§. III.

Ingreditur hæc radix notiſſima decocta et eſſentiam lignorum, ſanguinemque ac lympham, propter imaginariam quandam virtutem diaphoreticam et diureticam, egregie depurare, adeoque in lue venerea, adfectibus ſcabioſis, ſcorbuto, aliisque morbis, ex humorum impuritate naſcentibus, ſpecifice prodeſſe, vulgo creditur: Verum, pro mea ſententia, ratione non minus, quam experientia ſuffulta, nullius ferme uſus eſt, et rectius inertibus, quam activis, medicamentis ſimplicibus adnumeratur. Effectus quippe, a parciſſimo principio volatili balſamico exſpectandus, adeo exiguus exiſtit, ut hunc et vulgaria virtutis elogia nulla plane proportio intercedat.

§. IV.

RADIX SARSAPARILLÆ ſive SASSAPARILLÆ OFF., quæ Chinæ radici ſub uſu medico plerumque jungitur, longa eſt, ſarmentoſa, rugoſa, fractu tenax, calami craſſitie, colore foris vel flaveſcente, vel ſubfuſco, vel luteo-aut fuſco-rubeſcente, intus candido, odore et ſapore nullo, niſi de-

bili farinaceo. Planta, in *Braſilia*, *Nova Hiſpania*, *regno Peruviano*, *Virginia*, ac pluribus *Americæ* locis adoleſcere conſuevit, nec amplius a Botanicis recentioribus ad *Smilacis Peruanæ* ſpecies refertur, ſed a PLVKENETO *Chriſtophoriana Virginiana Zarzæ radicibus ſurculoſis et fungoſis*, *Sarſaparilla noſtratibus dicta*, nuncupatur. Eligenda eſt radix recentior, fractu difficilis, ac foris ſubfuſca, rejicienda vero pulverulenta, carioſa, fragilis, coloris fuſci obſcurioris, aut nigricantis.

§. V.

Principiis parum quoque activis hæc radix donata eſt, paullo potentiora tamen, quam præcedens, continet, et *reſinoſa* inprimis *ſubſtantia* illi debiles vires medicas, quas ſubinde monſtrat, largiri videtur. Nam obſcure rubrum extractum ſpirituoſum primum, ex rubella tinctura evaporando paratum, odore pruna cocta æmulatur, et amaricantem, balſamicum nauſeoſum, atque ſubacrem ſaporem linguæ imprimit. Sapor ſubacris in receſſu demum ſeſe manifeſtat, et fauces atque palatum aliquamdiu afficit; amaricans remiſſior eſt, et balſamicus denique deprehenditur leniſſimus. In infuſo et extracto aquoſo primo nihil ferme virtutis latet, et utrumque ſapore notabili deſtituitur, odoremque ſolummodo nauſeoſum ſpirat.

Uncia

Uncia radicis una mihi binas circiter drachmas extracti aquoſi, et totidem ferme ſcrupulos extracti ſpirituoſi ſuppeditavit.

§. VI.

Leniſſime duntaxat abſtergendo ac ſtimulando operatur, et fortem itaque ſudorem pellere nequit. Mirandum igitur, quod medici hactenus parum activam hanc radicem inter præſtantiora diaphoretica et purificantia collocaverint, eidemque ſpecificas ac plane eximias vires in lue venerea, ſcabie, ceterisque adfectibus, ex lymphae atque cruoris vitio oriundis, adſcripſerint. Radicibus bardanæ, taraxici, ſimilibusque, niſi poſtponi, certe tamen non præferri meretur, et commode proinde cum Chinæ radice ex officinis exulare poſſet, præſertim, cum multæ radices indigenæ, utrique virtute pares, immo ſuperiores, longeque minori pretio comparandæ, ſubſtitui queant. Eodem modo, quo Chinæ radix, interne adhibetur.

CAPVT VIII.

DE RAD. APII PALVSTRIS ET PETROSELINI.

§. I.

RADIX APII PALVSTRIS C. B., Waſſer-Eppich-Wurtzel, capite donata eſt oblongo, pollicaris plerumque craſſitiei, quod multas, longas, ac rectas fibras, ſive radiculas tenuiores emittit. Colore, truncus æque, ac fibræ, foris ſubluteo-albicante, intus candido, odore balſamico, et ſapore ſubdulci acriuſculo gaudent. Planta loca umbroſa, humida, paluſtria, amat, et menſe Iulio florem roſaceum umbellatum profert. Paſſim etiam in hortis colitur, et hujus radix multis tutior videtur, quoniam cum ſpecie quadam venenata, uti nonnunquam cum ſylveſtri eveniſſe traditur, confundi nequit.

§. II.

Oleo eſſentiali caret, et *fixam* ſolummodo *ſubſtantiam reſinoſo-gummeam*, *particulis ſpirituoſis odoratis modice impprægnatam*, in mixtione fovet. Portio gummoſa in uncia radicis ultra drachmas tres pondere adſcendit, reſinoſa autem circiter drachmam unam et aliquot grana pendet. Infuſum aquoſum, quod

quod colore pallide flaveſcente, odore nauſeoſo, et ſapore ſubdulci gaudet, poſt evaporationem maſſam relinquit luteo-ſubfuſcam, debili odore balſamico, et dulci ſapore donatam. Tinctura ſpirituoſa prima flaveſcens, ac parum odorata, ſaporem ſubacrem, valde debili balſamico mixtum, obtinet, et inſpiſſata extractum largitur itidem flaveſcens, odoris balſamici, ſaporis ſubdulcis ac leniter quoque balſamici, non amplius tamen, ſicuti antea in tinctura, acriuſculi. Patet inde, virtutem hujus radicis in utraque ſubſtantia fixa deliteſcere, et aliquid pariter volatile principium acriuſculo-balſamicum, quod maximam tamen partem ſub evaporatione in auras diſpergitur, conferre.

§. III.

A medicis circumſpectis interne hæc radix nunquam, niſi debite prius exſiccata, in uſum vocatur, quoniam tenerrimum principium exhalabile cerebro ac nervis quodammodo inimicum creditur. Actionem ſuam blande abſtergendo, demulcendo, leniſſimeque diſcutiendo exercet, ac dudum proinde inter *pectoralia*, moderatiſſimaque *aperitiva*, *diuretica*, et *uterina* locum adepta eſt. Pertinet ad quinque radices aperientes, et in hydrope inprimis, obſtructione hepatis, lienis ac meſenterii, nec minus in urinæ ſuppreſſione, et tumore mammarum, ſubinde

poſt

poſt infantum ablactionem naſcente, ſpecialius prodeſſe, gravidis autem et epilepticis nocere dicitur; quod poſtremum tamen magis de radice recenti, quam exſiccata, intelligendum erit. Interne ſub forma decocti aquoſi, aut infuſi vinoſi, a drachma dimidia ad drachmas duas, exhibetur; externe vero, præſertim recens ac groſſiuſcule contuſa aut conquaſſata, inter cataplasmata et epithemata, mammis induratis, vel lacte nimium turgidis, itemque ſcroto, præſente hydrocele, imponenda, recipitur.

§. IV.

Ab apii radice notiſſima PETROSELINI VVLGARIS RADIX parum differt, et in ejus itaque locum in caſu quocunque, tam interne, quam externe, ſurrogari poteſt: Noſtra tamen ætate magis inter eſculenta ac condimenta ciborum, quam medicamenta, proprie talia, militat.

CAPVT

CAPVT IX.

DE VERONICA, ET BETONICA.

§. I.

Veronica off., ſive *Veronica Vulgatior folio rotundiore* I. B., Ehrenpreiß, hinc inde in ſylvis et vepretis creſcit, ſolumque inprimis ſiccum, arenoſum, atque petroſum amat. Folia, quae ſola ad uſum medicum expetuntur, pruni foliis non diſſimilia ſunt, longe tamen minora, villoſa paullulum, in margine inciſa, ſaporis amaricantis et ſubadſtringentis, odoris, praeſertim contrita, debilis balſamici.

§. II.

Quando cum aqua ſimplici ex cucurbita, ſubſtrato igne moderato, deſtillantur, nullum quidem oleum ſubſtantiale reddunt, aquam tranſtillantem tamen *mobiliſſimo*, atque *tenerrimo principio ſpirituoſo balſamico* imbuunt, et reſiduo quoque decocto vires, easque majores, largiuntur. Virtus medica enim non a ſolo eorum principio volatili odorato, ſed ſimul etiam a *ſubſtantia fixa*, tam *gummea*, quam *reſinoſa*, derivanda eſt; quemadmodum hoc ex ulteriori analyſi chemica

mica luculentiſſime conſtat. Infuſum quippe aquoſum primum, cujus ſapor amaricans, odor debilis balſamicus eſt, poſt blandam evaporationem extractum relinquit fuſco-nigricans, odore balſamico, et ſapore amaricante, acriuſculo, leniſſimeque adſtringente præditum. Tinctura ſpirituoſa prima colore gaudet ſubflavo-viridi, ad nigrum inclinante, odore herbæ ſpecifico balſamico, ſapore ſubacri, cui balſamicus tamen atque amaricans mixtus ſentitur. Maſſa inſpiſſata a tinctura vix differt, præterquam, quod color fuſco-nigricans, odor vero debilior exiſtat. Sub evaporatione conſtanter halitum ſuaveolentem emittit; hinc non mirandum, quod odor in extracto imminutus deprehendatur. Amarities, quod addere juvat, magis in parte reſinoſa latet, et hæc poſterior in genere quoque paullo potentior, quam prior reperitur. Quantitas utriusque extracti ferme æqualis eſt, et aquoſum æque, ac ſpirituoſum ultra drachmas tres pondere adſcendit.

§. III.

Cum foliis Veronicæ FOLIA BETONICÆ VVLGARIS PVRPVREÆ I. B., quæ itidem in locis ſylveſtribus ſponte provenit, niſi forma ac magnitudine, odore tamen, ſapore, principiis, ac viribus, valde conveniunt. Nam tinctura ſpirituoſa prima colore ſatu-

ſaturate viridi eſt, et, præter blandum atque ſpecificum herbæ contritæ odorem balſamicum, ſubacrem ac leniter quoque balſamicum ſaporem poſſidet. Ab initio usque ad finem evaporationis, æque ac apud veronicæ infuſa, odor gratus prodit, et nigricans maſſa inſpiſſata ſubacri et balſamico ſapore pollet. Infuſum aquoſum primum ſaporem balſamico-amaricantem obtinet, lenemque, nec ingratum, odorem ſpirat. Extractum, quod evaporatione peracta relinquitur, ejusdem ferme cum infuſo coloris eſt, odoris leniter balſamici, et ſaporis ſubſalſi, balſamico-amaricantis, ac paullulum in receſſu adſtringentis. Hoc ex uncia foliorum una circiter drachmas duas, illud vero, ſpirituoſum nempe, nondum ſcrupulos quatuor pondere attingit.

§. IV.

Vulgaria hæc medicamina ſimplicia, ſub forma nempe decocti, vel infuſi aquoſi, aut vinoſi adſumta, non tantum blande abſtergunt, diſcutiunt, et attenuant, ſed leniſſime quoque adſtringunt ac roborant, adeoque multum ad obſtructiones viſcerum reſerandas, diureſin ac diaphoreſin movendam, et humores purificandos valent. Veronica, quæ virtute paullo ſuperior eſt, vulgo magis *aperitiva*, *diuretica* et *pectoralis*, betonica vero *nervina* magis atque *cephalica* creditur; hinc

hinc illa quoque frequentius contra obſtructionem hepatis, lienis, uteri, ac meſenterii, nec minus contra calculum, ſuppreſſionem urinæ, hydropem, raucedinem, tuſſim, aſthma, phthiſin imminentem etc.; hæc autem frequentius contra gravedinem, coryzam, cephalalgiam, vertiginem, palpitationem cordis, ſimileſque morbos in uſum trahitur. Pro meo judicio ſpecifica hæc prærogativa nullius plane, vel non adeo magni tamen momenti eſt, nec ſingularem ideo practicos errorem commiſſuros exiſtimo, ſi plantam utramque in adfectibus memoratis, aliiſque promiſcue adhibeant. Externe inter decocta abſtergentia ac purificantia vulneraria locum inveniunt.

CAPUT X.

DE HEDERA TERRESTRI.

§. I.

HEDERA TERRESTRIS VULGARIS C. B., a TOURNEFORTIO *Calamintha humilior folio rotundiore*, germ. Gundermann, dicta, in locis hortorum ac camporum umbroſis, maxime autem circa ſepimenta, ſponte luxuriat, et alibi humi ſerpit, alibi corpora vici-

vicina ſcandit. Folia, quæ præcipue in uſum medicum trahuntur, rotunda ſunt, in margine dentata, villoſa paullulum, odoris ſatis fortis atque ingrati balſamici, ſaporis ſubacris, et amaricantis.

§. II.

Principia valde activa, et præſtantiora omnino, quam vulgo creditur, in naturali mixtione fovent: Adſunt nempe *partes fixæ* tam *gummæ*, quam *reſinoſæ*, nec minus *volatiles* ſeu *ſpirituoſæ inflammabilis proſapiæ.* Hæ, quod facile ex paullatina odoris imminutione cognoſcere licet, ſub exſiccatione maximam partem in auras abeunt, et poſtea itaque præcipua activitatis ratio in ſubſtantia fixa, præſertim gummoſa, quærenda eſt; quemadmodum hoc inſtituta examina chemica abunde docent. Sub humida quippe deſtillatione aqua in receptaculum expellitur, ingrato quidem odore balſamico, nulla ſingulari tamen virtute prædita; in infuſis vero, et inde paratis extractis longe majores ac plane eximiæ vires deprehenduntur: Infuſum videlicet aquoſum primum, cujus color fuſcus, odor ingrate balſamicus et herbæ ſpecificus eſt, amaritie moderata, et ſubtili ac penetrante acredine pollet. Acredo hæc fauces, linguam, atque palatum peculiari prorſus modo afficit, et vividam fibrarum oſcillationem excitare videtur. Maſſa in-

ſpiſſata, cujus drachmas tres, et grana quinque ex integra foliorum uncia obtinui, fuſco-nigricans eſt, et, præter debilem odorem balſamicum, ſaporem primo ſubdulcem et amaricantem, poſtea adeo acrem poſſidet, ut piper in hoc paſſu vel potius pimpinellæ radicem nonnihil æmulari videatur. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate viridi ſeſe commendat, et ſapore balſamico-ſubacri, odore herbæ ſpecifico gaudet. Evaporata longe minorem, quam infuſum aquoſum, extracti quantitatem largitur, idemque remiſſioribus quoque viribus inſtructum eſt, et colore flavo, odore debili ſpecifico, et ſapore balſamico-amaricante pollet.

§. III.

Valde ſtimulando, abſtergendo, et attenuando, leniterque diſcutiendo, ac roborando hæc folia in corpore operantur, et eminentem ideo locum inter *aperitiva*, *pectoralia*, *diuretica*, et *lithontriptica* merentur. Uſus ſpecialis ad multos ſane morbos extendi poteſt, et in raucedine inprimis, tuſſi pituitoſa, aſthmate humorali, catarrho ſuffocativo, obſtructione viſcerum imi ventris, hydrope humido incipiente, nephritide pituitoſo-ſabuloſa, dyſuria, adfectibus arthriticis, ſuppreſſione fluxus menſtrui, ſanguine congrumato etc. plane eximius exiſtit. An vero etiam, quod multi tradunt, contra ver-

mes

mes inteſtinorum, et dyſenteriam, nec minus, ob blandam inprimis virtutem diaphoreticam, contra peſtem, aliasque febres malignas multum valeat, nec adfirmare ſimpliciter, nec negare audeo. Præſcribuntur in decocto aut infuſo aquoſo et vinoſo, a drachma una ad duas, tres, immo unciam dimidiam; decocta tamen infuſis ſemper præſtantiora ſunt, quoniam principia fixa, quibus vires, uti antea dictum, præcipue in acceptis ferendæ ſunt, ſub ebullitione melius extrahuntur. Externe decocta travmatica et cataplasmata, quæ contra ulcera cancroſa, aliaque, gangrænam, hernias, tumores ſcrophuloſos, dolores arthriticos, rheumaticos etc. adhibentur, perſæpe ingrediuntur.

CAPVT XI.

DE HERBA CHAMÆDRYOS ET CHAMÆPITYOS.

§. I.

CHAMÆDRYS VERA ET NOBILIS OFF., ſive *Chamædrys minor repens* C. B. Edel-Gamanderlein, hinc inde in locis incultis et ſaxoſis naſcitur. Folia, quæ partibus reli-

quis virtute præpollent, et præcipue igitur in uſum medicum cedunt, parva ſunt, oblonga, inſtar foliorum quercus *(a)* dentata, ſaporis balſamico-amari, ac parum in receſſu adſtringentis, odoris, præſertim contrita, grati balſamici.

§. II.

Principium volatile, odoratum, balſamicum debile eſt, et exigua ſaltem quantitate in mixtione hoſpitatur; hinc paullatim quoque in foliis exſiccatis blanda exhalatione conſumitur, et magis itaque ſub virium determinatione ad *ſubſtantiam fixam reſinoſam* ac *gummeam*, quam laudatas partes ſpirituoſas, reſpiciendum eſt. Portio gummea, confirmante analyſi chemica, reſinoſam virtute nonnihil ſuperat: Quod copiam vero attinet, illa ferme æqualis eſſe videtur, quoniam extracta idem pondus obtinent, et aquoſum, æque, ac ſpirituoſum primum, binas plerumque drachmas et aliquot grana pendet. Infuſum aquoſum primum coloris flavo-fuſci eſt, odoris debilis balſamici, ſaporis amari. Maſſa inſpiſſata vix differt, præterquam, quod

(a) Memorata foliorum quercus et chamædryos ſimilitudo græcæ hujus plantæ denominationi occaſionem dedit. Vocabulum *Chamædrys* enim ex vocibus χαμαὶ, *humi*, et δρύς, *quercus*, componitur, et *humilem* quaſi *quercum* denotat; hinc a quibusdam quoque *Quercula minor* vocatur.

quod color ſaturatior, et ſapor balſamico-amarus fortior, paullulumque in receſſu adſtringens deprehendantur. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſaturate viridi *(a)*, odore herbæ ſpecifico, et ſapore balſamico-amaricante gaudet. In extracto inſpiſſato flavo-nigricante odor debilior, quam in tinctura, amarities vero paullo fortior exiſtit.

§. III.

Ad medicamenta *reſolventia*, *abſtergentia*, *aperitiva*, *roborantia*, *anthelmintica*, *diaphoretica*, *diuretica*, et *ſanguinis purificantia* pertinent, multumque inprimis auxilii in adfectibus ſcabioſis, cachecticis, rheumaticis, arthriticis, et catarrhalibus, nec minus in febribus intermittentibus, morbis pectoris pituitoſis, hydrope aſcite, ictero, ſuppreſſione urinæ, atque menſium, fluore albo, ſcorbuto, et ſanguine congrumato præſtant. Præſcri-

(a) Folia viridia plerarumque plantarum, quod examina chemica *veronicæ*, *betonicæ*, *rorismarini*, *rutæ*, *ſalviæ*, *meliſſæ*, *menthæ*, *thymi*, *abrotani* etc., in antecedentibus paſſim deſcripta, confirmant, non aquoſo, ſed ſpirituoſo duntaxat menſtruo viridem colorem communicant; hinc concludere licet, quod viriditas eorum, niſi unice, præcipue tamen, a parte oleoſo-reſinoſa pendeat. Aliquam hæc obſervatio conſiderationem meretur, et circa explicandam inprimis perennem plantarum quarundam, abietum v. g., pinorum, buxi etc. viriditatem plus lucis foenerabitur.

ſcribuntur, æque, ac veronica et betonica, in decocto et infuſo aquoſo atque vinoſo, doſi tamen paullo minori, quoniam illis longe potentiora reperiuntur, et facilius præterea, ob eminentiorem ſuam amaritiem, adſumentibus nauſeam creant. Nonnulli folia pulveriſata cum melle aut ſyrupo quodam miſcent, et majorem in aſthmate, tuſſi, ceterisque pectoris morbis effectum a dulcamaro hoc electuario exſpectant. Externe decoctum eorum in ulceribus, præſertim cacoethicis, valde laudatur, et pulvis quoque, inter emplaſtra receptus, aliquid ad hernias ſanandas conferre dicitur.

§. IV.

CHAMÆPYTIS OFF., ſive *Chamæpitys Vulgaris odorata flore luteo* I. B., alias etiam *Iva arthetica, arthritica, moſchata* etc., germ. Erd-Kiefer, Schlag-Kräutlein nuncupata, paſſim, præſertim in *Auſtria* et *Hungaria*, ſponte in locis campeſtribus ſabuloſis, atque montanis provenit, partim etiam in hortis ſeritur. Folia, de quibus hoc loco maxime ſermo eſt, anguſta ſunt, oblonga, villoſa paullulum, et albeſcentia, odoris, inſtar piceæ, reſinoſo-balſamici ſatis penetrantis, ſaporis amari. Vocabulum Chamæpitys a vocibus χαμαὶ *humi*, et πίτυς, *picea*, *pinus*, originem duxit, quoniam folia piceam, uti dictum, redolent.

§. V.

§. V.

Natura, principiis, ac viribus folia chamædryos valde æmulantur, plus tamen *ſubſtantiæ ſpirituoſæ* poſſident. *Portio gummoſa*, aqua ſimplici primum extracta et inſpiſſata, colore flavo-fuſco, ad nigrum vergente gaudet, et, præter debilem odorem, ſaporem balſamico-amarum, in receſſu nonnihil adſtringentem, obtinet. In infuſo nondum evaporato odor balſamicus ſpecificus paullo fortior, ſapor vero remiſſior deprehenditur, nihilque auſteri amaritiei mixtum ſentitur. Tinctura ſpirituoſa prima ſaturate viridis eſt, plantamque magis, quam infuſum aquoſum, redolet, et ſubacrem atque balſamico-amaricantem ſaporem linguæ imprimit. In maſſa inſpiſſata color viridis in flavo-nigricantem quodammodo degenerat, et ſapor balſamico-amarus non acriuſculo amplius, ſed ſubdulci aliquantulum mixtus deprehenditur. Uncia foliorum una circiter ſcrupulos quinque, vel drachmas duas extracti, tam aquoſi, quam ſpirituoſi primi, ſuppeditat.

§. VI.

Chamæpitys in iisdem morbis, in quibus chamædrys utilis judicatur, locum invenit, et altera igitur alterius defectum commode ſupplere poteſt. Nonnulli quidem chamæpytios folia in morbis capitis atque nervorum, adeoque in apoplexia, epilepſia,

vertigine, paralyſi etc. majus auxilium ferre arbitrantur: Verum, nullam omnino putatitiæ hujus prærogativæ rationem video. Simillima enim adſunt principia activa, ſimillimus obſervatur operandi modus, adeoque pares quoque virtutes adeſſe debent. Perinde videtur, an interne ſub forma decocti et infuſi aquoſi aut vinoſi præſcribantur, quoniam ſubſtantia fixa gummea virtute parum reſinoſæ cedit, et utraque viribus egregiis pollet. Adplicari etiam hoc loco poſſunt, quæ ſupra §. 3. de ulteriori chamædryos uſu interno et externo dicta fuerunt.

CAPVT XII.

DE THEA ORIENTALI ET TEVCRIO VERO.

§. I.

THEA VERA OFF. ſive *Thea Orientalis* apud nos folia denotat fruticis cujusdam orientalis, Sinenſibus *Thèh*, Japonibus *Tſja*, itemque *Tſjaa* dicti, exſiccata, vel potius leniter toſta, plus minusve convoluta, ſuaveolentia, auſteriuſculo-amaricantia, colore vel viridi, aut ſubviridi, vel fuſco-nigricante prædita.

§. II.

§. II.

Propter indicatam coloris diverſitatem Thea in genere in *Viridem*, et *Fuſcam*, aut rectius *Fuſco-nigricantem* dividitur. Thea fuſca, vulgo *Thée-Buu*, *Thé-Buh*, *Thée-Bouy* nuncupata, eandem cum thea viridi originem habet, et differentia illa, quæ apud varias Theæ viridis ac fuſcæ ſpecies venales, circa habitum foliorum externum, colorem, odorem, ſaporem etc., animadvertitur, partim a diſcrepante coeli clementia, ſolique natalis bonitate atque cultura, partim a differenti foliorum recentium ætate, teneritudine, magnitudine, et collectionis tempore (*a*),

 par-

(*a*) „Collectio, *referente* KÆMPFERO *in Amoenit.* „*exot. p. 613.*, non eodem tempore peragitur, nec „una abſolvitur vice, ſed utplurimum diverſis. „Qui tertium colligunt, illi auſpicium tentant „circa finem menſis *Songuats*, qui Japonum pri„mus eſt, exordiens cum novilunio illo, quod „æquinoctio verno eſt propius, ſive id in Februa„rii exitum, ſive Martii initium inciderit. At „hic menſis folia pauca tantum ſuppeditat, eaque „perquam tenella, et nondum integre explicata „duorum et trium dierum; quæ vero nobiliſſi„ma ſunt omnium, et ob pretioſam raritatem pa„latiis Principum ac divitibus dicanda, unde „*Thea Cæſarea*, nec non *flos theæ* appellari ſuevit. „(Florum petala nemo colligit, aut loco folio„rum uſurpat, quod falſo perſuaſi ſunt noſtrates; „errorem, credo, genuiſſe floris nomen plauſi„bile, vel induxiſſe ignorantiam viatorum. - - „Secunda collectio (quæ prima eſt aliis), menſe

partim etiam a multiplici hominum artificio derivanda eſt; quemadmodum plura de hiſce in B. NEVMANNI *Lectione de Thea* videnda ſunt.

§. III.

Frutex memoratus, qui triennis factus, ordinario primam, ſeptennis vero ultimam foliorum lectionem patitur, in *China* et *Japonia*, vel unice, vel præcipue tamen, adoleſcit, ibidemque ab incolis maxima cura transplantatur, ac colitur. Senſim, tardo tamen incremento, viri altitudinem conſequitur, et, ſic deſcribente vix allegato KÆMPFERO *(a)*, *Frutex* eſt *folio Ceraſi*, *flore Roſæ*

„ſecundo inſtituitur, i. e., circa Martii finem, „vel Aprilis initium; hac folia jam integre ex„plicata, una, ſi placet, cum ſemi-explicatis de„cerpuntur, ante præparationem, ſecundum bo„nitatem et magnitudinem, in claſſes ſeligenda. „Ex his, quæ nondum explicata ſunt, bonita„tem prædictorum quodammodo aſſequuntur, „unde eodem nomine veniunt, a cæteris, ob „præſtantiam ſeparanda. *Poſtrema* atque omnium „uberrima collectio (aliis altera) fit menſe Japo„num tertio; quo explicata folia multitudine „luxuriant. Sunt, qui neglectis prioribus, unica „hujus menſis collectione omnem Theæ clau„dunt, abſolvuntque meſſem, cum ſedula dis„junctione foliorum in diverſas *Itziban, niban*, et „*ſanban*, ſeu primæ, ſecundæ et tertiæ bonitatis „claſſes; quarum ultima exhibet folia bimeſtria „et rigidiora, pro uſu plebejorum. etc.

(a) L. c. p. 605.

ſæ ſylveſtris, fructu unicocco, bicocco, et utplurimum tricocco. *Radicem* habet incondite brachiatam, lignoſam, ſuperficie nigricante; *Caudicem* ab imo ramoſum, brachiis, ſurculisque plurimis, inordinate extenſis. *Cortice* tegitur infirmo, exſucco, tenui, coloris badii, in caudice caneſcentis, in cymis tantulum herbei. *Lignum* ei duriuſculum et fibratum eſt; *medulla* exigua firmiter adnata. *Folia* pediculis carnoſis breviſſimis nixa, ſurculos perenni, niſi decerpas, vigore inordinate occupant ſingula, foliis Ceraſi hortenſis fructu acido, ſubſtantia, figura, colore, et magnitudine, paria; ut recens nata, qualia pro interno uſu carpuntur, magis fortaſſe folia Evonymi vulg. gran. rubr., excepto colore, referant. *Flores* autumno ſinguli geminive ex foliorum axillis prodeunt, Roſæ ſylveſtris facie, in diametrum pollicarem et amplius (vix integre) expanſi, remiſſe fragrantes, albi, hexapetali, petalis rotundis, concavis; Pediculis inſiſtunt ſemiuncialibus, ex tenui principio craſſioribus, qui in ſquamas incerto numero (quinas et ſenas utplurimum) parvulas, orbiculatas, caliculi vicem præſtantes, deſinunt. *Fructus* florem numeroſus excipit monococcus, bicoccus, et utplurimum, ad inſtar ſeminis Ricini, tricoccus, concretus ex tribus globoſis capitulis, pruni ſylveſtris magnitudine, ad centrum communis pediculi coëuntibus, et pulvinata depreſ-

depreſſione (qua diffringi poſſunt) diſtinctis. Conſtat idem ex pericarpio et nucula ſingulis capitulis ſtricte incluſa. *Pericarpium* herbei coloris eſt, per maturitatem nigricans, ſuperficie opaca, ſubſtantia pingui membranacea et quodammodo lignoſa, ſumma facie per ſiccitatem (poſt annuam in planta moram) dehiſcente, ut per ſingulas fiſſuras promineat nucula. *Nucula* fere globoſa eſt, tantum aliqua ſui parte, ex accubitu compreſſa; *corticula* tegitur tenui, duriuſcula, micante, ſpadicea et Caſtaneæ nucis ſimillima; qua detracta *nucleus* prodit, externa ſuperficie rufens, ſubſtantiam obtinens nucis avellanæ ſolidam et oleoſam, ſapore primum vapido et ſubdulci, mox ſeminis *Cheiri* inſtar amaro et valde tetrico; ſed qui ſalivam acriter provocat, et ad fauces dilapſus nauſeoſo ſenſu, cito tamen diſparente, guſtantium guttura offendit. etc. *(a)*

§. IV.

Folia recentia, etiamſi ſenſibili odore deſtituantur, *tenerrimum* tamen *principium narcoticum* poſſident, eodemque, interne uſurpata, ſpiritus animales turbant, mentem inebriant, cerebrum offendunt, et tremulum nervorum motum inducunt. Quare, ut nociva

(a) Qui uberiorem hujus plantæ, partiumque ſingularum deſcriptionem deſiderat, in *eodem* allegati Auctoris *Faſciculo III.* §. 3. inveniet.

civa ac quaſi virulenta hac qualitate nonnihil priventur, et melius quoque adſervari queant ac transportari, ab incolis eodem die, quo ab arbuſcula decerpta fuerunt, in ampla, plana, quadrata aut rotunda ſartagine ferrea certi cujusdam furni, quem, ut et totam præparandi methodum, KÆMPFFERVS *l.c.* *p.* 617. prolixe pariter deſcripſit, modeſtæ atque methodicæ toſtioni ſubjiciuntur, eaque durante conſtanter manu utraque huc atque illuc verſantur, ut æqualiter torreantur. Sufficienti toſtione abſoluta, rutabili lignei ope eximuntur, ac protinus, dum adhuc fervent, in ſtoream effuſa, ſtrenue ab aliis, palma utraque, non quidem motu promiſcuo, ſed uniformi, volvuntur, ut eodem tenore contorqueantur, ac criſpa evadant. Poſt præparationem hanc, quæ toties reiteratur, donec folia debite exſiccata ſint, cenſura inſtituitur, et folia craſſiora, incondite voluta, ac nimis aduſta a melioris notæ reliquis ſeparantur, atque ſeorſim reconduntur: Non ſtatim tamen uſui ſerviunt, ſed per decem, duodecim, immo plures menſes, adſervantur, ut principii narcotici reliquiæ paullatina atque ſpontanea exhalatione auferantur.

§. V.

Thea, deſcripta modo præparata, et ex China inprimis a mercatoribus ad nos translata, *tenerrimum*, ac *grate balſamicum principium*

pium oleoſo-inflammabile, e foliorum nec minus, infuſi, et aquæ deſtillatæ odore ſatis cognoſcendum, *fixam* quoque *ſubſtantiam activam terreo-reſinoſo-gummeam* poſſidet. Pars gummea majori quantitate mixtionem ingreditur, et tam arcte cum reſinoſa combinata eſt, ut hæc æque, atque illa prima vice maximam partem tam aqua ſimplici, quam ſpiritu vini extrahi queat. NEVMANNVS ex uncia una Theæ viridis unciam dimidiam ac ſcrupulos duos *extracti aquoſi primi*, et unicum ſolummodo ſcrupulum *extracti reſinoſi ſecundi*, poſteaque, cum aliam unciam, ordine inverſo, exploraret, drachmas tres cum ſemiſſe *extracti ſpirituoſi primi*, et ſcrupulos quatuor *extracti aquoſi ſecundi* impetravit. Apud extracta Theæ fuſcæ (Theebouy), tum intuitu quantitatis, tum qualitatis, leviſſimam duntaxat differentiam invenit, primumque extractum ſpirituoſum gratius, ſecundum ingratius, quam apud theam viridem, eſſe, et principium præterea gummoſum paullo largius, reſinoſum vero parcius in mixtione hoſpitari, obſervavit *(a)*. Valde

(*a*) Decocti uſus apud ruſticos et cives pauperiores, qui potulentum hoc toto hauriunt die, ſolummodo receptus eſt; ditiores vero infuſo, quod duplici modo præparant, utuntur. Nunc ſcilicet folia integra ſimpliciter aqua fervente, uti apud nos moris eſt, infundunt, tinctamque hauriunt ſolam; nunc vero folia, molæ manualis ope in pulverem redacta, certa quantitate in

Valde memorata examinibus, quæ ipſe ſuſcepi, reſpondent, circa colorem tamen monendum duco, quod ille apud infuſum ſpirituoſum Theæ fuſcæ non ſemper, uti Auctor laudatus retulit, viridis, ſed plerumque flavo-fuſcus ſit. Portio reſinoſa potentior eſt gummoſa, et longe majori quoque ſtypticitate prædita reperitur: Nam extractum aquoſum primum, adeoque magis gummeum, colorem ex flavo et rubello ſubfuſcum obtinet, et ſaporem duntaxat auſterum mediocriter adſtringentem linguæ imprimit: Extractum vero ſpirituoſum primum, cujus color pro Theæ diverſitate vel fuſco-vel ſubviridi-nigricans eſt, ſapore in principio balſamico-amaricante, deinde admodum auſtero ac ſtyptico pollet. Odor ſpecificus balſamicus, qui in infuſis, præſertim aquoſo, ſatis fortis eſt, in extractis inſpiſſatis valde minuitur, ita ut in ſpirituoſo parum ſolummodo, in aquoſo nihil ferme ſentiatur.

§. VI.

Apud Chinæ et Japoniæ incolas infuſum et decoctum horum foliorum aquoſum non tantum quotidianum, communiſſimum, acceptiſſimumque potulentum conſtituit, ſed medicaminis quoque vices ſæpiſſime gerit. Mentem quippe, præſertim ex foliis paratum,

tum,

vaſcula, calida aqua ſimplici repleta, immittunt, et una cum aqua ſorbillant.

tum, quæ anni unius ætatem habent, exhilarare, viſcerum obſtructiones tollere, ſanguinem purificare, materiam tartaream eluere, adeoque multis morbis mederi, pluresque, calculoſæ inprimis et arthriticæ indolis, avertere, credunt. Idem Europæi quamplurimi ſentiunt, et in principio, cum iisdem infuſum hoc innoteſceret, parum abfuit, quin præcones nonnulli, mercede forſan conducti, iſtud univerſale morborum, tum curandorum, tum præſervandorum, remedium deprædicarent. Noſtra ætate fama hinc inde nonnihil iterum decrevit, poſtquam medici prudentiores cognoverunt, ac demonſtrarunt, quod laudes vulgares vera virtute ſuperiores exiſtant, quodque vires, quas infuſum exſerit, magis a copioſa aqua calida, quam ipſa thea, derivandæ ſint. Sententiæ huic et ego ſubſcribere nullus dubito: Certo enim certius eſt, aquam calidam, hac occaſione largius hauſtam, diluendo, ſolvendo, eluendo, temperando, aperiendo, humectando, plus omnino efficere, quam extractas theæ moleculas, quæ mediante tenerrimo ſuo principio balſamico leniſſime ſaltem diſcutiunt, mediante terreo-reſinoſo-gummeo auſtero-amaricante autem fibras ad- et conſtringunt. Ex adſtrictione memorata, quæ in infuſo tamen, ob exiguam theæ injectæ copiam, non adeo valida eſt, virtus diuretica, quam, poſt adſtrictoriam ac leniter diſcutientem, primariam

riam judico, præcipue fluit, et inde pariter, non excluſa tamen blanda diſcuſſione, quam tenerrimum principium balſamicum præſtat, nervinam, cephalicam, cardiacam, pectoralem etc. deducere licebit. Iterum nihilominus iterumque moneo, ſub virium plerarumque explicatione magis ad copioſum vehiculum ac menſtruum aquoſum, quam ipſa theæ principia activa, quæ in vulgari infuſo, uti pridem dictum, parciſſime adſunt, reſpiciendum eſſe.

§. VII.

Quemadmodum moderatus infuſi laudati uſus non tantum hominibus ſanis prodeſt, ſed in febribus quoque, inflammationibus, adfectibus rheumaticis, arthriticis, nephriticis, pectoris pituitoſis, aliisque catarrhalibus, nec minus in ſcorbuto, obſtructione viſcerum, dolore capitis, et morbis compluribus, ex craſſitie et impuritate humorum primario oriundis, valde nonnunquam utilis deprehenditur; ſic abuſus quoque haud parum ad ſanitatem labefactandam conferre valet. Nocendi facultas ad menſtruum æque, ac ipſam theam redundat: Aqua tepida enim, theæ principiis parciſſime ſaltem, uti apud nos moris eſt, imprægnata, tunicas ventriculi et inteſtinorum valde flaccidas, immo reliquarum partium compagem laxiorem reddit, ſi juſto largiori quantitate, ac juſto

frequentius adſumitur. Naſcuntur inde adpetitus dejectio, prava eſculentorum digeſtio, et viſcerum atque vaſorum atonia, quibus facile poſtmodum variæ ægritudines chronicæ ſuccedunt. Vitium memoratum emendari quidem poteſt, quando theæ folia ad certam aquæ quantitatem majori copia recipiuntur; verum contraria hôc modo qualitas nociva infuſo conciliatur: Nimium nempe conſtringit, et apud ſubjecta ſenſibiliora anxietatem præcordialem, et tremorem ventriculi, apud alia, ſpasmis primæ culinæ obnoxia, cardialgiam, colicam, vel ad minimum alvi ſegnitiem, aut plenariam prorſus obſtructionem provocat. Aſthmatici quoque, phthiſici, alioque pectoris morbo chronico laborantes tam inſigne auxilium, quam vulgo credunt, a potulento hoc minime exſpectare debent, quoniam quotidiano, copioſo, et diuturno ejus uſu tonus pulmonum magis magisque dejicitur, et humorum itaque ſtagnationes cum vaſorum obſtructione et mucidæ impuritatis decubitu majora in dies incrementa capiunt.

§. VIII.

Pretioſiori Theæ orientali medicorum multi varias pridem plantas indigenas ſubſtituere allaborarunt, circa deſignandam tamen ſpeciem optimam valde diſſentiunt, et alii hanc, alii illam ejus loco melius adhiberi

poſſe

poſſe opinantur. Nolo ſingula hæc ſuccedanea, quæ COHAVSEN in *Tractatu*, cui titulus *Neo-Thea*, maximam partem deſcripſit, hac vice adducere, ſed pauca duntaxat de TEVCRIO VERO, quod in *Actis Medicorum Berolinenſium (a)* reliquis omnibus præfertur, ſubjungam. Amat hæc planta, ſylveſtris, quæ etiam *Chamædrys foemina, Chamædrys aſſurgens, Botanicis alias Teucrium dicta*, itemque *Veronica ſpicata, chamædryos folio, fruteſcens et erecta* nuncupatur, elatiora ac ſicciora montium loca, et ultra ſemicubitalem altitudinem plerumque excreſcit. Folia recentia, et Iulio inprimis menſe, una cum floſculis, monopetalis, coeruleis, in ſpicam collectis, decerpta, ac blande in loco umbroſo exſiccata, aquam ferventem, ſub infuſione moderata, colore ſubviridi, ſuavi odore balſamico, et longe gratiori ſapore, quam Veronica vulgaris et Betonica, imbuunt. Valde igitur in hoc paſſu Theam orientalem æmulantur, analoga autem virtute fere ſuperant. „In diffuſa virium expli„catione, B. GOHLIVS *l. c. p.* 134. *ſcribit*, „nihil *(teucrium verum ſcilicet)* cedit herbæ „Thé. Sanis æque ac ægrotis ſine ulla con„trarietatis efficacia accommendari poteſt. „Imo obſervavi, quod illis ſubjectis, quibus „infuſum herbæ exoticæ Thé fuit grave „et contrarium, quibus vertigines excitavit,

(a) Vol. II. p. 125. ſequ.

„noſtræ plantulæ extractio, maxime accom„modabilis et ſalutaris fuerit. Magis et po„tentius Diaphoretica et Diuretica eſt, quam „ipſa Thé. Cardialgias non movet, ſed „præſentes diſcutit, et ſolvit. Quod ſi to„tum hominem a capite usque ad calcem „variis morbis per ſingula capita infeſtatum „percurrere vellemus, nullus erit morbus, „qui non ferat uſum infuſi noſtræ plantulæ. „Non contendo panacæam hic ſubeſſe, ſal„tem contendo nullum hic ſubeſſe, in de „cætero percurandis ex arte morbis, offen„diculum. Febribus cuiuscunque generis „fert ſuppetias. Arthriticis affectibus, et „Rheumatiſmis videtur magis ſpecifice dicata „eſſe. Scorbuticas ſanguinis inquinationes, „præprimis ſeri et lymphæ recrementa eluit „ſua diuretico-diaphoretica virtute. Viſceri„bus læſis et ſuppuratione tactis æque et me„lius,ac Veronica, balſamico-vulneraria occur„rit efficacia. -- Nolo diffuſior eſſe in memo„randa hujus herbulæ inſigni et conſpicua „medicandi varios morbos efficacia. Id ſal„tem intactum relinquere non poſſum, quod „ſecuritate uſus antecellat exoticam herbam „Thé. Non enim indiget repoſitione an„nua, aut prævia toſtione, qua perdat inimi„cam qualitatem, cerebrum et nervos impe„tendi, uti Thé, ſed quo recentior ad uſum „vocatur, eo gratior eſt planta et eo ſalu„brior. etc.

CAPVT

CAPVT XIII.

DE ARTEMISIA.

§. I.

ARTEMISIA OFF., ſive *Vulgaris* I. B. Beyfuß, in *rubram* et *albam* dividitur: Hæc caulem pallidum aut ex viridi albicantem, illa ſpadiceum habet, et prior itaque a C. BAVHINO *Artemiſia vulgaris major, caule ex viridi albicante*, poſterior *Artemiſia vulgaris major, caule et floribus purpuraſcentibus* appellatur. Utraque ſpecies in hortis ſeritur, et paſſim quoque ſponte creſcit. Folia exſiccata debilem odorem, debilemque ſaporem balſamicum poſſident, qui in ſummitatibus florifero-ſeminiferis tamen paullo fortior deprehenditur.

§. II.

Medicorum plerique huic plantæ vires plane eximias tribuunt, eamque, cum aqua aut vino coctam, in ictero, hydrope, obſtructione viſcerum, nephritide ſabuloſa, iſchuria, dyſuria, torminibus ventris, vulneribus venenatis, aut ſclopeto inflictis etc. magnopere prodeſſe, et ſanguinem præterea menſtruum, atque lochialem, nec minus foetum ac ſecundinas valide pellere, tantum-

 que

que in cunctis uteri morbis valere, perhibent, ut matrum et omnium paſſionum muliebrium exoptata obſtetrix merito nuncupanda eſſet.

§. III.

Elogia hæc, et reliqua, quæ adducere ſuperſedeo, magna quidem ſunt, valde nihilominus dubito, artemiſiæ folia virtutibus memoratis revera inſtructa eſſe. Sub examine chemico enim nullum principium, cui tanta energia adſcribi poſſet, in illis reperire potui: *Tenerrimæ* videlicet atque *volatiles particulæ balſamicæ* pauciſſimæ ſunt, ac valde debiles, et *fixa* pariter *ſubſtantia gummeo-reſinoſa* tam iners deprehenditur, ut parum inde activitatis exſpectandum ſit. Extractum enim aquoſum primum ſapore penitus ferme deſtituitur, et ſpirituoſum primum leniſſimum duntaxat ac vix perceptibilem acriuſculo-balſamicum obtinet. Credo itaque, artemiſiæ foliis torpidam ſolummodo virtutem *diſcutientem* et *abſtergentem* competere, adeoque uſum eorum in morbis antea recenſitis non adeo magni momenti eſſe. Non movent me contraria ſcriptorum teſtimonia, quum ſic dictam experientiam, quam allegant, ſub præjudiciorum vigore haud raro fallaciſſimam eſſe, plus vice ſimplici cognoverim.

§. IV.

§. IV.

In *China* et *Japonia* ex artemiſiæ vulgaris latifoliæ, adhuc novellæ, foliis, diu exſiccatis et obſoletis, ſic dicta MOXA, ſive uſitatiſſima ibidem cauterii actualis materia præparatur, qua incolæ morbos pene omnes, maxime autem dolores arthriticos, non curari ſolum, ſed etiam præſervari poſſe, credunt. Moxa hæc, referente KÆMPFFERO *(a)*, lanugo ſive ſtupa mollicula eſt, coloris cinerei, concipiendo igni aptiſſima, eoque illato moderate gliſcens, ſcintilla minus conſpicua, ardore temperato, progreſſu lento, donec in favillam tota redacta ſit. Reſcinditur herba multo mane, rore adhuc madens, et ad faciem domus occidentalem libero aere ſuſpenditur, uſque dum ſufficienter exſiccata ſit, deinde in ſummo pavimento diu ſervatur, quoniam eo nobilior atque tenerior lanugo ex illa ſperanda eſt, quo magis obſoleverit; unde non deſunt, qui herbam ad decennium usque reſervandam curant. Præparatio moxæ nullo artificio abſolvitur: Tunduntur nempe folia primum piſtillo ad mollitiem rudioris ſtupæ; deinde utraque manu agitantur et fricantur aſſidue, ut priori contuſione jam attritis decedant duriores fibræ, et recrementa membranacea: quibus excuſſis, deſiderata illa inſignis teneritatis homogenea et puriſſima lanugo remanet.

(a) In Amoenit. exot. p. 592. ſequ.

manet. Quando amplius pectinis ope carminatur, elegantior adhuc atque tenerior redditur, ita, ut inſcius eam ex artemiſia confectam eſſe vix crederet. *(a)*

§. V.

Ex lanugine memorata parvi coni digitis formantur, qui cuti, ſaliva antea paullulum humectatæ, imponuntur, et bacilli ſive virgulæ cujusdam ardentis ope in ſummitate accenduntur. Ignis, faſtigio illatus, turundam brevi mora depaſcit, usque ad cutem, ibidemque non veſicam, ſed ſpadiceam ac fuſcam maculam, producit. Poſt inuſtionem ſtigmati plerumque, ad ſuppurationem promovendam, allium contuſum, et deſuper ejusdem pellicula exterior madefacta imponitur, die ſequenti autem, veſica, circumcirca forſan nata, forſice aperitur, et eſcharæ, allii loco, folium plantaginis, leniter toſtum, aſperiori ſuo latere, tandemque latere molli, vel etiam folium braſſicæ etc. adplicatur, ut primum eſchara ſponte ſeparetur, poſteaque ulceris conſolidatio acceleretur.

§. VI.

Moxiburium hoc pro morborum diverſitate modo in hac, modo in illa parte, frequentius tamen in dorſo, utrinque prope ſpi-

(a) Vid. Miſcell. A. N. C. G. Dec. II, ann. 4. obſ. 1

ſpinam ad lumbos usque, ubivis tamen ſtudioſe vitatis arteriis, venis, et locis valde tendinoſis, peragitur. Dolor, quem ignis, cutem attingens, excitat, non adeo moleſtus eſſe dicitur, niſi uſtio intra breve tempus iterata vice in eodem loco inſtituatur, aut grandiores etiam coni imponantur: „Centies vidi, *Auctor allegatus p.* 594. *ſcribit*, „ipſos pueros uſtionem promiſcuo corporis „loco admiſiſſe, citra ullum doloris geſtum. „Urunt enim indiſcriminatim infantes et ſenes, divites et plebejos, mares et foeminas; parcunt tantum gravidis illis, quæ „uſtioni non admodum aſſuetæ ſunt. Uſtio „autem artemiſialis vel ad morborum præſervationem, vel ad curationem inſtituitur; ad præſervationem præprimis eam „commendatam volunt Medici, et ſanos potius quam ægrotos uſtulandos jubent: ſicut enim, ajunt, materiam medicam morbi „præſentis, ita futuri pharmacum eſſe cauterium. Qui igitur in extimo oriente ſuæ „valetudini proſpiciunt, ii uri ſe ſingulis curant ſemeſtribus. Ea conſuetudo adeo religioſe viget, ut etiam hominibus æviterno carcere damnatis prodire permiſſum ſit, „ad moxiburii fruendi beneficium. Præſervativa uſtio turundis in eodem loco abſolvitur parvulis, et paucioribus, curativa vero plures requirit, easque grandiculas, ſi vapores ex profundo latice evocandi ſunt. etc.

 Plura

Plura de hiſce ac reliquis, ad Moxæ præparationem, applicationem etc. ſpectantibus, non tantum apud *hunc ſcriptorem*, ſed hinc inde pariter in *Miſcell. A. N. C. G.*, nec minus in BLANCKARDTI et *Dn.* TEMPEL *Tract. de Moxa* videri poſſunt.

* *

CAPVT XIV.

DE FLORIBVS LILIORVM CONVALLIVM, TILIÆ, ET PARALYSEOS.

§. I.

LILIVM CONVALLIVM, a recentiorum quibusdam, præeunte LINNÆO, etiam *Convallaria* dictum, magis frigidarum, quam calidarum regionum incola eſt; hinc in *Germania* noſtra, ceteriſque regionibus, ad ſeptentrionem plus minusve vergentibus, ubertimus hinc inde ejus proventus eſt. Amat valles, ſylvas cæduas, aliaque loca humidiuſcula et umbroſa, aprica autem et ſicciora refugit. Flores, qui præ reliquis plantæ partibus ad uſum medicum expetuntur, plerumque albi, rarius purpuraſcentes ſunt: Odorem, præſertim in paullo majorem faſciculum collecti, diffundunt fragrantiſſimum ſuaviſſimumque balſamicum, et nonnihil expanſi-

panſivum; hinc ſæpius quoque et majori copia naribus admoti caput aliquantulum turbant, et facile, apud plethorica inprimis et cholerica ſubjecta, cephalalgiam leviorem producunt: Memoratus tamen odor fugaciſſimus eſt, et poſt aliquam florum exſiccationem, vel ſaltem marceſcentiam valde imminuitur, tandemque prorſus evaneſcit. Sapor admodum amarus eſt, ita ut flores hi multa in hoc paſſu cum aloe communia habeant. Quando exſiccati in pulverem rediguntur, idemque naribus attrahitur, vividam titillationem, cui fortis ſternutatio, immo apud homines plethoricos haud raro narium hæmorrhagia ſuccedit, excitare conſuevit.

§. II.

Præter *tenerrimum fugaciſſimumque principium*, *oleoſo-ſpirituoſum*, *odoratum*, *balſamicum*, in floribus hiſce etiam *ſubtile ſalinum acidulum*, et *valde activa ſubſtantia fixa*, tam *reſinoſa*, quam *gummea*, demonſtrari poſſunt *(a)*. Principium balſamicum, quod odor

(a) Sal eſſentiale vitriolico-ammoniacale, cum multo oleo acri et ſpiſſo conjunctum, quod GEOFFROY floribus hiſce tribuit, reperire non potui, nec unquam alios iſtud reperturos credo. Pluribus ſane ſimplicibus ſingularia ejusmodi principia, quæ ſicci ac violenti ignis producta, vel ſæpius imaginaria prorſum appellare audeo, adſcripſit. Quis enim in avena v. g. *ſal ammoniacale, multo oleo involutum*, in fabis *ſal urinoſum vola-*

odor ſatis prodit, cum aqua ſimplici et ſpiritu vini alembicum ſub blanda deſtillatione tranſcendit, et grata fragrantia vehiculum utrumque imbuit; oleum ſubſtantiale æthereum vero, cujus valde exigua quantitas in mixtione hoſpitatur, nunquam ſub conſiſtentia ac forma craſſiori oleoſa in conſpectum venit, niſi una vice ingens florum copia humidæ deſtillationi ſubjiciatur. Subtile ſal eſſentiale acidulum difficillime a partibus reliquis ſeparatur, quoniam fixæ ſubſtantiæ gummeo-reſinoſæ valde implicitum, altiusque immerſum eſt; præſentia tamen ejus manifeſta redditur, quando flores ſeorſim aqua ſimplici, et ſpiritu vini per aliquot horas infunduntur ac digeruntur, poſteaque ſolutionibus filtratis liquor alcalicus, v. g. ſolutio ſalis tartari, aut cinerum clavellatorum, juſta quantitate inſtillatur. Ex utraque enim ſolutione ſenſim parva granula ſalina ad fundum dejiciuntur, quæ nitroſo-ſalſum ſaporem linguæ imprimunt, et formam quoque cryſtal-

tile, in fumaria *ſal eſſentiale ammoniacale cum aliqua ſalis mirabilis Glauberi portione*, *et multo ſulphure conjunctum*, in herba et radice cichorii *ſal eſſentiale ſalſum vitriolico-ammoniacale, multo ſulphure involutum*, in artemiſia *ſal ammoniacale eſſentiale cum multo ſulphure craſſo, et multa terra conjunctis*, in radice ari *ſal eſſentiale ſimile ſali ammoniaco*, *ſpiritu nitri ſaturato*, *cum oleo craſſo et ſucco viſcido et mucaginoſo remixtum*, in radice ellebori albi *ſalem alcalicum* etc. inveniet, ac ſolide demonſtrabit?

cryſtallinam acquirunt, ſi decantato liquore ſupernatante ſedimentum leniter ſiccatur, ſiccatum in aqua ſimplici denuo ſolvitur, et ſolutio, præmiſſa filtratione, blande evaporando ad aliquam, non omnimodam tamen, ſiccitatem redigitur. Inſtillatis liquoribus acidis, ſimilis ſalis medii geneſis neutiquam exſpectanda eſt, nullaque præcipitatio accidit, ſed infuſum aquoſum priſtinam pelluciditatem retinet, et ſpirituoſum, ob phlegmatis cum acido acceſſum, nonnihil ſaltem turbatur *(a)*. A tenerrimis hiſce particulis acidulis, per totam maſſam reſinoſo-gummeam diſperſis, et oleoſo-inflammabili portione magis minusve contemperatis, titillatio illa, quam pulvis, naribus attractus, provocat, maximam partem derivanda eſt.

§. III.

Deſcripta principia ſubtiliora oleoſo-inflammabilia, et acidulo-ſalina ſuam quidem merentur laudem, activitate nihilonimus fixis reſinoſis ac gummeis aliquantulum cedere, arbitror. Probant adſertum meum infuſa et extracta aquoſa ac ſpirituoſa: Nam fuſcum infuſum aquoſum primum odore blande ac grate balſamico pollet, et ſaporem amarum atque ſubacrem obtinet. Evaporando inſpiſ-

(a) Plura de hiſce in B. SCHVLTZII *Diſſ. de Lilio Convallium* §. 14. 15. 16. 17. 18. 19. videri poſſunt.

ſpiſſatum maſſam largitur colore fuſco, ad nigrum inclinante, odore balſamico, non amplius tamen adéo grato, et ſapore amaro plane ſingulari præditam. In tinctura ſpirituoſa prima, quæ aurei coloris eſt, idem adeſt ſapor amarus, acredo vero fortior ſentitur; in extracto contra, quod colorem flavo-ſubfuſcum obtinet, et gratum odorem, inſtar mellis ac ceræ, ſpirat, acredo memorata iterum remiſſior, amarities autem major percipitur. Non ſine ratione itaque ſuſpicari licebit, multas partes ſalino-acidulas volatiles, quæ præcipuam acredinis cauſſam conſtituunt, ſub evaporatione in auras abiiſſe. Utrumque extractum non amaritie ſolum, ſed etiam virtute aloen hepaticam æmulatur, et paullò majori quantitate, ad ſcrupulum nempe, aut drachmam dimidiam, exhibitum, valide abſtergit, ſtimulat, alvumque laxat.

§. IV.

Vires medicæ, quibus flores liliorum convallium inſtructi reperiuntur, partim *diſcutientes*, *nervinæ* atque *cephalicæ* ſunt, partim *ſtimulantes*, *abſtergentes*, *laxantes*, *aperitivæ*, et *diureticæ*. Priores a nobili principio oleoſo-inflammabili balſamico, poſteriores a ſale acidulo, et valde amara ſubſtantia fixa gummeo-reſinoſa dependent. Non perinde itaque eſt, an promiſcue ſub hac vel illa forma

ma adhibeantur, ſed ita ſemper præparandi ſunt, ut ſcopo certius ſatisfieri poſſit. Quare, ſi diſcutiendi et confortandi virtus in vertigine, apoplexia, adfectibus ſoporoſis, epilepſia, melancholia, debilitate memoriæ, lipothymia, paralyſi, palpitatione cordis, ceterisque cerebri et nervorum morbis præcipue deſideratur, aquam deſtillatam et ſpiritum, a floribus recentibus ſemel vel aliquoties abſtractum, eligere præſtat, quoniam liquores hi tenerrimo principio oleoſo-ſpirituoſo balſamico maxime turgidi ſunt; ſin ſolida autem in aliis morbis chronicis, aſthmate v. g., paſſione hypochondriaca, cachexia, ſcorbuto, febre quartana etc., ſub contractionis languore ſtimulare paullulum, alvum blande laxare, impuritates mucidas attenuare et abſtergere, vaſa obſtructa reſerare, et diureſin provocare, animus eſt, decocta eorum et infuſa aquoſa ac vinoſa, nec minus extracta, pilulis et electuariis addita, vel in congruo etiam vehiculo ſoluta, præſcribenda erunt. Externe pulveribus errhinis, et ptarmicis frequentiſſime miſcentur, et vix laudatus ſpiritus, non ſine maximo emolumento, partibus ſugillatis, convulſis, aut paralyſi tactis, adplicatur.

§. V.

FLORES TILIÆ FOEMINÆ FOLIO MAIORI C. B. quoad volatile principium odora-

odoratum balſamicum cum floribus liliorum convallium quodammodo conveniunt, quoad fixa autem elementa magnopere differunt. Subſtantia enim, quam aqua ſimplex ſub blanda digeſtione extrahit, ſatis *craſſa mucilaginea* eſt, et fluida adhuc, præter odorem debilem balſamicum, herbaceo-mucilagineum duntaxat ſaporem, amaritiei et acredinis prorſus expertem, poſt perfectam vero inſpiſſationem herbaceo-mucilagineo-ſubſalſum poſſidet. Portio magis *reſinoſa*, ſpiritu vini primum extracta, poſt evaporationem longe quidem potentior eſt, parum nihiloſecius proprietatibus ſuis valde amaro et acri extracto ſpirituoſo primo florum lilii convallium reſpondet, dum ſatis auſtero adſtringente, et nonnihil ſaltem amaricante ſapore donata deprehenditur.

§. VI.

Operationem ſuam flores paullo recentiores, ſi vino nempe infundantur, partim diſcutiendo, commovendo, expandendo, ac roborando, partim incraſſando, obtundendo, et ſubadſtringendo in corpore exercent: Sin infuſum vero mere aquoſum propinetur, vel aqua deſtillata et ſpiritus abſtractitius exhibeantur, in caſu priori ſolæ propemodum vires *incraſſantes* ac *demulcentes*, in caſu poſteriori autem *diſcutientes* ſaltem, *nervinæ*, *cephalicæ*, ac *debiles hypnoticæ* conſideratio-

nem

nem merentur, De virtutibus ſpecialibus nihil addam, quum ex viribus generalibus, et vario inprimis operandi modo pathologiæ gnaris facile pateant.

§. VII.

FLORES PRIMVLÆ VERIS OFF. ſive *Primulæ odoratæ flore luteo ſimplici* I. B. natura et viribus proxime ad tiliæ flores accedunt, præterquam, quod fixa eorum ſubſtantia non adeo mucilaginea, et volatile quoque principium odoratum debilius, ac minus expanſivum ſit, adeoque hypnotica virtute careat. Exhibetur plerumque aqua deſtillata, vel ipſi flores, confortandi inprimis fine, in infuſo vinoſo præſcribuntur.

* *

CAPVT XV.

DE

FLORIBVS PÆONIÆ, TVNICÆ HORTENSIS, ET ROSARVM.

§. I.

FLORES PÆONIÆ MARIS, cujus radicem in antecedentibus pridem deſcripſi, ſaturate rubri ſunt, ſplendentes, ſaporis modice auſteri adſtringentis, odoris grati balſamici. Quando exſiccantur, odor ita paulla-

tim minuitur, ut naribus amplius percipi nequeat; quare in exſiccatis quoque nulla ſingularis *principii tenerrimi*, *fugaciſſimi*, *ſpirituoſo-inflammabilis* ratio habenda, ſed unice propemodum ad *ſubſtantiam fixam reſinoſam* ac *gummeam* reſpiciendum erit.

§. II.

Subſtantia gummea, quod analyſis chemica monſtrat, majori quantitate, quam reſinoſa, mixtionem ingreditur, et virium quoque intuitu paullo potentior exiſtit. Ex uncia florum una circiter drachmas duas et grana aliquot extracti aquoſi primi, et quatuor ferme ſcrupulos extracti ſpirituoſi primi impetravi. Hoc amoeniſſimo colore rubro oculis blanditur, ac grato, quanquam debili, odore balſamico, et auſtero, adſtringente, in receſſu, ſachari fere inſtar, ſimul dulci ſapore gaudet; illud rubro-nigricans eſt, et naribus gratum odorem, linguæ autem ſaporem ſatis auſterum, ſubdulci pariter atque amaricante nonnihil mixtum, imprimit. Infuſa ab extractis inſpiſſatis nihil differunt, præterquam, quod color dilutior, et ſapor remiſſior ſit.

§. III.

Locum hi flores inter *adſtringentia* et *nervina* ſibi vindicant, et in paralyſi inprimis epilepſia idiopathica, palpitatione cordis, cache-

cachexia, herniis, ulceribus, vulneribus, hæmorrhagiis, diabete, gonorrhoea benigna, aliisque profluviis ſeroſis, ſi ſtyptica nempe tuto admittuntur, non contemnendi uſus ſunt. Recentes, adeoque odorato et quodammodo vaporoſo principio adhuc turgidi, aliquam pariter virtutem *anodynam*, *leniterque diſcutientem*, et majorem, quam exſiccati, *antiſpasmodicam* atque *nervinam* exſerunt. Pro uſu interno præſcribuntur in decocto et infuſo aquoſo aut vinoſo, a drachma una ad drachmas duas. Externe decoctis ſtypticis, roborantibus, et vulnerariis addi poſſunt.

§. IV.

FLORES TVNICÆ RVBRÆ OFF. ſive *Caryophylli rubri hortenſis* gratiori, quam pæoniæ flores, odore pollent, longe remiſſiorem vero ſaporem adſtringentem, leniſſima amaritie mixtum, poſſident. Principium ſpirituoſum odoratum itidem tenerrimum ac fugaciſſimum eſt, paullo diutius tamen, quam in præcedentibus, poſt modicam exſiccationem remanet, adeoque propius etiam ad indolem oleoſam accedere videtur. Suſpicari itaque licet, majorem florum recentium copiam, una vice humidæ deſtillationi ſubjectam, fortaſſis pauxillum olei ſubſtantialis reddituram eſſe: Dicta tamen ſolummodo ſuſpicor; ex integra enim libra ne miculam

 olei,

olei, ſed aquam ſolummodo, aromatica fragrantia donatam, obtinui. Subſtantia *fixa reſinoſa* ac *gummea*, tum quantitatis, tum qualitatis intuitu, majoris momenti eſt: Extractum aquoſum enim, quod ex uncia florum integra plerumque drachmas duas et grana aliquot pendet, coloris purpurei eſt, odoris debilis balſamici, ſaporis ex ſalſo et amaricante auſteri; ſpirituoſum vero, purpureo pariter colore præditum, ſaporem balſamico-amaricantem obtinet, et ſpecificum ſimplicis odorem balſamicum ſenſibilius paullo, quam præcedens, ſpirat; minori tamen quantitate colligitur, et quatuor circiter ſcrupulos pondere attingit. Sub blanda infuſi utriusque evaporatione conſtanter odor caryophyllæus percipitur; unde manifeſtum eſt, ſubſtantiæ fixæ, ceſſante etiam ſenſibili florum odore, multas particulas volatiles altius immerſas, adeoque plus virtutis ab infuſis concentratis, quam ab ipſis maſſis inſpiſſatis, exſpectandum eſſe.

§. V.

A floribus Tunicæ atque Pæoniæ FLORES ROSARVM RVBRARVM HORTENSIVM parum recedunt, multo *largiori* tamen, et *magis oleoſo, principio volatili odorato* inſtructi reperiuntur. Oleum eſſentiale, cujus uncia ſaltem dimidia, vel etiam, ſi flores optimi ac fragrantiſſimi ſunt, drachmæ ſex ex

centum

centum libris deſtillando elici poſſunt, ſingularis plane naturæ eſt. Poſt deſtillationem quippe aquæ ſub forma ſquamularum ſeu cruſtularum gryſeo-albicantium innatat, et olei fluidi flaveſcentis habitum poſtea demum conſequitur, quando ſquamulæ memoratæ provide aufferuntur, et, in vitro collectæ, blando calore colliquantur: In loco frigidiuſculo tamen fluiditas hæc non adeo diu perdurat, ſed oleum intra breve tempus in maſſam ſtabilem, albam, butyro aut ſevo haud diſſimilem, coagulatur; hinc vitrum quoque ſemper in locum calidum transferendum, vel aliquamdiu in manu calida detinendum eſt, quoties oleo priſtinam fluiditatem priſtinumque colorem ſubflavum reddere placet. Suaviſſimum cæteroquin odorem diffundit, et unica guttula, calore in vapores reſoluta, integrum conclave grato roſarum odore replere valet. Subſtantia fixa gummea poſt inſpiſſationem nigricans eſt, ſplendens, odoris debilis ſpecifici, ſaporis ex ſalſo, amaricante, et balſamico auſteri. Portio magis reſinoſa, ſpiritu vini rectificatiſſimo primum extracta, colore flavo-brunneo, ad rubrum inclinante, et fortiori adhuc ſapore auſtero, cui moderata amarities mixta, pollet. Tinctura liquida parum in principio olet, ſub evaporatione autem, et ultimo inprimis ejus actu, ſingularem odo-

rem nauſeoſum, ferme inſtar aloes hepaticæ, emittit.

§. VI.

Circa operandi modum ac vires apud flores tunicæ atque roſarum magna analogia obſervatur. Leniter nempe diſcutiunt, abſtergunt, adſtringunt, ac roborant; virtus *abſtergens* tamen, *et adſtrictoria*, quibus leniſſima *cathartica* jungenda erit, multo fortior in roſarum, quam tunicæ floribus, deprehenditur. De viribus ſpecialibus, variisque morbis, quibus ſpecifice medentur, multa addere ſuperſedeo, quoniam in hoc paſſu pæoniæ floribus valde reſpondent. Dantur ſæpiſſime ſyrupi eorum atque conſervæ, optime tamen ipſi flores vino, aut aceto infunduntur. Cum roſis rubris ROSÆ ALBÆ maximam partem conveniunt, et paullo fortiori ſaltem virtute laxante inſtructæ dicuntur.

CAPVT

CAPVT XVI.

DE

FLORIBVS CALCATRIPPÆ ARVENSIS, BORRAGINIS ATQVE CYANI SYLVESTRIS.

§. I.

FLORES CALCATRIPPÆ OFF., ſive *Conſolidæ Regalis* C. B., Ritterſpornblumen, coerulei ſunt, ſaporis amaricantis, odoris, paullulum inprimis contriti, ſatis grati balſamici. Planta in arvis inter ſegetes ſponte creſcit, hinc a TOVRNEFORTIO etiam *Delphinium ſegetum* nuncupatur.

§. II.

Principia eorum activa, præſertim *fixa gummeo-reſinoſa*, potentiora ſunt, quam vulgo creduntur. Confirmant adſertum examina chemica: Extractum quippe aquoſum fuſco-nigricans odorem ſuavem, inſtar panis melliti, ſpirat, et ſaporem mucilagineo-amarum obtinet. Idem odor cum ſapore balſamico-amaro etiam in violaceo-nigricante extracto ſpirituoſo primo ſentitur: Hoc tamen, quod, florum uncia recepta, circiter drachmam unam et ſcrupulos duos pendet, magis roborans, illud vero, cujus pondus, ſuppo-

ſuppoſita æquali florum quantitate, ultra drachmas tres adſcendit, magis abſtergens eſt. Infuſa liquida parum diſcrepant; notatu nihilominus dignum eſt, neque aqueum, neque ſpirituoſum menſtruum coeruleo colore tingi, ſed prius ſubrubro-fuſcum, poſterius flavo-virideſcens eſſe.

§. III.

Vires medicæ, quæ floribus hiſce jure tribui poſſunt, *reſolventes* ſunt, *abſtergentes*, *leniter diſcutientes*, *roborantes*, et *diureticæ*; hinc effectum quoque non contemnendum ab uſu eorum interno, præſertim ſi cum aqua aut vino coquantur, aut, quod præſtare arbitror, ſolummodo infundantur, in obſtructione viſcerum, cachexia icteritia, ſanguine congrumato, ulceribus, vulneribus, nephritide pituitoſa, et ipſo calculo etc. ſperare licet. Externe decoctis travmaticis adduntur, et contuſi quoque, ac debite cum melle in emplaſtrum redacti, multum ad curandas ſugillationes valent.

§. IV.

FLORES CYANI SEGETVM C. B. Kornblumen, eundem, quem Calcatrippæ flores, locum natalem habent, et varii, nimirum coerulei, albi, purpurei etc., coloris ſunt; coerulei tamen plerumque eliguntur, et reliquis ſpeciebus, quamquam absque ſolida ratio-

ratione, præſtantiores judicantur: Facile enim apud flores hoſce coloris mutatio contingit, et in eodem loco, quo anno præterito coerulei fuerunt, anno ſequenti purpurei conſpiciuntur, et vice verſa. Odore gaudent valde debili, et ſapor quoque nullam ſingularem conſiderationem meretur.

§. V.

Principii volatilis nulla, me ſentiente, ratio habenda, ſed vires exiguæ, quibus inſtructi ſunt, unice in ſubſtantia fixa gummeo-reſinoſa latent. Extractum aquoſum primum colorem rubro-fuſcum, ad nigrum inclinantem, odorem debilem, ingratè balſamicum, et ſaporem ſalſum refrigerantem, nitroſo analogum, ac ſimul auſteriuſculum obtinet. Maſſa magis reſinoſa, ſpiritu vini primum extracta, et inſpiſſata, odoris purpurei eſt, odoris debilis quidem, aſt ſatis grati balſamici, ſaporis in principio ſubdulcis, poſtea ſubſalſi et auſteriuſculi. Utriusque extracti quantitas longe parcior eſt, quam apud calcatrippæ flores, gummoſum tamen reſinoſum pondere ſuperat, et binas ferme drachmas æquat. Infuſa, quod itidem addere placet, nunquam amoeniſſimum colorem coeruleum, ſed aquoſum ex flaveſcente et rubello ſubfuſcum, ſpirituoſum vero ſubrubro-flaveſcentem, nanciſcuntur.

§. VI.

Præter *blandas vires abſtergentes*, *refrigerantes*, *ſubadſtringentes*, et *diureticas* floribus hiſce vix alias notatu dignas adſcribere audeo, et juſte igitur dubito, an infuſum eorum aquoſum et vinoſum, quod ſcriptores paſſim tamen referunt, contra icterum, hydropem, calculum, obſtructionem menſium, ſcabiem, ſanguinem congrumatum, ac morbos ſimiles, qui potentiora omnino remedia ad ſui curationem poſtulant, multum valeat. Non nego quidem, remedium hoc aliquid ad profligandas ægritudines memoratas conferre poſſe, nego tamen, effectum ejus, ſi ſolum adhibeatur, conſideratione dignum fore. Externe recentes contuſi partibus ſugillatis imponuntur, et aqua deſtillata, quæ pauciſſimis ſaltem ac vix ſenſibilibus particulis balſamicis imprægnata eſt, communiſſimum collyriorum refrigerantium ingrediens conſtituit.

§. VII.

Cyani floribus indole atque virtute FLORES BORRAGINIS HORTENSIS, tam *albi*, quam *coerulei*, quodammodo reſpondent; quare prolixiorem hoc loco eorum deſcriptionem ſubjungere, ſupervacaneum duco. Tædet quoque de virtute cardiaca, quam plerique in floribus hiſce, præſertim coeruleis, plane eximiam judicant, multa addere,

addere, quoniam imaginaria eſt, nullumque in principiis naturalibus, quæ ſaltem ſubdulcia, ac ſatis inertia ſunt, fundamentum invenit. Uſurpantur plerumque conſerva et ſyrupus, vel ipſi flores in infuſo, cum vino, aut aceto parando, præſcribuntur. Aqua deſtillata, licet magnam pariter famam adepta ſit, nulla corpuſcula activa continet, et vix, aut ne vix, ab aqua ſimplici pura differt.

CAPVT XVII.

DE VISCO.

§. I.

Viscvs ſive *Viſcum*, Miſpel, oder Miſtel, eſt ſingularis planta paraſitica fruticoſa, ac ſemper virens, quæ hinc inde, maxime autem in *Moravia*, *Bohemia*, *Auſtria*, *Pruſſia*, *Weſtphalia*, *Saxonia*, et *Thuringia*, ramis *quercuum annoſiorum*, nec minus *tiliarum*, *corylorum*, *malorum* ac *pyrorum ſylveſtrium* innaſcitur, ſuumque alimentum partim ex aere, partim ex arbore, cui quaſi inſita eſt, haurit. Rami inferiores ſive caudices digiti plerumque craſſitie ſunt, duri, lignoſi, compacti, colore foris gryſeo-fuſco, aut gryſeo-nigri-

nigricante, vel fuſco-rubente, intus ex albido flaveſcente. In ramis ſuperioribus ac lateralibus craſſities cum textura lignoſa magis magisque decreſcit, et corticis color in mere flavum, vel alibi etiam in flavo-viridiuſculum, aut flavo-ferrugineum dilutiorem mutatur. Folia ſunt bina oppoſita, oblonga, venoſa, dura, coloris flavo-ſubviridis, flores vero, quibus tandem baccæ ſubrotundæ, molles, albæ, aut ſubflavo-albicantes, materia glutinoſa plenæ, planumque ac cordiforme ſemen includentes, ſuccedunt, monopetali deprehenduntur, pelviformes, quadrifidi, et verrucis, tanquam apicibus pulverem effundentibus, conſperſi. Odore et ſapore evidenti rami, ac folia penitus deſtituuntur, et ipſæ quoque baccæ, e quibus notiſſimum *Viſcum* excoquitur, inertem ſolummodo ſaporem mucilagineum obtinent.

§. II.

Propagari hæc planta vulgo creditur, quando turdi, palumbæ, et aves aliæ, quæ baccarum eſu delectantur, ſemina, pulpa concocta, per alvum cum excrementis reddunt, et illa fortuito in rimas corticis arborum memoratarum, ampliores tamen, et ſemicorrupta materia lignoſo-terrea, in qua planta primas agere queat radices, plus minusve repletas, delabuntur. Hic propagandi modus, quem PLINIVS dudum deſcripſit

ſit *(a)*, exiſtit quidem veriſſimus, non unicus tamen cenſeri debet, poſtquam Botanici et alii viri curioſi annotarunt, quod baccæ etiam integræ, in avium ventriculis nondum concoctæ, ſi ventorum impetu in alias arbores transferantur, vel ab ipſis hominibus per modum inoculationis in corticis fiſſuras immittantur, novam plantam generare ſoleant.

§. III.

Viſcus quercinus, frigido inprimis ac ſicco tempore hyemali, quo maxime viget, decerptus, ac probe exſiccatus, ſpeciebus reliquis ordinario præſtantior judicatur: An ſufficiens autem differentiæ atque prærogativæ fundamentum adſit, juſte dubito. Hoc vero, examinibus edoctus, certius ſcio, caudices craſſiores magis lignoſos, et ramos teneriores ac folia diſcriminis quidquam intercedere. Referam primo, quid apud ramos craſſiores ſive caudices viſci quercini, quem ſolum exactiori ſcrutinio chemico ſubjeci, obſervaverim: Infuſum aquoſum primum colore erat ſubfuſco-rubeſcente, odore nauſeoſo, molli, nonnihil quaſi balſamico, ſapore ſatis inerti, et ſpecifice ingrato. Blande inſpiſſatum maſſam largiebatur pariter ſubfuſco-rubeſcentem, quæ debili ſuo odore pruna, toſtione exſiccata, paullulum æmulabatur, et ſaporem ſalſum, amaricante et ſubadſtrin-

(a) Hiſt. Nat. Lib. XVI. cap. 44. p. m. 339.

adſtringente leniſſime ſaltem remixtum, linguæ imprimebat. Tinctura ſpirituoſa prima, ſaturate flava, ſolum fere menſtruum redolebat, ac debilem ſaporem balſamico-auſteriuſculum poſſidebat. Sub evaporatione ſingularem et quaſi molliuſculum, ut ita loquar, odorem balſamicum emittebat, qui poſtea quoque in ipſo extracto, cum aliquo tamen decremento, perdurabat. Color extracti flavo-rubeſcens erat, ſapor vero ſatis auſterus, ſimulque, peculiari prorſus modo, nauſeoſus. Quum, hiſce peractis, ramulos teneriores, una cum foliis, ad ſimilia vocarem examina, ſequentia annotare licuit: Infuſum aquoſum primum brunneo-rubeſcens, et ſub effuſione ſolummodo aureum, debili odore nauſeoſo, et ſapore amaricante pollebat. Extractum inſpiſſatum cum infuſo maximam partem conveniebat, præterquam, quod color ſaturate fuſcus, et ſapori amaricanti ſalſedo quædam admixta eſſet. Tinctura ſpirituoſa prima, colore ſubviridi-flavo, ad fuſcum inclinante, donata, ſapore et odore ſolum ferme menſtruum prodebat, ac perparum duntaxat balſamici ſentiebatur; abſoluta autem evaporatione, maſſa remanebat ſubviridi-nigricans, odoris ingrate balſamici, ſaporis amari, atque leniſſime in receſſu adſtringentis. Uncia viſci una mihi drachmas duas et grana octo extracti aquo-

ſi

ſi primi, et drachmam unam ac duos ferme ſcrupulos extracti ſpirituoſi primi dedit.

§. IV.

Quando folia, et rami, tam craſſiores, quam tenuiores, deſtillationi humidæ committuntur, nullum prorſus olei eſſentialis veſtigium cernitur, ſed aqua prolecta nauſeoſum ſolummodo odorem ſpirat: Sin deſtillatio autem, citra aquæ additionem, in retorta, arenæ impoſita, igne tamen moderato adhibito, ſenſimque aucto, inſtituitur, liquor acidulus, quem aliqua olei empyrevmatici portio ſequitur, prodit. Monendum tamen, caudices craſſiores majorem, quam ramos tenuiores ac folia, laudati acidi liquoris quantitatem reddere. Cognoſcimus ex hiſce et præcedentibus examinibus, viſcum quercinum, præter pauciſſimas atque tenerrimas particulas balſamicas, nullas amplius volatiles activas, blando ſcilicet, humidoque calore expellendas, in naturali mixtione continere, ſed agendi juvandique rationem præcipue ad abſtergentia, roborantia, ac plus minusve adſtringentia principia fixa gummeo-reſinoſa, in ramis craſſioribus ſalſo-amaricantia atque auſtera, in tenuioribus vero et foliis ſalſo-auſteriuſculo-amara, redundare, ita tamen, ut principium reſinoſum activitate multum gummeo præpolleat.

§. V.

§. V.

Dominus DIETERICVS WESSEL LINDEN viſcum ex acido mucilaginoſo, partibus terreſtribus largius remixto, potiſſimam partem componi ſtatuit, indeque unice etiam virtutem ejus derivandam eſſe, arbitratur (*a*), immo alio loco (*b*) oleum eſſentiale inter principia conſtitutiva collocat, idemque, obſervata certa encheireſi, præmiſſa nempe paullo protractiori viſci maceratione in aqua ſalſa, ſub olei ordinarii forma ac conſiſtentia, exigua licet quantitate, elici poſſe, teſtatur. Primum adſertum ſimpliciter nego, et de poſterioris quoque veritate valde adhuc dubito. Nam mucilago craſſa copioſiſſime quidem in baccis adeſt, in foliis ac ramis autem (intelligo hic mucilaginem proprie talem) demonſtrari nequit, et acidæ quoque particulæ, ſub deſtillatione ſicca prodeuntes, blando calore humido, qualis in animantium ventriculo reperitur, a fixa ſubſtantia gummeo-reſinoſa nunquam penitus ſeparantur, dum altius illi immerſæ, intimiusque involutæ hærent, immo, quoad maximam ſui quantitatem, ad formandam ipſius reſinæ mixtionem concurrunt. Olei eſſentialis denique præſentia ideo maxime mihi videtur dubia, quod ne minimum olei ſubſtantialis veſti-

(*a*) In den Anmerckungen über des Doct. Joh. Colbatch Miſtel-Diſſertation p. 152.
(*b*) p. 201.

veſtigium ſub deſtillatione humida, quam ſemel cum duabus viſci unciis ſuſcepi, animadvertere potui.

§. VI.

Antiquiſſimis pridem temporibus fruticoſa hæc planta, ob divinas, uti credebant, ac plane eximias virtutes, a Druidis *(a)*, medi-

(a) „Non eſt omittenda, PLINIVS *l. c. ſcribit*, in ea „re et Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita ſuos appellant Magos) viſco, et arbore, „in qua gignantur, (ſi modo ſit robur) ſacratius. „Jam per ſe eligunt roborum lucos: nec ulla ſa„cra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati „quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ „videri. Enimvero quicquid adnaſcatur illis, e „coelo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab „ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admo„dum inventu, et repertum magna religione pe„titur: et ante omnia ſexta luna, quæ principia „menſium annorumque his facit, et ſeculi poſt „triceſimum annum, quia jam virium abunde ha„bet, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem ap„pellantes ſuo vocabulo, ſacrificiis epuliſque rite „ſub arbore præparatis, duos admovent candidi „coloris tauros, quorum cornua tunc primum „vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus ar„borem ſcandit. Falce aurea demetit. Candi„do id excipitur ſago. Tum deinde victimas „immolant, precantes, ut ſuum donum Deus „proſperum faciat his, quibus dederit. Foecun„ditatem eo poto dari, cuicunque animali ſterili „arbitrantur, contraque venena omnia eſſe re„medio: Tanta gentium in rebus frivolis ple„rumque religio eſt etc.

medicis, aliiſque maximi æſtimata fuit, et fama ejus per multa ſecula conſtanter perduravit, donec recentiori demum ævo paſſim elangueſcere coeperit. Fateor, me ipſum ante aliquot annos viſcum, cum ſingulas ejus partes fere inſipidas et inodoras deprehenderem, vix amplius inter medicamenta activa collocaſſe: Verum, poſtquam *Dominus* COLBATCHIVS ſingularem ejus virtutem *antepilepticam* in *Diſſertatione allegata*, quam laudatus LINDENIVS ex Anglica lingua in Germanicam tranſtulit, novis exemplis practicis corroborare anniſus eſt, iisdemque meam attentionem rurſus excitavit, exactius naturam illius, ope deſtillationis et extractionis, exploravi, et ab eo tempore de viribus, quae ipſi in torminibus infantum, aſthmate convulſivo, chorea S. Viti, epilepſia, ceteriſque convulſionibus tribuuntur, honorifice iterum ſentire coactus ſum. Recipitur inter pulveres, bolos, et electuaria, ac commode pariter in decocto aquoſo, et infuſo vinoſo propinatur. Infantibus, pro ætatis diverſitate, a ſcrupulo uno ad drachmam ſemiſſem, adultis vero a ſcrupulo uno ad drachmam integram et ultra præſcribitur. Quo effectus quoque certior ſit atque præſtantior, alia atque alia adpropriata, aſa foetida v. g. galbanum, radix pæoniæ, coccionella, grana chermes etc. eidem adduntur, et uſui præterea plerumque laxantia ac venæſectio, niſi ætas

ætas tenella obſtet, ad primas vias craſſiori ſaburra repurgandas, ſanguinisque abundantiam minuendam, præmittuntur.

* *

CAPVT XVIII.

DE CORTICE PERVVIANO.

§. I.

CORTEX PERVVIANVS, Peruvianiſche Fieber-Rinde, alias etiam *China China*, *China de China*, *Kina Kina*, *Quinquina*, *Quina Quina*, itemque *Cortex febrifugus*, *Antiquartius*, *Jeſuiticus*, *Caſcarilla de Oja*, *Pulvis* (a) *de Colentura*, et *Colenturas*, *Pulvis Comitiſſæ*, *Pulvis Cardinalis de Lugo* etc. dictus, corticem ſiſtit aridum, mediocris craſſitiei, foris ſcabrum, nonnihil caneſcentem, nec raro muſco hinc inde obductum, intus, cinnamomi inſtar, ex flavo et rubello ſubfuſcum, ſeu ferrugineum, odoris debilis mucido-aromatici, ſaporis amari ac modice auſteri adſtringentis.

§. II.

(a) In principio poſſeſſores maximo pretio hunc corticem deſiderantibus vendebant, et quo naturam ejus et originem eo melius celarent, ordinario in pulverem redigebant; hinc factum eſt, ut tunc temporis magis *pulveris*, quam *corticis* nomen obtinuerit.

§. II.

Arbor, quæ celebri hoc cortice obducitur, vulgo *Gannaperis* et *Gannaperide* audit, et maxime in *Regno Peruviano* prope *Loxam*, *Provinciæ Quitenſis* oppidum, naſcitur. Loca amat montana, nec adeo procera eſt, ſed, in ramulos inſigniter divaricata, ad pruni circiter altitudinem excreſcit. Caudex mediocris eſt, et folia, quæ ramos veſtiunt, ſecundum STEPHANI FRANCISCI GODOFREDI deſcriptionem *(a)*, ex *Actis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis* depromtam, ſimplicia ſunt, oppoſita, ovato-oblonga, anterius cuſpidata, integerrima, petiolata, tres uncias longa, duas lata, ſat craſſa, coſta per mediam longitudinem excurrente, ex qua nervi laterales ad oras ſucceſſive obliquant. Extremis ramis e ſummo arboris prodeuntibus unus vel plures innaſcuntur florum faſciculi, figura et colore cæruleo-cinereo, antequam aperiantur, Lavandulæ floribus nonnihil ſimilium. Communis florum pedunculus ex alis foliorum emergit, et in plures pedunculos minores divaricatur, ſinguli ſingulum florem gerentes, perianthio donatum minimo, quinquedentato, perſiſtente, et embryoni inſidente, Corolla monopetala eſt, regularis, infundibuliformis, Hyncinthi flori aliquatenus ſimilis magnitudine et figura, tubo oblongo (9. circiter lineas,)

(a) L. c. T. II.

neas), limbo patulo, quinque et aliquando ſexfido, laciniis acutis, margine attentius inſpicienti leviter ſerratis. Corolla intus colore eſt miniato, circa medium vividiori, ad oras pallidiori, extus vero rubore ſqualido cum lanugine albicante. Stamina quinque pallide lutea intra corollam recondita ſtylum circumdant albidum, filiformem, ſtigmate ſimplici, viridi et oblongo inſtructum, embryoni inſidentem, tubum non excedentem. Embryo autem abit in capſulam olivæformem, ab apice ad baſim dehiſcentem in duo loculamenta, ſepto intermedio diſtincta, in quibus ſemina continentur parva, compreſſa, margine cincta membranaceo pellucido. Capſula vi elaſtica rumpi ſolet, et ſemina ſpargere. Valvæ areſcendo breviores fiunt, et latiores. etc.

§. III.

Pro loci natalis diverſitate corticis bonitas differt: Optimus judicatur ab arboribus detractus, in declivi ac media montium parte naſcentibus, deterior vero, qui ab arboribus, in montium cacumine adoleſcentibus, deglubitur, et viliſſimus denique, quem arbores, in locis humilioribus circa radices montium creſcentes, largiuntur. Intuitu proprietatum ſenſibilium vero melioris notæ cenſetur, qui rufeſcens eſt, vel rubens, ſeu colorem cinnamomi viſui referens, ſapore

 aroma-

aromatice amaro nec ingrato, odore quaſi mucido, dentibus attritus friabilis, non viſcidus et glutinoſus, non ligneus, non effoetus et annoſus, non inſipidus, nec adulteratus quocunque alio cortice, ſucco aloes intincto. *(a)*

§. IV.

Gentiles Americæ Peruvianæ incolæ medicamentum hoc, quod diu pridem ante CHRISTOPHORI COLVMBI adventum contra febres, aliosque morbos adhibuerant frequentiſſime, olim ex ingenti erga Hiſpanos odio ſtudioſiſſime celabant; hinc prima quoque ejus notitia demum circa annum milleſimum ſexcenteſimum et quadrageſimum ad Europæos pervenit, poſteaque fama ejus, præſertim anno 1649. et 1650. magis magisque percrebuit. Quomodo autem magnum hoc febrifugum primo Hiſpanis, cæterisque poſtmodum Europæis patefactum fuerit, fuſius RICHARDVS MORTONVS retulit *(b)*: „Nimirum forte fortuito, ſic ejus verba ſonant, in civitate *Limenſi*, quæ eſt Metropolis Regni *Peruviani*, Uxor *Proregis*, qui „tum temporis erat *Comes del Cinchon*, Febre tertiana ſæviſſima (qualis illic loci Epidemia eſſe ſolet) correpta funeſte decumbere videbatur. Rumor (ut ſemper de magnati-

(*a*) Conf. Geoffroy L. c.
(*b*) In Oper. T. II. p. 68.

„gnatibus) per urbem divulgatus tandem „per finitima loca ad *Loxam* usque pervenit. Hiſpanus, illius loci tunc temporis „præfectus, per literas *Proregem* monebat, „in Arcanis ſibi eſſe remedium, cujus auxilio „Proreginam illico revalituram ſpondebat: „Lubentiſſime annuens Proregina, Corticem „præparatum ſumpſit. Quid fit? Stupentibus omnibus, dicto citius convaluit. Hinc „fama hujus Arcani, titulo *Pulveris Comitiſſæ* „inſigniti, ubique per civitatem *Limenſem*, „totamque Americam, Hiſpanicæ ditioni „ſubjectam, brevi, multum inclaruit. Diſcedente autem *Prorege* ex *India*, ubi in Hiſpaniam reverſus eſt, illico percrebuit ubique rumor de novo hoc *febrifugo*, quod „poſt experimenta frequenter facta, votis „ægrorum ſemper, et ubique reſpondebat. „Circa annum ſalutis 1649. famam ſuam in „dies magis, magisque provexit, non tantum per *Hiſpaniam*, verum etiam *Italiam*, „*Romam* usque, conatibus imprimis *Johannis Cardinalis de Lugo Soc. Jeſu*, et ceterorum *Collegii Jeſuitarum Romæ* Patrum, qui „eum gratis religioſis et pauperibus largiebantur. etc.

§. V.

Præter copioſas *partes terreas*, et valde activam *ſubſtantiam fixam gummoſo-reſinoſam*, nullum amplius principium, conſideratione

 dignum,

dignum, analyſi chemica in cortice Peruviano detegitur. Mucido-aromaticus quidem odor, præſertim tritura accedente, partium quoque volatilium præſentiam prodit; aſt hæ ipſæ pauciſſimæ, valde debiles, et nullius itaque ſub virium explicatione momenti ſunt. Oleum eſſentiale prorſus deficit: Nam quicquid igne ſicco ac violento expellitur, non eſſentiale, ſed empyrevmaticum eſt, et ex deſtructa demum ſubſtantia fixa reſinoſa, interveniente inſigni partium metamorphoſi, producitur. Libra corticis integra, obſervante NEVMANNO *(a)*, binas ſolummodo drachmas hujus olei, et tres circiter uncias liquidi ſpirituoſi aqueo-aciduli fundit. Caput mortuum, ſi ulterius in vaſe aperto calcinatur, et aqua poſtmodum elixiviatur, vix drachmam unam, immo ſæpius duos duntaxat ſcrupulos ſalis fixi alcalici ſuppeditat.

§. VI.

Subſtantia fixa reſinoſa intime arctiſſimeque cum ſubſtantia gummea cohæret; hinc neutra extractionis ope perfecte pura obtinetur, ſed reſinoſæ ſemper moleculæ gummoſæ, et gummeæ particulæ reſinoſæ mixtæ inveniuntur. Infuſum aquoſum primum aurantii coloris eſt, odoris debilis et quodammodo nauſeoſi, ſaporis amari et ſubadſtringentis. Poſt blandam evaporationem extractum

(a) L. c. p. 813.

tractum largitur flavo-fuſcum, odore ferme deſtitutum, majori autem amaritie, quam ſolutio liquida, præditum. Tinctura ſpirituoſa prima colore ſubfuſco-rubente, ſapore auſtero-amaricante, odore autem nullo evidenti gaudet. Huic inſpiſſata maſſa rubrofuſca indole maximam quidem partem reſpondet, linguæ tamen longe fortiorem ſaporem ſtypticum auſterum, naribusque debilem iterum odorem nauſeoſo-balſamicum imprimit. *Clariſſ.* PHILIPP. ADOLPH. BÖHMERVS ex uncia corticis una duas ferme drachmas extracti aquoſi primi, et drachmam unam extracti ſpirituoſi primi ſeſe impetraſſe perhibet *(a)*: Aſt tantam extracti utriusque, præſertim gummoſi, quantitatem neque NEVMANNVS accepit, neque ipſe, licet examina bis ſuſceperim, colligere potui. Ille etenim ex indicata corticis quantitate ſolummodo grana triginta octo cum dimido *extracti ſpirituoſi primi*, grana viginti duo cum dimidio *aquoſi ſecundi*, drachmam dimidiam et grana duo cum ſemiſſe *aquoſi primi*, et grana viginti duo cum dimidio *ſpirituoſi ſecundi* obtinuit, ego autem ſcrupulos duos ac grana duodecim extracti ſpirituoſi primi, et grana triginta ſeptem aquoſi primi impetravi. Notabilis hæc quantitatum diſcrepantia ſine dubio a diverſa corticis bonitate, et adhuc magis a differenti proceden-

(a) In Diſſ. de Cort. Caſcarillæ p. 30.

cedendi modo dependet. Nam laudatus BÖHMERVS corticem, cum primum aqua infunderet, non tantum digeſtioni, ſed etiam ipſi coctioni ſubjecit, adeoque ſubſtantiam gummoſam ac reſinoſam uno actu extraxit; unde minime mirandum, quod drachmas duas extracti aquoſi primi ex una corticis uncia acceperit.

§. VII.

Diſcimus ex inſtitutis examinibus, 1) partem reſinoſam majori quantitate, quam gummoſam, naturalem corticis Peruviani mixtionem ingredi, et hanc magis amari, illam vero magis ſtyptici auſteri ſaporis rationem in ſe continere, 2) ſubſtantiam gummeam præcipue abſtergendo ac mitius roborando, reſinoſam autem validius adſtringendo in corpore operari, et priori itaque in genere potentiorem exiſtere, et 3) decantatiſſimam virtutem corticis febrifugam non ignoto quodam fundamento, uti multi opinantur *(a)*, ſed unice memo-

(a) Cæcos virium ſpecificarum æſtimatores mecum hoc loco nequaquam conſenſuros prævideo: Si ſola, interrogabunt, virtus Quinquinæ abſterſorio-adſtrictoria, ab amaro-auſtero principio derivanda, profligandis rebellibus febribus intermittentibus ſufficit, nec ſpecifica prorſus, nobis quoad operandi modum ignota, ſubeſt, cur alia amara ſimul auſtera ſimilem effectum heroicum in febribus edere nequeunt? Reſpondeo: Poſſunt omnino alia quoque auſtero-amara, et amaro-au-

memorata abſterſione, ac valida inprimis adſtrictione niti, immo reliquas quoque ejus vires ex eodem operandi modo explicandas eſſe.

§. VIII.

Multos hoc medicamentum patronos, multosque etiam oſores habet. Hi illud plerisque ægrotantibus, febre inprimis intermittente laborantibus, plerumque plus nocuiſſe, quam profuiſſe, nec raro, proxime aut remote, varios morbos, febre graviores, tumorem nempe et refractariam obſtructionem hepatis, lienis, meſenterii, uteri etc., hydropem, icterum, ſpasmum ventriculi diriſſimum, aſthma, phthiſin, vertiginem, apoplexiam, coecitatem etc. provocaſſe, perhibent: Illi ex adverſo idem ſummis extollunt laudibus, et febres, præſertim tertianas et quartanas, non tuto ſolum atque certiſſime fuga-

ſtera motus febriles æque feliciter, ac cortex Peruvianus, ſiſtere, dummodo juſto tempore, et majori, uti apud Quinquinam moris eſt, quantitate exhibeantur. Pulvis radicis tormentillæ v. g., cum extracto trifolii fibrini, centaurii minoris, aut alio amaro, obſervata tamen decenti ſub miſcela proportione, in formam pilularem redactus, parem virtutem febrifugam, quod ipſe aliquoties, et alii pariter experti ſunt, certiſſime exſerit, nec dubitandum eſt, quin plura hujus commatis, deſcripto modo in uſum vocata, idem præſtitura ſint.

fugare, ſed in multis quoque aliis ægritudinum ſpeciebus, hydrope v. g., ictero, dyſuria, vomitu cruento, hæmoptyſi, dyſenteria, diarrhoea, imbecillitate ventriculi, paſſione hypochondriaca, et hyſterica, adfectibus arthriticis et cachecticis, melancholia, ſcorbuto, ſudoribus colliquativis, gangræna, ſphacelo, etc. egregium perſæpe effectum monſtraſſe, multiplici obſervatione probare ſuſtinent. (*a*)

§. IX.

Sub tanto ſcriptorum diſſenſu circa virtutes dijudicandas medium tenere, mihi tutiſſimum videtur. Facile enim favor nimius, et odium nimium eo homines impellit, ut laudando aut vituperando, quod hic quoque a Medicis fieri, et factum fuiſſe arbitror, veritatis limites transgrediantur. Credo, immo expertus ſcio, corticem Peruvianum ſedandis motibus febrilibus, et curandis pariter aliis quibusdam morbis aptiſſimum eſſe; aſt ſcio etiam, eundem, præmature aut incongrue uſurpatum, maximum corpori detrimentum inferre, et ægrotantes in morbos, ſublato febrili truculentiores, præcipitare poſſe. Tota profecto juvandi ratio, uti antea pridem monui, ad abſterſionem et adſtrictionem redit, et rationalis itaque practicus facile perſpicere valet, quid exſpectandum

(*a*) Conf. Morton, L. c.

dum ſit, quando primis viis nondum expurgatis, vaſisque, meatibus, atque viſceribus adhuc obſtructis, vel mucida etiam ſaburra, (quod in intermittentibus epidemicis obſervamus), per univerſam ſanguinis ac lymphæ maſſam diffuſa, largiori et iterata doſi propinatur.

§. X.

Pro mea igitur ſententia ob nullam aliam rationem in uſum vocandus eſt, quam ut tonum primæ culinæ ac viſcerum, valde in vulgaribus febribus intermittentibus labefactatum, roborando ac conſtringendo reducat, adeoque, velocius reſtituta chymificationis et chylificationis integritate, prohibeat, quominus ſub quacunque alimentorum adſumtione protinus novæ cruditates, naturam poſtea, perenni quaſi adfluxu ſuo ad ſanguinem, ac priſtino inſequente ſtimulo, ad iterandos motus febriles conquaſſatorio-depuratorios incitantes, generentur. Medicorum multi vulgo quidem naturam ita tandem motibus febrilibus aſſueſcere, ut citra cauſſam denuo ſuſcitet, adeoque eos vi quoque cohibendos eſſe exiſtimant. Verum, qualem ſibi hic conceptum forment, non cognoſco: Si natura enim, ſecundum *Organicorum* dogmata, anima rationalis eſt, ridiculum ſane, immo abſurdum, foret, ſi in domicilio ſuo toties absque ullo fine ludere

quaſi,

quaſi, ac ſtato tempore fruſtaneum, moleſtum, et nocivum ſtrepitum febrilem concitare vellet; ſin natura vero, quod ſic dicti *Mechanici*, certiori fundamento nixi, ſtatuunt, in ſtructura corporis mechanica, ſeu artificioſiſſimo compoſitionis modo conſiſtit, multo adhuc minus video, quomodo motus febriles, poſt paroxyſmum plene planeque ceſſantes, citra cauſſam irritantem materialem, vel præviam aut præſentem patheticam, ſponte iterum oriri poſſint.

§. XI.

Præſcribitur hic cortex in pulvere, a ſcrupulo uno ad duos, immo drachmam integram, in decocto autem et infuſo vinoſo a drachma una ad duas. Sæpiſſime præterea cum adpropriatis in pilularum, boli et electuarii formam redigitur, vel ſola tinctura, aut extractum, vino paratum, exhibetur: Fateor nihilominus, mihi præ reliquis pulveris, electuarii, et infuſi vinoſi formam placere. Nonnulli apud infantes, aliosque, qui interne hoc medicamentum adſumere renuunt, decoctum inde aqua parare, idemque, prius tamen percolatum, vulgaris clyſteris inſtar, inteſtinis injicere ſuadent. Ad enema quodcunque ùtplurimum unciæ corticis quatuor vel quinque recipiuntur, et una vice adultis libra una, infantibus ſaltem dimidia, vel minor etiam quantitas decocti injicitur.

§. XII.

§. XII.

Quo uſus hujus medicamenti in febribus intermittentibus vulgaribus (in epidemicis enim, præſertim autumnalibus, illum prorſus improbo), ſecurior evadat, ſequentes cautelæ probe obſervandæ erunt:

1) Ante corticis uſum ſaburra febrilis, in prima culina ſtabulans, prævia tamen decenti præparatione, emetici, purgantis, aut laxantis ope, eliminanda, et viſcerum quoque obſtructiones, ſi adeſſe ſymptomata quædam monſtrant, reſerandæ ſunt.

2) Interdum, urgente videlicet plethora, corticis exhibitioni venæſectio præmittenda, et deficiens quoque excretionis alvinæ libertas reſtituenda eſt.

3) Nunquam brevi ante paroxyſmum, multo minus in ipſo paroxyſmo febrili, ſed diebus ſaltem intercalaribus, bis, ter, quaterque quovis die, exhibendus, et uſus tamdiu continuandus eſt, donec febris ceſſet, aut novæ forſan et ſingulares quædam circumſtantiæ, febre etiam nondum ſublata, inducias, aut plenariam abſtinentiam præcipiant.

4) Febre ceſſante, exhibitio per intervalla aliquoties adhuc repetenda, nullum vero per aliquot hebdomades catharticum, aut aliud evacuans, niſi urgente neceſſi-

ceſſitate, exhibendum, ne febris, quod alias ſæpe fieri ſolet, recurrat.

5) Diæta bona et nonnihil tenuis, non tantum ſub uſu, ſed aliquamdiu etiam poſt uſum corticis, præſcribenda, ne, conceſſa ingerendi libertate, eſculentorum copia aut qualitas craſſa novam ventriculo materiam ingeneret, et facilem itaque recidivæ occaſionem præbeat.

* *

CAPVT XIX.

DE LIGNO SANTALO RVBRO.

§. I.

LIGNVM SANTALVM RVBRVM OFF. grave eſt, compactum, inſipidum fere et inodorum, colore foris obſcure rubro, ad nigrum inclinante, intus rubro dilutiori, vel intenſe etiam rubro. Arbor, cujus meditullium eſt, in *Golconda* et *Coromandelia*, aliisque *Indiæ Orientalis* tractibus creſcit, et *Pantoga* nuncupatur. Flores papilionaceos, fructusque ſiliquoſos ferre traditur, quoad reliquum vero creſcendi modum ac formam adhuc parum nota eſt.

§. II.

Conſtat ex partibus *terreis*, *reſinoſis*, et *gum-*

gummeis. Partes terreæ maximam ponderis partem conſtituunt, et ſex ferme drachmas in una ligni uncia pondere ſuo æquant. Hiſce primum, tum quantitatis, tum virtutis intuitu, reſinoſæ, deinde gummeæ ſuccedunt. Ex uncia enim una circiter drachmæ duæ extracti primi ſpirituoſi, et totidem ſolummodo ſcrupuli aut drachma una extracti primi aquoſi colliguntur. Infuſum aquoſum colore quidem obſcure rubro tinctum cernitur, nullum tamen odorem, nullumque ſaporem ſingularem obtinet. Maſſa inſpiſſata rubronigricans itidem parum activa exiſtit, debilem tamen ſaporem ſalſo-ſubadſtringentem linguæ imprimit. Tinctura ſpirituoſa prima, quæ ſaturate pariter et obſcure rubro colore eſt, leniſſimam atque obtuſam adſtrictionem ſub deguſtatione excitat, et ejusdem quoque indolis extractum poſt evaporationem relinquit. GEOFFROY huic ligno *ſal eſſentiale acidum*, *oleum ſpiſſum*, aqua gravius, exiguam *ſalis volatilis* portionem, et multam *terram* tribuit *(a)*. Circa terræ copiam facile conſentio, reliqua vero principia, cum nullo prorſus modo in naturali mixtione demonſtrari poſſint, ſimpliciter nego. Confundit hic ligni ſantalini ſpecies, et lignum ſantalum rubrum minus recte cum Santalo citrino, quod longe alia principia activa fovet, eodem loco collocat.

§. III.

(a) In Mat. Med. T. II. p. 242.

§. III.

Scriptores rerum medicarum huic ligno utplurimum vires *refrigerantes*, et *adſtrictorias* tribuunt, et ejus itaque uſum in hectica, aliisque morbis, ad cohibendos ſudores colliquativos, refrenandumque humorum orgaſmum commendant. Sed neſcio ſane, an, præter virtutem *ſubadſtringentem*, ulla alia eidem competat, et cum hæc quoque non adeo magni momenti ſit, nihil omnino, vel valde parum ab interna ejus exhibitione in memoratis ſimilibusque adfectibus ſperandum eſſe credo. Præſcribitur in decocto, infuſo vinoſo, et ſubinde pariter, quanquam ſatis inepte, in pulvere, nec raro præterea ad tincturas colorandas adhibetur. Externe raſura, citra ullam tamen utilitatem, epithemata temperantia et anodyna, in febribus ardentibus fronti adplicanda, ingreditur.

* *

CAPVT XX.

DE SANGVINE DRACONIS ET SVCCO ACACIÆ.

§. I.

SANGVIS DRACONIS OFF., Drachenblut, eſt concretum reſinoſum, ſiccum, durum,

rum, friabile, ad ignem facile liqueſcens, inflammabile, obſcure rubrum, ſaporis et odoris nullius ſingularis. Variæ ejus venduntur ſpecies, quarum plurimæ vel ſpuriæ prorſus, vel valde tamen ignobiles ſunt; quare illa ſemper eligenda eſt, quæ, in pulverem trita, ſanguineam rubedinem oſtendit, nullasque, vel ſaltem pauciſſimas quisquilias continet: rejiciendæ vero, quæ contritæ bolum Armeniæ, aut lateres contuſos colore referunt.

§. II.

In variis regionibus, et ex diverſis quoque arboribus ſanguis Draconis colligitur; præ reliquis tamen quatuor ſequentes eundem foenerari dicuntur. Prima, in *inſulis Canarienſibus*, *Jamaica*, et *Madagaſcar* luxurians, a CLVSIO et C. BAVHINO *Draco arbor*, a COMMELINO *(a) Palma prunifera foliis Juccæ* ſivæ *Tuccæ* dicitur; Secunda, quæ in *Amboina*, aliisque Indiæ orientalis tractibus reperitur, KÆMPFFERO *(b) Arundo farcta*, ſeu *Palma conifera ſpinoſa*, aliis *Palma-pinus*, *Palma Amboinenſis*, Indis *Rottani Dſjerenang* audit: Tertia in inſula *Java* creſcit, et a COMMELINO *(c) Draco arbor ſiliquoſa, populi folio, Angſana, vel* Ang-

(*a*) In Hort. med. Amſtelodam.
(*b*) In Amoenit. exot. p. 552. 554.
(*c*) L. c.

Angſava Javanenſibus dicta, appellatur; et quarta denique, *Novæ Hiſpaniæ* incola, ab HERNANDEZIO *(a) Sanguinis arbor*, ab Americanis *Ezquahuitl* vocatur. *(b)*

§. III.

Medicamentum admodum debile eſt, nullasque vires, niſi *ſubadſtringentes* ac *leniter incraſſantes*, poſſidet. Quando per ſe in pulveris forma exhibetur, ad ſanguinem tranſire nequit, ſed actionem ſuam ſolummodo in prima culina exercere tenetur, quoniam ſolo ſpiritu vini, minime vero aqueis menſtruis, ſolvitur. Et inde etiam facile patet, quod virtus adſtrictoria et travmatica, quam illi, in ſubſtantia ſcilicet oblato, plerique in ulceribus viſcerum, gonorrhoea, hæmoptyſi, aliisque hæmorrhagiis tribuunt, prorſus imaginaria ſit. De tinctura paullo aliter ſentio, licet huic quoque non adeo ſingularis activitas adſcribenda veniat. Additur etiam pilulis et electuariis. Doſis a granis aliquot ad ſcrupulum unum, vel drachmam ſemiſſem adſcendit. Externe emplaſtra ſtyptica ac vulneraria, contra hernias, fracturas oſſium etc. uſurpanda, nec minus pulveres dentifricios, ſimilisque fere uſus electuaria ingreditur.

§. IV.

(a) In Plantarum, Animalium etc. Mexicanorum Hiſtoria.

(b) Plura de Arboribus hiſce videantur in Geoffroy Mat. med. T. II. p. 559. ſeq.

§. IV.

SVCCVS ACACIÆ OFF. ſive ACACIÆ VERÆ I. B. eſt inſpiſſata maſſa mere gummea, dura, compacta, in ore lenteſcens, colore foris fuſco aut nigricante, intus rufeſcente, aut ſubrufo-nigricante, ſapore primum ſubdulci, poſtea auſteriuſculo adſtringente, odore nullo. Ex *Ægypto* et *Arabia* adfertur, ibidemque ex ſiliquis immaturis *Acaciæ folio ſcorpioidis leguminoſæ* C. B. exprimitur. Spiritus vini illi nihil eripit, niſi pauciſſimas ſaltem particulas tingentes, in aqua vero, accedente blanda digeſtione, promta atque totalis ſolutio contingit. Militat inter medicamenta *incraſſantia* ac *modice adſtringentia*, et contra vomitum itaque, imbecillitatem ventriculi, profluvia alvina, diabetem, hæmorrhagias etc. ſubinde præſcribitur. Datur a granis aliquot ad ſcrupulos duos ſub forma varia, optime nihilominus inter pilulas et electuaria recipitur. Externe emplaſtrorum glutinantium ac conſolidantium ingredientia auget.

CAPVT XXI.

DE GRANIS CHERMES, ET COCCIONELLA.

§. I.

GRANA CHERMES ſive KERMES OFF., Kermes-oder Scharlach-Beeren, alias etiam *Grana infectoria*, *Grana tinctoria*, *Cocci baphicæ* etc. nuncupata, folliculi ſunt rotundi, membranacei, piſi magnitudine, læves, ſplendentes, minutiſſimis atque rubentibus ovulis vel animalculis, ſenſim in vetuſtioribus in materiam pulverulentam degenerantibus, turgidi, coloris rubro-fuſci, odoris debilis non ingrati, ſaporis ſubacris, amaricantis, et in receſſu paullulum quoque adſtringentis.

§. II.

Adferuntur ex *Italia*, *Hiſpania*, *Luſitania*, et maxime ex *Gallia Narbonenſi*, ubi hinc inde, præſertim circa *Monſpelium*, *Nemauſum*, et *Avenionem*, uberior eorum proventus obſervatur. Foliis et ſurculis tenerioribus pumilæ cujusdam arbuſculæ ſive fruticis, quem C. BAVHINVS *Ilicem aculeatam cocciglandiferam*, alii *ilicem cocciferam*, *coccigeram*, *aquifoliam*, appellant, adnata cernuntur, non fructus tamen ilicis ſunt, neque natu-

naturales aut præternaturales excreſcentiæ, ſed ſingularia potius animalcula, quæ firmiter adhærent, et, prævia notabili formæ mutatione, ovulisque depoſitis, tandem moriuntur, et exſiccantur (*a*). Collectio men-

 ſibus

(*a*) Placet prolixiorem animalculorum deſcriptionem ac paullatinæ accretionis rationem, quam GEOFFROY ex *Dn. de* REAVMVR *Hiſtoria inſectorum* deſumſit, et in *Materia Medica T. II. p. 783.* communicavit, hoc loco ſubnectere: „Sagaciſſimus, inquit, naturæ arcanorum ſcrutator D. „De Reaumur, quo diligentiorem accuratiorem„ve reperire eſt neminem, detexit tandem Coc„cum infectorium inſecti quoddam eſſe genus il„lorum ex familia, quæ Gallo-inſecta (vulgo „Gall-inſectes) ipſi dicuntur. In hujus Cocci ac„cremento tria cum Emerico Aquiſextienſi Me„dico (*a*) tempora diſtinguit. Ineunte Martio, „animalculum quoddam ſemine Milii minus, „Millepedarum forma oblongo-ovata, verſus „caudam paullo acutiore parte, ſupina conve„xum, rubrum, punctulis plurimis aureis mican„tibus inſignitum, et rugis aliquot transverſis „diſtinctum, ſex donatum pedibus, duabus an„tennis, facile mobilibus, et totius corporis lon„gitudinem fere æquantibus, oculis nigris, et du„plici cauda immobili ejusdem cum corpore lon„gitudinis, ilicis trunco, ramis et foliis adhæret, „ibique torpidum et immobile fit, et ſenſim in„tumeſcit. Si tunc temporis in ilice ope micro„ſcopii animalculi corpus obſervetur, dum intu„meſcit, coccineum apparet punctulis aureis ni„tens, tomento quodam involutum albicante,

(*a*) *Hiſtoire des Plantes qui naiſſent aux environs d'Aix, par M. Garidel.*

ſibus Majo et Junio, ante ſolis ortum, inſtituitur, annisque calidioribus largior longe, quam frigidioribus, deprehenditur. Poſtquam provide detracta ſunt, aceto conſperguntur, ne inhærentium animalculorum jactura fiat, poſteaque ſoli, ut ſicca evadant, aliquamdiu exponuntur.

§. III.

„quod in quibusdam dorſi locis, ſub ventre et „circa ventrem in floccos erigitur, ac nidi ſpe„ciem repræſentat. Dorſum in hæmiſphærium „multum intumeſcit rugoſum, et in anteriore „corporis parte capitis vice protuberantiæ tres „percipiuntur, media craſſior ſubrotunda, duæ „laterales exiliores, et verſus mediam incurva„tæ. Alterum accretionis tempus eſt circa men„ſem Aprilem; tunc animal prorſus mutatum „Piſi figuram et magnitudinem æquat. Ejus „membrana ſeu cutis firmior eſt, et tomentum, „quod initio faſciatim tantum in ejus cutim naſ„cebatur, totam grani ſuperficiem pulviſculi ad„inſtar tegit; tuncque non amplius animalcu„lum, ſed folliculus videtur ſanguine pallido et „ſeroſo repletus. Circa Maji medium vel fi„nem, tertium occurrit tempus, quo in interio„re folliculi parte ſub animalculi ventre tenuiſſi„ma reperiuntur granula ovata, ſeminibus Pa„paveris albi dimidio circiter minora, colore „pallide rubentia, et punctulis aureis diſtincta. „Conſtant ex membrana tenui, candida, pellu„cida, et liquore pallido rubente. Duo millia „circiter in ſingulis folliculis continentur. Prio„ris animalculi ovula ſunt, ex quibus excuſſis „prodeunt ejusdem generis animalcula prorſus „ſimilia, quæ per ilicis ramos ac folia vagantur, „donec Vere ſequenti ad trunci ramorumque di-

§. III.

Copioſam hæc grana, ac valde activam *ſubſtantiam fixam*, tam *reſinoſam*, quam *gummeam*, tenerrimis *particulis ſpirituoſis odoratis ſalino-inflammabilibus* prægnantem, in mixtione fovent; reſinoſa tamen virtute gummeam nonnihil ſuperat. Infuſum aquoſum primum, eleganti ac ſaturato colore rubro tinctum, odorem nauſeoſum et ſpecifice balſamicum emittit, ac ſatis amarum, paullulumque in receſſu adſtringentem ſaporem obtinet. Evaporatum maſſam relinquit inodoram, rubro-nigricantem, quæ infuſum amaritie et adſtringendi facultate ſuperat, ac duas circiter drachmas, totidemque ſcrupulos ex uncia una pendet. Tinctura ſpirituoſa prima, odore nauſeoſo, et balſamico-amaricante atque auſteriuſculo ſapore donata, ſeſe pulchra pariter rubedine commendat.

viſiones ſedem figant ſuos foetus editura. Dum „hoc animalculum ſeu Kermes ad debitam ma-„gnitudinem intumeſcit, tunc ventris cutis ſeu „corporis pars prona intus circa dorſum convel-„litur, et vacuum quoddam ſpatium inter ven-„trem et tomentum, cui inſidebat, relinquit: „ſicque Millepedæ ſemiconvolutæ ſimi is fit. „Hoc in ſpatio vacuo ovula ſua deponit: quo „facto animal moritur et exſiccatur. Excuſſis „ovulis, aliquandiu ſub matris cadavere deliteſ-„cunt; deinde in lucem prodeunt, pabulum in „foliis quæſitura, non rodendo, ut erucæ, ſed „illorum ſuccum proboſcide ſugendo, etc.

Odor ſpecificus ac plane ſingularis ſub evaporatione intenditur, et magis ſucceſſive magisque gratus balſamicus evadit, ita tamen, ut ſpecificum ſuum genium, quem verbis deſcribere nequeo, retineat. Inſpiſſata maſſa ſaturate rubra gratum odorem balſamicum, quaſi melleum, ſpirat, et balſamico-amaro, ſimulque auſtero fortius adſtringente ſapore pollet. Quantitate præcedenti extracto aquoſo primo parum cedit, duasque circiter drachmas atque ſemiſſem pondere attingit.

§. IV.

Elementum *ſalinum*, quod in mixtione hoſpitatur, duplicis generis eſt, alterum nempe *acidum*, alterum *urinoſum*. Hoc ſubſtantiam gummeam, ſive mucilagineam ingreditur, et animalis proſapiæ eſt, illud vero ad formandam ſubſtantiam reſinoſam concurrit, ſuamque originem e regno vegetabili ducit. Acidi præſentiam non tantum ſapor auſterus, ſed color quoque atramentoſus prodit, qui ſubito naſcitur, quando grana Kermes cum ſolutione vitrioli martis aquoſa coquuntur: urinoſi vero inhæſionem deſtillatio eorum ſicca manifeſtam reddit: Ex libra enim granorum recentium, uti GEOFFROY, experientia edoctus, l. c. p. 788. refert, præter phlegma copioſum, oleumque, primo citrinum atque fluidius, poſtea ſpiſſius, butyroſum, rufeſcens, magis empyreumati-

maticum, quæ nullas ſalis acidi notas præbent, drachmæ ſex ſalis concreti, ſive ſicci urinoſi prodeunt, ex maſſa relicta vero, ſeu capite mortuo nigro nihil prorſus ſalis fixi lixivioſi, vel, ſecundum MARSILII obſervationem, triginta circiter grana aqua extrahi poſſunt. Me quidem non latet, aliquam ſalis urinoſi partem ignis ſicci ac violenti progeniem eſſe, aſt totam ejus molem ſub deſtillatione demum generari, vero parum ſimile videtur. Corpora enim, quæ unice ex terra, oleo, et ſale acido componuntur, longe minorem ordinario ſalis ſicci urinoſi, noviter producti, quantitatem largiuntur, et in reliquis eductis aliqua acidi veſtigia plerumque ſuperſunt. Non credendum præterea eſt, laudatum ſal urinoſum quoad omnes particulas intimam arctiſſimamque cum terra et oleo unionem ſubire, ſed multum adhuc explicitum, et gummeo-reſinoſis moleculis ſolummodo interjectum eſſe, ſingularis infuſi et extracti, tam aquoſi, quam ſpirituoſi, odor urinoſo-balſamicus, nec minus ſtimulandi virtus probant.

§. V.

Partim abſtergendo, reſolvendo, et diſcutiendo, partim ſtimulando atque ſubadſtringendo hæc grana in corpore operantur, ſuumque ideo locum, quem hactenus inter *nervina, cephalica, cardiaca, ſtomachalia, diuretica*

retica et *aphrodiſiaca* occuparunt, egregie omnino tuentur. Uſus eorum ſpecialis ad varios morbos extendi poteſt, frequentius tamen contra melancholiam et epilepſiam idiopathicam, vertiginem, ſyncopen, palpitationem cordis, vomitum, cachexiam, obſtructionem urinæ, menſium, et lochiorum, vermes inteſtinales, etc., nec minus ad memoriam confortandam, et abortum præcavendum, ſub forma pulveris, a granis aliquot ad drachmam ſemiſſem, ſub forma infuſi vinoſi autem a drachma dimidia ad integram, exhibentur. Frequentiſſime etiam inter electuaria, bolos, pilulas, ſyrupos etc. recipiuntur. Ex recentibus, bene maturis, prævia contuſione in mortario marmoreo, ſuccus exprimitur, et defæcatus cum æquali vel tripla ſachari albi quantitate ad ſyrupi conſiſtentiam, mediante calore blando, vel citra eum, redigitur. Hic ipſo pulvere non gratior ſolum, ſed etiam præſtantior judicatur, quoniam minori ſtypticitate, quæ in folliculis membranaceis præcipue reſidet, inſtructus eſt, et volatilibus ex adverſo particulis urinoſo-balſamicis, præſertim ſi nullus ignis ſub inſpiſſatione, ſed ſimplex tantum miſcela acceſſerit, magis turget.

§. VI.

Cum Cocco infectoria majori COCCUS TINCTORIA MINOR AMERICANA, vulgo

go *Cochinilla, Cochenilla, Coccionella, Coccniglia* etc. appellata, ad eundem cenſum referri meretur. Aſportatur maxime ex *regno Mexicano* et *Peruano*, ubi in *Opuntiæ* foliis, quam SLOANE *Opuntiam maximam, folio oblongo rotundo, majore, ſpinulis obtuſis, mollibus et innocentibus obſito, flore ſtriis rubris variegato* (*a*), Americani autem *Tunam* et *Nopal* vocant, copioſiſſime colligitur: Non fructus tamen eſt, ſed ita deſcribente GEOFFROY (*b*), inſectum ovatum, piſi exigui craſſitie, viviparum, hexapodum, proboſcide inſtructum, qua ſuccum plantarum exſugendo alitur, cujus corpus ex annulis conflatum eſt, plantis, quibus paſcitur, immobile adhærens, ubi ſemel ſedem fixit, nulli mutationi obnoxium etc. Quando animalcula hæc, juſto tempore collecta, debite exſiccantur, non inſecta amplius, ſed grana irregularis figuræ, hic convexa, alibi compreſſa aut concava, ſtriis transverſis quaſi rugoſa, coloris intus ad purpureum inclinantis, foris atro-ruſi, aut leucophæo-cinerei, obſcure rubro paullulum permixti, odoris mucidi (ſchimmlicht), ſaporis mucido-acriuſculo-amaricantis et ſubadſtringentis, referunt; hinc etiam factum, ut quondam Phyſici, Medici, ac Pharmacopæi ea inter veros plantarum fructus collocaverint.

§. VII.

(*a*) Vid Hiſt. nat. Jamaicæ.
(*b*) In Mat. med. *T II.* p. 791.

§. VII.

Salivam hæc grana, tepidamque aquam ſimplicem atro-purpureo, ſpiritum vini ſaturate rubro amoeniſſimo colore tingunt; manifeſto documento, *mucilagineas* non minus, quam *reſinoſas* adeſſe moleculas, ita tamen invicem mixtas, ut menſtruo utroque potiſſimam partem extrahi queant. Uncia enim dimidia drachmas tres extracti aquoſi primi, et drachmas duas, ac quinquaginta circiter grana extracti ſpirituoſi primi largitur. Infuſum aquoſum, quod ſapore amaricante et leniſſime adſtringente eſt, ſitumque redolet, valde craſſum mucilagineum deprehenditur; hinc quoad aliquam ſolummodo partem chartam bibulam tranſit, reliquum vero per linteum blande exprimendum eſt. Maſſa inſpiſſata purpureo-nigricans rob ſambuci odore æmulatur, et mucilagineo-amaricantem ſaporem obtinet. Tinctura ſpirituoſa prima, colore ſaturate et elegantiſſime rubro, ad purpureum inclinante, et ſingulari ſapore ſubacri et balſamico-amaricante gaudet, odore autem ſolum fere vini ſpiritum prodit. Extractum inſpiſſatum ſanguinea rubedine tinctum cernitur, odorem ſingularem, eumque ingratum, balſamicum ſpirat, et balſamico-amarum ac modice adſtringentem ſaporem linguæ imprimit.

§. VIII.

§. VIII.

Commendantur contra eosdem fere morbos, in quibus grana Kermes prodeſſe dicta fuerunt; hiſce tamen virtute *ſtimulante* ſuperiora, *adſtrictoria* vero longe inferiora ſunt, quare urinæ quoque fluxum potentius cient, ſabulumque renum, atque veſicæ valide pellunt. Per ſe rariſſime, a granis aliquot ad ſcrupulum ſemiſſem, exhibentur, ſed aliis plerumque medicamentis, pulveribus v. g., electuariis, pilulis, infuſis vinoſis et aquoſis, modica quantitate adduntur. Apud gravidas, quibus, abortu imminente, grana Kermes, provide uſurpata, ob mediocrem virtutem adſtrictoriam, ſubinde auxilium ferunt, a coccionillæ uſu plane abſtinere decet, quoniam eminentior ſtimulandi virtus magis, quam apud grana Kermes, ſuſpecta eſt.

Ad hanc Sectionem etiam *Radix Petaſitis*, *Ariſtolochiæ longæ* et *rotundæ veræ*, *Graminis canini arvenſis*, nec minus *Agrimonia*, *Acmella* ſive *Atmella Zeylanica*, *Marrubium*, *Fragaria*, *Euphraſia*, *Hypericum*, *Plantago major* et *minor*, *Alchimilla*, *Anſerina*, *Flores Bellidis ſylveſtris minoris*, *Hepaticæ nobilis*, *Anagallidis rubræ* ſive *purpureæ*, *Nymphææ luteæ* et *albæ*, *Papaveris rhœados* ſive *erratici*,

tici (*a*), *Millepedes* etc. referri poſſunt, eo tamen ordine, ut odore, ſapore, indole ac viribus magis analoga, radix petaſitis v. g. cum *radice bardanæ*, acmella Zeylanica et agrimonia cum *betonica*, flores fragariæ et anagallidis cum *floribus borraginis*, millepedæ cum *coccionella*, et ſic porro, eodem loco collocentur.

(*a*) Principium parciſſimum ac debile vaporoſum, quod in recentibus papaveris erratici floribus adeſt, in exſiccatis non amplius ſentitur, ſed fixa ſaltem ſubſtantia reſinoſo-gummea, quæ parum quoque activa eſt, demonſtrari poteſt. Nam extractum primum aquoſum, licet colore obſcure rubro, ad nigrum inclinante, tinctum ſit, valde iners deprehenditur, et debilem duntaxat odorem balſamicum, leniſſimumque ac vix ſenſibilem ſaporem ſubdulcem et auſteriuſculum, vel ſaltem terreum ſubadſtringentem poſſidet. Extractum ſpirituoſum primum, itidem rubro-nigricans, vix melioris conditionis eſt, et, præter debilem, eumque molliuſculum, odorem, debilem ſaltem ſaporem balſamico-ſubſalſum linguæ imprimit. Concludo inde, nullas ſingulares vires floribus hiſce competere, nihilque illos, niſi exiguam ſolummodo adſtrictionem et abſterſionem in corpore præſtare poſſe.

SECTIO

SECTIO XIV.

DE DVLCIBVS, SVBDVLCIBVS, LENITER AMARICANTIBVS, AVSTERIVSCVLIS, ATQVE BALSAMICIS VNGVINOSO-OLEOSIS ET PINGVIBVS.

CAPVT I.

DE NATVRA, PRINCIPIIS, ET DIFFERENTIA OLEOSORVM AC PINGVIVM IN GENERE.

§. I.

VNGVINOSO-OLEOSA hujus Claſſis ſaporem *dulcem*, aut *ſubdulcem*, vel *purum* omnino, vel *auſteriuſculo*, *balſamico*, aut *amaricante* nonnihil permixtum, linguæ imprimunt, et commode, reſpectu nimirum indolis, atque principiorum, in *Unguinoſo-oleoſa, pure talia*, et *Aqueo-oleoſa* diſtingui poſſunt.

§. II.

Oleum, ceu unicum, vel tamen præcipuum eorum elementum, ſapore, recens nimirum, atque a reliquis moleculis expreſſione, aut blanda coctione c. aqua perfecte ſeparatum, ſapore dulci aut ſubdulci gratiſſimo, et unguinoſa ac temperatiſſima indole gaudet: Sin diutius autem, præſertim in loco calido, adſervetur, blandam naturam ſuam atque dulcedinem ſenſim amittit, ac nauſeoſum rancorem cum notabili amaritie et acredine contrahit. Per ſe neque aqua, neque ſpiritu vini ſolvitur, et frigore præterea ita coagulatur, ut pinguedinem animalem referat, facile tamen, intrante rurſus calore, ad priſtinam liquiditatem revertitur. Cum ſalibus alcalibus ſiccis ac fervidis in ſaponem, cum acidis potentioribus in pinguedinem concreſcit.

§. III.

Ab oleis æthereis, etiamſi cum iis quoad prima elementa, adeoque in radice, maximam partem conveniat, indole admodum differt, iisdemque partium ſubtilitate ac mobilitate longe inferius eſt, quoniam phlegmate, et craſſa ſubſtantia terreo-mucida largius refertum exiſtit. Nam olea pinguia, unguinoſa, ſpiſſiuſcula, iterata vice ſuper calcem aut lateres contuſos abſtracta, multum materiæ terreo-mucidæ fæculentæ in vaſe deſtil-

deſtillatorio relinquunt, et tenuiora, fluidiora, ac magis pellucida evadunt, immo quodammodo hac ratione in olea ætherea mutantur: Non amplius enim poſt hanc depurationem cum acidis gravioribus in maſſam adipoſam, ſed æque, ac vera ætherea, in reſinoſam coagulantur, et incenſa quoque flammam puriorem ac lucidiorem præbent, minoremque fumi quantitatem ſpargunt.

§. IV.

Sub temperatiſſimi huius olei tegmine, quamdiu ſcilicet in ſimplicibus hæret, *ſubtile quoddam principium ſalinum acidum* deliteſcit, quod in emulſionum confectione, una cum teneriori terra farinacea, olei et aquæ unionem adjuvat. Emulſio v. g., ex aqua ſimplici et amygdalis dulcibus, aut aliis ſeminibus ac fructibus lacteſcentibus parata, in loco tepido aut calido, intra breve tempus, aceſcit, et cremor pinguis, oleoſus, dulciſſimus ad ſuperficiem extruditur, æque, ac in lacte animantium, in quo partium aquearum, oleoſarum, terrearum, et acidarum divortium contingit, quando in loco tepido leniſſimum motum fermentativum ſubire incipit.

§. V.

Ex eodem oleo ſubdulces ac temperatæ PINGVEDINES animantium primam ducunt originem, et olea quaſi unguinoſa ſunt,

ab acido, parcius intermixto, coagulata. Quando cuidam enim oleo unguinoſo, v. g. olivarum, amygdalarum dulcium etc., acidum ponderoſius et concentratum minerale, præſertim nitroſum, ſuperfunditur, et aliquamdiu cum eodem digeritur, in maſſam, vulgari pinguedini ſimillimam, coagulatur (*a*).

§. VI.

(*a*) In *Actis Societatis Regiæ Scientiarum Pariſienſis Ann. 1719.* ſequens communicatur experimentum, ad demonſtranda memorata aptiſſimum: Recipitur limaturæ martis uncia dimidia, eidemque, ſpiritu vini prius humectatæ, primum oleum olivarum ad quatuor vel quinque digitorum eminentiam, deinde unciæ duæ ſpiritus nitri adfunduntur; ſic ferrum eadem fere promptitudine, ſolvitur, qua, oleo abſente, fieri conſuevit. Solutione peracta, cucurbita in loco frigidiuſculo collocatur; ſic oleum olivarum coagulatur in ſevum, ſolutionis ſuperficiei innatans, quod poſtea ſeparari poteſt, ac veram pinguedinem ſebaceam, quamquam ſolito acriorem, offert. Notatu pariter hoc loco dignum eſt, animalia carnivora rarius in genere, quam granivora et herbivora, pingueſcere. Ratio, me ſentiente, primario in alimenti qualitate differenti quærenda erit: Alimenta quippe, e vegetantium regno deſumta, acido coagulante plerumque ſcatent, carnes vero, ceteraque animalis proſapiæ alimenta, ſi lac exceperis, eodem penitus deſtituuntur: Unde fit, ut oleum nutriens, quod ab acida quadam ſubſtantia ſalina quodammodo coagulari debet, ac condenſari, rarius ad pinguedinis conſiſtentiam perveniat, ſed partim geneſi ſanguinis ac gela tinæ impendatur, partim etiam, perenn inpri-

§. VI.

Aliquid diſcriminis *Sevum* et *Adipem* intercedit. Illud pinguedinem ſiſtit conſiſtentiæ ſpiſſioris, atque in frigore durioris, pluribus comparative partibus terreo-acidis inſtructam; hic vero pinguedinem denotat paullo liquidiorem ac molliorem, quæ promptius ad ignem fluit, nec penitus in frigore induréſcit, et plus comparative olei, minus terræ et acidi coagulantis poſſidet. Silentio quoque haud prætermittendum eſt, ſevum ordinario in quadrupedibus ruminantibus, adipem vero ſolummodo in non ruminantibus generari. Fundamentum ſine dubio itidem in alimento latet. Animalia ruminantia enim alimentis crudioribus difficilioris reſolutionis, gramine v. g., foeno, ſtramine, corticibus, aliisque rudiori ſubſtantia terreo-acida largius inſtructis, veſcuntur, et licet natura quidem duplicem illis, immo nonnullis triplicem aut quadruplicem ventriculum dederit, craſſior tamen chylus, particulis terreis et acidis magis onuſtus, et ſevo igitur generando aptior, inde elaboratur. Contrarium apud non ruminantia obſervamus, quæ pabulo molliori, minus acido, minusve terreſtri, radicibus ſucculentis v. g., herbis tenerioribus, fructibus, ſeminibus farinaceis,

 quin

mis motu inteſtino attritorio in tenerrimas particulas reſolutum, per poros cutis, aliaque organa denuo excernatur.

quin carnibus, aluntur, e quibus chylus ſubtilior, magis oleoſus, adipi producendo aptior, in duodeno parari poteſt.

CAPVT II.

DE VIRIBVS OLEOSORVM AC PINGVIVM.

§. I.

Pinguia, animalis proſapiæ, æque, ac oleoſa dulcia et ſubdulcia vegetabilia, animantium corpora nutriunt, exſiccatas, duras, rigidas, ac nimium tenſas ſtrictasque partes ſolidas, ob blandam, lubricam, et unguinoſam ſuam indolem, humectant, emolliunt, ac lubricant, eroſas demulcent, et egregie contra corporum rodentium ac pungentium ſtimulos defendunt, acrimoniam ſalinam quamcunque obtundunt, involvunt, ac temperant, et fluida, hinc inde in meatibus indurata et exſiccata, lubricant, adeoque virtutes varias, maxime autem *antiſpasmodicam*, *anodynam*, *demulcentem*, *temperantem*, *hypnoticam*, et *aphrodiſiacam* in corpore exercent.

§. II.

Præter vires indicatas, eorum aliqua, quæ

quæ cum aquis deſtillatis in emulſionem redigi poſſunt, eximiam pariter *refrigerandi virtutem* poſſident, et cum fructu itaque inſigni in febribus continuis, præſertim ardentibus, inflammatoriis, et hecticis, nec minus in inflammationibus ſolitariis, et morbis reliquis, a ſanguinis ebullitione et præternaturali rarefactione derivandis, itemque in vigiliis ſenum aut febre laborantium, mania etc. in uſum vocari poſſunt.

§. III.

Conveniunt præterea hæc, et reliquorum ſingula emaciatis, ſenibus, hecticis, et ſiccis cholericis, ac valde inprimis ſeſe commendant in ſpasmis et convulſionibus partium variarum, calculo, ero one meatuum, aſthmate ſicco, raucedine, t ſſi acri ſalſa, ſcorbuto, ſiccitate et obſtruct one alvi, induratione excrementorum, d=f ctu lactis etc., immo multum valent contra venena corroſiva mineralia, et erodentia vegetabilia, purgantia draſtica, et quævis medicamenta, juſto acriora, ſolidaque vehementius vellicantia: Notari tamen debet, alia in hiſce, alia in aliis ægritudinum ſpeciebus melius locum invenire, et nonnulla in morbis quibusdam, in quibus alia egregie proſunt, nullo prorſus modo convenire; quemadmodum hæc ex ſpecierum tractatione uberiori clarius cognoſcenda erunt.

§. IV.

Uſus externus late quoque patet, et adfectus omnino varii ſunt, quibus, demulcendo, emolliendo, humectando ac refrigerando, medentur; prae reliquis tamen eſcharae, cruſtae varioloſae, tumores duri, fiſſurae labiorum, papillularum in mammis, aridura ut et rigiditas ligamentorum, conſtrictiones partium ſpasmodicae, induratio fecum alvinarum, et eroſio faucium huc pertinent. Adplicandi modus valde differt, aliaque melius inter unguenta et emplaſtra, alia vero inter cataplasmata, clyſteres etc. recipiuntur.

* *

CAPVT III.

DE AMYGDALIS DVLCIBVS, PINEOLIS, PISTACIIS, ET NVCLEIS ARMENIACORVM.

§. I.

Amygdalae dvlces off. adeo omnibus notae ſunt, ut prolixiori formae externae deſcriptione commode memet ſuperſedere poſſe exiſtimem. Arbor, quae fructus hoſce fert, a Botanicis plerisque *Amygdalus ſativa* dicitur, et uberrime inprimis in *Sicilia*, *Italia*, *Hiſpania*, *Candia*, *Delphinatu* *Gal-*

Galliæ, *Ægypto*, et in *Germania* circa *Moenum* ac *Rhenum* creſcit.

§. II.

Oleo unguinoſo, *dulci*, ac *temperatiſſimo*, quod facili negotio, præmiſſa inprimis leni toſtione, exprimitur, valde hi fructus turgidi ſunt, et in eo quoque tota eorum dulcedo, totaque virtus medica reſidet (*a*). Quicquid enim poſt perfectam olei expreſſionem relinquitur, ſubacre et inutile recrementum acidulo-terreum eſt, cujus tenerior tamen portio, ſub emulſionis confectione ſimul cum oleo eſſentiali a maſſa rudiori ſecedens, copulatoris munere perfungitur, et aquæ atque olei unionem adjuvat. Quando amygdalæ paullo diutius, præſertim in loco tepido, adſervantur, laudata ſubſtantia oleoſa rancida evadit, et loco ſaporis ſubdulcis nauſeoſum atque mordacem nanciſcitur; hinc multum omnino intereſt, ut, rejectis rancidis ac ſemiputridis, recentiores ad uſum ſeligantur.

 §. III.

(*a*) Aliter in hoc paſſu cum *amygdalis amaris* comparatum eſſe, obſervatio docet. Amarities enim minime in oleo eſſentiali, quippe quod expreſſum itidem dulce eſt, ſed potius in parte reſinoſa deliteſcit Notatu præterea dignum eſt, amaram hanc ſubſtantiam quoad portionem ſubtiliorem cum aqua et ſpiritu vini alembicum tranſcendere, et vehiculum utrumque ſapore nonnihil amaricante imbuere.

§. III.

Locum eminentem inter eſculenta ac medicamenta *analeptica*, *aphrodiſiaca*, *demulcentia*, ac *temperantia* tuentur, et emaciatis itaque, aut febre ardente, inflammatoria, lenta, hæmorrhagiis exorbitantibus, inflammatione partium ſolitaria, præſertim eryſipelacea, mania, agrypnia, phthiſi, tuſſi acri, rheumatiſmis calidis, phlogoſibus, dyſuria, ſtranguria, calculo, eroſione meatuum etc. laborantibus, egregie conducunt. Plerumque cum aquis deſtillatis in emulſionem rediguntur, vel integræ etiam commeduntur, aut morſulis etc. adduntur. Quoties in ſubſtantia illas aſſumere conſultum videtur, eſus juſto largior ſedulo vitandus eſt, ne oleo ſuo copioſo, ac valde pingui liquorem gaſtricum obtundant, poros vaſculorum in- et exhalantium, accedente inprimis parte terrea, obſtruant, nimiumque ventriculi tunicas emolliendo, adpetitus atque digeſtionis vigorem corrumpant, vel acriuſculis etiam particulis recrementitiis apud ſubjecta ſenſibilia, aut diſpoſita adfectus ſpasmodicos, quin ipſos epileptico-convulſivos, concitent.

§. IV.

Externe emulſio, cum aquis refrigerantibus parata, partibus ambuſtis et eroſis, nec minus oculis contra ophtalmiam ſiccam ſæpiſſime cum fructu adplicatur, et integræ quo-

quoque amygdalæ, nonnihil prius manducatæ, emolliendis tumoribus imponuntur. De *oleo expreſſo*, cujus uſus internus et externus ampliſſimus eſt, nihil hoc loco addo, quum magis ad præparata pharmacevtica, de quibus alibi egi, referendum ſit.

§. V.

Amygdalis dulcibus PINEOLI et PISTACIA OFF. natura, elementis atque virtute valde reſpondent. *Pineoli* ſive *Pineolæ* nucleos denotant oblongos, teretes, albicantes, tunica rufeſcente obductos, pingues, ſaporis ſubdulcis oleoſi, et in receſſu quoque, præſertim ſi paullo vetuſtiores ſint, ſubacido-acriuſculi, odoris nullius. Naſcuntur in fructibus ſive conis *Pini ſativæ* C. B., quæ frequens *Italiæ*, *Galliæ Narbonenſis* et *Hiſpaniæ* incola eſt. Latent inter ſquamas coni lignoſas in certis ſcrobiculis, e quibus poſtmodum, ſquamis vel ſponte, vel igne propius admoto, dehiſcentibus, excidunt.

§. VI.

Piſtacia ſive *Piſtacea* itidem nuclei ſunt oblongi, amygdalis minores, pineolis vero majores et craſſiores, anguloſi, acuminati, altera parte elatiores, altera depreſſiores, ſubvirides, pellicula tamen, alibi pallide lutea, alibi obſcure purpurea, cincti, ſaporis oleoſi atque ſubdulcis. Duplici donantur

puta-

putamine, altero externo, tenui, arido, membranaceo, primum viridi, poſtea rufeſcente, altero interiori, candido, fragili, lignoſo. Poſt collectionem putamen utrumque removetur, et ſoli nuclei denudati venduntur. Arbor, nuculas haſce generans, in *Arabia*, *Syria*, *Ægypto*, et maxime in *Perſia* reperitur, et C. BAVHINO *Piſtacia peregrina, fructu racemoſo*, ſive *Terebinthus Indica Theophraſti* audit. HERMANNVS et nonnulli alii Piſtacia in *majora* et *minora* diſtinguunt; quæ diſtinctio tamen in Materia medica ſuperflua videtur, quoniam piſtacia minora parum cognita, eaque, quæ ex Perſia adferuntur, et in Officinis noſtris proſtant, ſemper majora ſunt.

§. VII.

Largiori ferme, quam amygdalæ dulces, *olei unguinoſi* quantitate tam pinei, quam piſtacei nuclei inſtructi inveniuntur; hinc facilius etiam rancidi evadunt, gratique ſaporis, ac temperatæ indolis jacturam faciunt. Nutriendi ac demulcendi facultate, recentiores nempe, pleni, ac bene maturi, amygdalas dulces quodammodo ſuperant, quoad reliquas vero virtutes perfecte cum illis conveniunt, et iisdem itaque morbis, maxime autem phthiſi, febri hecticæ, catarrhis acrioribus, ſtranguriæ, impotentiæ virili, et dyſcraſiæ humorum ſcorbuticæ medentur. Ple-

rum-

rumque per ſe commeduntur, vel morſulis, electuariis, aut eſculentis adduntur, in emulſione vero rariſſime præſcribuntur, quoniam pineolæ oleum paullo craſſius continent, et piſtacia liquori lacteo virideſcentem colorem inducunt.

§. VIII.

De NVCLEIS MALORVM ARMENIACORVM prolixius hoc loco agere ſupervacaneum duco, quoniam natura ac viribus proxime quoque ad amygdalas dulces accedunt, et eodem prorſus modo in uſum trahi poſſunt. HERMANNVS aliique ad eandem claſſem etiam *Nucleos Perſicorum* et *Ceraſorum* retulerunt, verum, pro meo quidem judicio, minus recte: Hi ipſi enim, præter *pingue oleum unguinoſum*, *ſatis amaram ſubſtantiam gummeo-reſinoſam*, et *ſingulares* quoque *particulas volatiles*, quas odor ſub contuſione eorum, ac deſtillatione humida prodit, poſſident. Virtute præterea magis *diſcutiente* ac *diuretica*, quam demulcente ac temperante donati reperiuntur, et meliori itaque jure *oleoſis amaris*, v. g. ſeminibus cardui benedicti et cardui Mariæ, alibi dudum pertractatis, quam *oleoſis dulcibus* atque *ſubdulcibus* junguntur.

CAPVT

* *

CAPVT IV.

DE
SEMINIBVS CVCVRBITÆ, CITRVLLI, MELONVM, CVCVMERIS, LACTVCÆ, SCARIOLÆ, ET PORTVLACÆ.

§. I.

SEMINA CITRVLLI, CVCVRBITÆ SATIVÆ, CVCVMERIS HORTENSIS et MELONIS OFF. uſitatiſſima *ſemina quatuor frigida majora* conſtituunt, hominumque quamplurimis tam nota ſunt, ut uberiori deſcriptione vix egere videantur. Pulpa ſubdulcis, cortici albicanti incluſa, *temperato oleo unguinoſo* ſatis prægnans eſt, ac ſola in uſum medicum cedit. Cum aqua enim trita lacteam illi conſiſtentiam, lacteumque colorum et ſaporem conciliat. Lacteum hunc liquorem, præter partes oleoſas teneriores, etiam craſſiores, itemque acidulo-terreſtres ingrediuntur, quæ ſingulæ in apricum prodeunt, quando, prævia blanda et inviſibili fermentatione, earum divulſio ac ſeparatio accidit. Adſurgunt nempe, quod in emulſione, e ſeminibus cucurbitæ excorticatis parata, et in temperato loco per biduum detenta, obſervavi, ad ſuperficiem ſubtiles moleculæ oleoſæ, ibidemque aggregatione ſua candi-

candidum, pinguem, atque ſubdulcem cremorem formant. Infra hunc conſpicitur liquidum aquoſum albicans, et in fundo ſatis copioſa materia alba, ſpiſſiuſcula, ac valde pinguis, nonnihil tamen acidula atque ſubacris, jacet, quæ ordinarium coagulum caſeoſum, vel rectius, lac ovillum inſpiſſatum (dicke Milch) habitu externo refert, et, decantato liquore ſupernatante, ac recenti aqua ſuperfuſa, denuo ſolvitur, novamque emulſionem acriuſculo-ſubdulcem producit.

§. II.

Sub forma emulſionis hæc ſemina, tam interne, quam externe, uſurpantur. Uſus internus in febribus ardentibus, inflammatoriis etc., orgaſmo ſanguinis et ſeminis virilis, mania, hæmorrhagiis, ceterisque morbis, qui acri ac fervidæ humorum indoli, et præternaturali commotioni primam atque præcipuam originem debent, adeoque præ reliquis refrigerantia, humectantia, ac demulcentia poſtulant, utiliſſimus eſt: Externe vero emulſio laudata vices epithematis ſubit, et partibus eroſis atque ambuſtis, nec minus oculis, inflammatione ſicca ac valde ardente vexatis, adplicatur. Nonnulli hoc epithemate etiam in cephalalgia, præſertim febrili ſymptomatica, utuntur; verum, pro meo judicio, hujus et reliquorum epithematum frontalium refrigerantium adplicatio

in

in caſu poſteriori minus tuta eſt, quoniam ſumme neceſſariam exhalationem periphericam in capite impedit, et materiæ peccantis ad interiora regreſſum haud raro provocat, vel valde tamen adjuvat.

§. III.

Quemadmodum Semina deſcripta vulgo quatuor frigida majora audiunt, ſic SEMINA LACTVCÆ, SCARIOLÆ, PORTVLACÆ et PLANTAGINIS *quatuor frigida minora* nuncupantur. Tria priora præcedentibus majoribus natura, principio atque virtute valde analoga ſunt, et jure igitur hanc denominationem merentur; ultimum vero, *ſemen* videlicet *plantaginis*, ob principia ſatis *terreſtria*, magis *ſubadſtringendi*, quam *refrigerandi* facultate pollet, et rectius proinde inter ſimplicia terreo-auſteriuſcula collocatur. Contra eosdem morbos, quibus majora medelam adferunt, plerumque commendantur, et eodem quoque modo, in emulſionem nempe cum aquis adpropriatis redacta, adhibentur; propter parvitatem tamen ante trituram non excorticantur, ſed integra contunduntur, hinc, ſuppoſita æquali aquæ quantitate, paullo majori etiam pondere præſcribenda ſunt.

§. IV.

Hiſce, ob principii primarii ſimilitudinem, etiam

etiam SEMEN CANNABIS SATIVÆ C. B. addi poteſt. Non contemnenda enim virtute *temperante* pollet, et ſpecifice inprimis in agrypnia, mania, ictero, orgaſmo ſeminis virilis et lymphæ vaginalis, gonorrhoea benigna, et frequenti pollutione nocturna prodeſſe dicitur. Interne plerumque datur in emulſione, rarius in decocto, et emulſio externe quoque fronti atque temporibus, ad dolorem capitis compeſcendum, ſomnumque conciliandum, ſub epithematis forma, haud raro adplicatur.

* *

CAPVT V.

DE SEMINIBVS LINI ET FOENI GRÆCI.

§. I.

SEMINA LINI SATIVI C. B. oblongo-rotunda ſunt, compreſſa, lubrica, fuſco-punicea, ſaporis mucilagineo-oleoſi, et ſubdulcis, odoris nullius ſingularis. Turgent *temperato oleo unguinoſo*, et *emolliendi*, *demulcendi*, ac *temperandi* fine ſæpius externe, quam interne, præſcribuntur. Externe clyſteres, fotus, epithemata humida, cataplasmata, unguenta, et emplaſtra ingrediuntur, multumque, ſub hac vel illa forma adhibita, contra ariduram partium, ambuſta, tumores frigi-

dos induratos, dolores colicos, cardialgicos, nephriticos, hyſtericos, et hæmorrhoidales, paſſionem iliacam, obſtructionem alvi, ſuppreſſionem urinæ, ſimilesque adfectus valent. Pro uſu interno cum aqua aut juſculo avenaceo tenuiori coquuntur, et ſæpius cum fructu contra peripnevmoniam, pleuritidem veram, dyſenteriam, calculum, eroſiones meatuum, venena corroſiva mineralia etc. propinantur. Silentio tamen non prætermittendum eſt, oleum expreſſum creberrime ſeminibus integris præferri, et vulgare inprimis unguentorum ingrediens conſtituere.

§. II.

A lini ſeminibus, ceterisque, præcedente capite recenſitis, *oblonga, compreſſa, anguloſa* ac *flaveſcentia* SEMINA FOENVGRÆCI SATIVI C. B. nonnihil recedunt: Fortem enim, et quodammodo ingratum, odorem balſamicum ſpirant, et, præter ſaporem farinaceo-mucilagineo-oleoſum, lenem quoque amaricantem, qui ſeſe maxime in receſſu manifeſtat, obtinent: Unde liquet, quod *activa principia* non *fixa* ſolum, ac *craſſa oleoſo-mucilaginea* ſint, ſed *volatilia* quoque, *tenerrima, odoratiſſimaque ſpirituoſo-inflammabilia.* Subſtantia oleoſo-mucilaginea, volatilibus moleculis valde turgida, mixtionem tanta copia ingreditur, ut unica uncia ſeminis integræ propemodum aquæ libræ, ſi calor blandus

extra-

extractionem adjuvet, notabilem lentorem, habitumque externum olei amygdalarum dulcium expreſſi conciliare valeat. Quando Infuſum aquoſum flaveſcens lente evaporatur, maſſam relinquit ſubluteam, valde pinguem, valdeque emollientem, odoris ingrati atque ſpecifice balſamici, ſaporis mucilaginei, oleoſi, balſamici, et in receſſu amaricantis. Ex uncia una drachmas ſex et grana octo impetravi.

§. III.

Valide quidem hæc ſemina, interne, ſub decocti tenuioris forma, uſurpata, partes ſolidas nimium exſiccatas, ſtrictas, rigidas, emolliunt, eroſas demulcent, meatus, eorundemque contenta lubricant, acrimoniam rodentem obtundunt, et involvunt, humores juſto tenuiores incraſſant, et ſatis potenter præterea diſcutiunt, immo aliquam virtutem anodynam exerunt: Uſus eorum nihilominus magis externus, quam internus eſt. Ordinario videlicet inter epithemata, cataplasmata, unguenta, et emplaſtra, generatim abſceſſibus maturandis, tumoribus duris, ligamentis rigidis etc. emolliendis, partibusque eroſis et recentius ambuſtis demulcendis, adplicanda, recipiuntur, vel clyſteribus etiam in teneſmo, dolore hæmorrhoidali, dyſenteria etc. proficuis, minori tamen quantitate, adduntur.

CAPUT VI.

DE CACAO.

§. I.

CACAO OFF. ſive *Avellana Mexicana* I. B. nucleos denotat, amygdalis magnitudine ac forma non diſſimiles, oblongos, ſubrotundos, putamine tectos tenui, duro, fragili, ſpadiceo, aut ſubrufo-nigricante, cui ſubſtantia includitur ſicca, dura, denſa, gryſeo-rubens, non continua tamen, ſed in plures ac diſpares particulas diviſa, ſaporis ſubpinguis oleoſi, ſimulque amaricantis, et auſteriuſculi.

§. II.

Arbor, quæ nucleos deſcriptos gignit, in *regno Mexicano, Guatimala, Nicaragua, Cuba, Jamaica,* aliisque *Americæ* regionibus et inſulis frequens eſt, et ab HERNANDEZIO *Arbor Cacari*, et *Cacarifera (a)*, ab incolis vero *Cacahuaquahuitl*, itemque *Cocoatal* vocatur. Bis vel ter quotannis floret, et ſylvas, aliaque loca umbroſa ac humida amat, in apricis autem, ſolis ardori nimium expoſitis, facile contabeſcit. Altitudine ſua quinque

(a) In Hiſt. Rer. med. Nov, Hiſpan. Lib. 3. Cap. 46.

que pedes rariſſime ſuperat, nec adeo quoque ampla eſt. Folia, quibus veſtitur, membranacea ſunt, glabra, decem, aut novem pollices longa, et quatuor circiter pollices lata, ubi latiſſima, acuminata, citriorum foliis valde æmula. Flores colore pallide luteo gaudent, et pentapetali roſacei exiſtunt. Hiſce fructus ſuccedunt, melopeponem ſeu potius cucumerem ſativum forma æmulantes, ſemipedem circiter longi, tres quatuorve pollices craſſi, novem aut decem coſtis prominentibus ſulcati, toti verrucoſi, in acumen deſinentes, primum e viridi albicantes, deinde flaveſcentes, tandemque, perfecte videlicet maturi, ſaturate coccinei, ſubflavis tamen punctulis ubique ornati. Quilibet horum fructuum triginta utplurimum nucleos, pauca pulpa alba, ſucculenta, ſubdulci cinctos, includit, qui, remoto ambiente duplici cortice communi, ab incolis juſto tempore eximuntur, purgantur, et exſiccantur.

§. III.

Plures dantur tum arborum, tum nucleorum ſpecies. Arbores ſola *magnitudine*, aut *foliorum* et *fructuum amplitudine* atque *craſſitie*, nuclei autem *patria* ſeu loco natali, *craſſitie*, et *natura* differunt. *Cacao majus ex Nicaragua*, quod magis aridum quidem, aſt ſuaviori ſapore eſt, præſtantius cenſetur, de-

 terius

terius vero *Cacao minus ex inſulis*, quoniam ſaporem minus gratum obtinet, licet cæteroquin magis, quam prius, oleoſum reperiatur.

§. IV.

Primo adſpectu nuclei Cacao ſatis quidem aridi videntur, *dulci* nihilominus, ac *temperato oleo eſſentiali* admodum turgent. Obſervante nimirum GODOFREDO *(a)* ex una eorum libra, ſi contuſi et calefacti, prælo ſubjiciantur, prima expreſſione unciæ duæ, et ex fæce poſtmodum, cum aqua aliquantulum cocta, unciæ tres et drachmæ duæ cum dimidia, adeoque conjunctim unciæ quinque et drachmæ duæ cum ſemiſſe olei unguinoſi extrahuntur, immo, quantitas longe adhuc major inde elicitur, quando libra una, lapide calente debite prius trita, octo aquæ ebullientis libris diluitur. Nam, poſtquam maſſa inſtar pultis ſpiſſioris denſata fuit, copioſa, eaque craſſior, materia oleoſa ad ſuperficiem adſurgit, quæ paullatim ablata, ſevi inſtar, indureſcit, ac prorſus collecta novem ad minimum uncias pondere ſuo æquat. Majorem craſſitiem ac ſpiſſitudinem ſuam tenerrimis ſine dubio moleculis acido-terreis debet, quæ Cacao mixtionem ſimul ingrediuntur, et ſub aquæ ebullitione ſeparatæ, oleoſis quoad partem teneriorem miſcentur.

§. V.

§. V.

In noſtris regionibus Cacao nunquam per ſe in uſum medicum venit, ſed ſola *Succolada* ſive *Choccolada*, quam vulgo ex *ſacharo*, *ſiliquis Vaniliæ*, et *nucleis hiſce* præparant, ſub potulenti forma adſumitur, quoniam grato non minus ſapore ſuo, quam nutriente etiam, analeptica, demulcente, et aphrodiſiaca virtute ſeſe magnopere commendat, et emaciatis inprimis, a morbo diuturniori convaleſcentibus, inediam aut fortem hæmorrhagiam paſſis, hecticis etc. egregie conducit; Salubrius tamen hoc potulentum eſſe creditur, ſi aqua pura ac frigida, quæ partes viſcoſas, ab illo in ventriculo relictas, iterum eluat, modica quantitate ſuperbibitur.

CAPVT VII.

DE LACTE.

§. I.

LAC ANIMANTIVM eſt liquor blandus, dulcis, ac valde temperatus oleoſo-aqueus, ſeu chylus, parum ante ſecretionem in ſanguine mutatus, hinc maximam quoque cum emulſionibus artificialibus convenientiam habet.

 §. II.

§. II.

Componitur ex *oleo unguinoſo mitiſſimo*, *ſale acidulo*, *terra teneriori*, et *multa aqua*. Blanda fermentatio, in loco tepido ſponte ſuperveniens, ſingula hæc elementa detegit optime, ac prorſus et intra breve tempus in apricum producit: Deſtructa enim priſtina eorum unione naturali, partes dulciſſimæ oleoſæ protinus in ſuperficie colliguntur, ibidemque notiſſimum cremorem formant: Partes ſalinæ acidæ præcipue in ſero hoſpitantur, et partes denique terreæ una cum oleoſis et ſalinis craſſioribus ad componendum coagulum caſeoſum concurrunt.

§. III.

Quantitas relativa *phlegmatis*, et *ſolidioris ſubſtantiæ terreo-ſalino-oleoſæ* in diverſorum animantium lacte nonnihil variat. Secundum HOFFMANNI enim obſervationem (*a*), libra una medica *lactis vaccini*, lenta evaporatione ad ſiccitatem redacta, unciam unam et drachmas quinque materiæ ſiccæ, grumoſæ, flaveſcentis relinquit: Æqualis quantitas *lactis caprilli* unciam unam et drachmas quatuor cum ſemiſſe, et æqualis denique quantitas *lactis aſinini* et *muliebris* unciam duntaxat unam ſolidæ hujus materiæ, quæ ex lacte muliebri itidem flaveſcentis, ex aſinino autem

(*a*) Vid. Ejusd. Diſſ. de Saluberrima ſeri lactis virtute.

autem albi coloris, et ſubdulcis ſaporis eſt, ſuppeditat. Unde protinus clare conſtat, in una libra medica lactis aſinini, ut et muliebris, quod cum priori valde in hoc paſſu convenit, undecim uncias *aquæ*, et unicam tantummodo unciam *materiæ ſolidæ*, in lactis vaccini libra uncias decem cum drachmis tribus *aquæ*, et unciam unam et drachmas quinque *materiæ ſolidæ*, et in caprilli denique lactis libra uncias decem et drachmas tres cum dimidia *aquæ*, et unciam unam atque drachmas quatuor cum ſemiſſe *materiæ ſolidæ* adeſſe: Immo exinde patet, lac muliebre et aſininum, ob minorem ſubſtantiæ ſolidæ inhæſionem, majori, quam vaccinum et caprillum, fluiditate præditum eſſe.

§. IV.

Laudatum magma ſolidum, ſiccum, grumoſum, poſt perfectam lactis evaporationem relictum, blandæ coctionis beneficio denuo quidem ab aqua pura ſolvitur, nunquam tamen colatorii poros totum tranſit, ſed pro lactis diverſitate ſemper major vel minor portio in linteo remanet. Ex uncia v. g. una, et drachmis quinque hujus materiæ grumoſæ, quam evaporata lactis vaccini libra medica largitur, uncia una et drachmæ tres cum dimidia ſubſtantiæ craſſioris caſeoſæ in linteo relinquuntur, et unica tantum drachma cum ſemiſſe ſolvitur, atque teſte vix lau-

 dato

dato HOFFMANNO *l. c.* per linteum aquæ contubernium tranſit. Cum lacte vaccino perfecte in hac parte lac caprillum convenit, præterquam, quod ſerum, deſcripta methodo inde paratum, majori dulcedine polleat. Aliter comparatum eſt cum lacte aſinino et muliebri: Uncia enim magmatis una, poſt evaporationem ex libra medica lactis aſinini relicta, tota propemodum aqua ebulliente ſolvitur, ita, ut in colatorio una tantum et dimidia drachma materiæ inſolubilis remaneat, reliquæ autem drachmæ ſex cum dimidia ſimul cum aqua per linteum tranſeant; et drachmæ novem ſubſtantiæ ſiccæ, e lactis muliebris libra remanentes, ac denuo in aqua ebulliente ſolutæ, quoad maximam quoque partem cum ſolvente aquoſo per linteum trajiciuntur, et tres duntaxat materiæ caſeoſæ drachmæ in colatorio ſuperſtites inveniuntur. E quibus colligere licet, ſerum lactis aſinini et muliebris dulce longe majorem ſubſtantiæ ſolubilis et activæ ſacharinæ ſive oleoſo-ſalinæ quantitatem, quam ſerum dulce lactis vaccini et caprilli, ſub eadem mole conſideratum, in ſinu ſuo fovere reconditam.

§. V.

HOMBERGIUS varias lactis ſpecies deſtillationi ſeorſim ſubjecit, et obſervavit, liquorem aqueum et aqueo-acidum, e lacte vacci-

vaccino et caprillo prodeuntem, odorem, placentæ recentis, paullulumque uſtulatæ odori fere ſimilem, adeoque non ingratum, ſpirare, ex aſinino autem lacte prolectum, ingratiorem eſſe, rancidasque pinguedines et vetuſta unguenta redolere. Obſervavit præterea partis oleoſo-butyraceæ quantitatem ad partis caſeoſæ quantitatem ſeſe in lacte *vaccino* ut 1. ad 1. et $\frac{1}{16}$, in lacte *aſinino* ut 1. ad 4., et in *caprillo* ut 1. ad 1. habere. (*a*)

§. VI.

Lac recens, licet decenti fluidate gaudeat, ac chylo valde analogum ſit, adeoque pleno quaſi alveo ad ſanguinem tranſire valeat, ob acidi nihilominus præſentiam in prima culina, aliquam ordinario præcipitationem pati, ſumme probabile videtur. Apud tenellos enim infantes, et quadrupedum foetus, qui adhuc ſolo aluntur lacte materno, quotidie feces, interdum ſat copioſæ, per alvum excernuntur, quarum collectio pro mea ſententia a præcipitatis rudioribus partibus caſeoſis præcipue derivanda erit. Præcipitatio hæc apud adultos, qui vinum ac cereviſiam hauriunt, et fructibus horæis, aliisque cibis, acido explicito aut implicito magis minusve prægnantibus, veſcuntur, neceſſario evadere debet largior, nec raro quoque, ob

(*a*) Vid. Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences Ann. 1712. p. 355.

ob paullatinam craſſæ ſaburræ geneſin, præſertim apud ſubjecta debilia, nociva; hinc multum omnino intereſt, ut ægrotantes, hanc vel illam lactis ſpeciem medicamenti loco adhibituri, ventriculum et inteſtina in principio, ac poſtea pariter per modica intervalla, abundante cruditate pituitoſo-acida liberent, et, uſu lactis durante, acidorum adſumtionem ſtudioſe fugiant.

§. VII.

Plerisque animalis proſapiæ alimentis lac recens, propter fluiditatem ſuam, et egregiam nutriendi facultatem, palmam præripit, nec infimum quoque locum inter medicamenta, *analeptica*, *edulcorantia*, et *demulcentia* interna occupat; quare hectici quoque, phthiſici, emaciati, ſenes ſicciores, moleſto pervigilio laborantes, arthritici, podagrici, ſcorbutici, maniaci etc. multum ſubinde auxilii a congruo ejus uſu experiuntur, præſertim, ſi aquæ cujusdam ſoteriæ mineralis, v. g. *Selteranæ*, miſcela accedat, aut alia adjuvantia ac corrigentia jungantur, vel interponantur. Externe præterea lac tepidum emolliente virtute ſeſe magnopere commendat, et creberrime proinde ad præparanda clyſmata, cataplasmata, epithemata humida, fomenta etc. *emollientis*, *demulcentis*, *anodynæ*, et *antiſpasmodicæ* efficaciæ, adhibetur.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE SPERMATE CETI, ET ORDINARIIS ANIMANTIVM PINGVEDINIBVS.

§. I.

SPERMA CETI, Wallrath, eſt ſubſtantia tenera, contactu lævis, candida, ſevo vulgari forma et conſiſtentia valde ſimilis, non unguinoſa tamen, ſed magis fragilis, ſaporis modice pinguis atque viſcoſi, odoris debilis, ſpecifice adipoſi, nec ingrati. Quando minus bene præparatum fuit, vel diutius etiam in loco calido adſervatur, flavedinem ac levem rancorem contrahit, quæ vitia tamen nova depuratione, mox deſcribenda, denuo auferri poſſunt.

§. II.

Sebacea hæc ſubſtantia neque *ſpuma maris* eſt, uti veterum aliqui crediderunt, neque *bituminis mineralis ſpecies*, neque *verus ceti liquor genitalis*, neque *vulgaris pinguedo*, ſed *cerebrum Orcæ piſcis* ſive *Ceti dentati depuratum*. Cerebrum hoc ex unico ſaltem ceto adulto aliquot centenarios pendet, et valde, æque, ac apud piſces reliquos, oleoſum eſt; hinc primaria etiam præparationis ratio ad olei

olei liquidi ſeparationem redit: Peragitur autem ſequenti modo: Primo immittitur in ſaccum lineum, et in eodem aliquamdiu relinquitur, ut oleum liquidius ſenſim defluat, deinde in alió ſacco, ex pilis craſſioribus contexto, torculari ſubjicitur, et oleum fluidum violentius exprimitur. Hiſce peractis, lixivio frigido, aqua ſimplici ex calce viva et cineribus clavellatis parato, injicitur, et identidem baculo ligneo agitatur, donec ſufficienter depuratum ſit, poſteaque eximitur, aqua pura probe abluitur, in loco umbroſo leniter ſiccatur, et tandem cultello in fruſta majora et minora, qualia vulgo venalia proſtant, diſcinditur.

§. III.

Quoad naturam, uti antea pridem dixi, cum ſevis animantium quadrupedum valde convenit, præterquam, quod habitum ſicciorem, minusque pinguem et oleoſum obtineat. Sal volatile explicitum, cujus nonnulli mentionem fecerunt, adeſt nullum, ſed odor debilis ſolummodo a tenerioribus particulis oleoſis dependet. Aquæ conſortium, pinguedinum vulgarium more, prorſus reſpuit, in fervida tamen mox liqueſcit, et olei fluiditatem tamdiu retinet, donec aqua denuo refrigeſcere incipit. Spiritus vini rectificatiſſimus nullam ſingularem quoque ſolutionem præſtat, ſed parum duntaxat olei ſubti-

ſubtilioris, quod octavam circiter ponderis partem explet, ſub blanda digeſtione extrahit. Quando igne aperto ex retorta deſtillatur, in oleum clarum butyraceæ indolis reſolvitur, ac totum, nulla prorſus capite mortuo relicto, in receptaculum tranſit. Cum oleo plerumque etiam phlegmatis pauxillum tranſcendit, quod minime tamen ad principia ſpermatis ceti conſtitutiva pertinet, ſed ſeſe procul dubio ſub lotura ſupra memorata altius inſinuat, et poſt exſiccationem itaque, cum illa ſaltem blanda ſit, in poris remanet.

§. IV.

Egregia virtute *demulcente*, *lubricante*, *temperante*, *emolliente*, *antiſpasmodica*, et *anodyna* pollet, et frequentem proinde uſum in angina vera et ſpuria, raucedine, tuſſi, aſthmate, catarrho ſuffocativo, pleuritide, cardialgia, colica, obſtructione alvi, dolore hæmorrhoidali, et nephritico, ſtranguria, teneſmo ani, dyſenteria, paſſione hyſterica, torminibus ventris apud infantes, aliisque adfectibus ſpasmodicis et convulſivis invenit. Plerique inſignem quoque reſolvendi facultatem illi tribuunt; aſt hanc, ſi nimirum de proprie tali ſermo eſt, admittere nequeo, et reſolutionis effectum, quem ſubinde edere videtur, ex viribus antea memoratis unice derivandum, eſſe arbitror. Interne datur a ſcru-

ſcrupulo dimidio ad drachmam integram, et quidem ſub forma varia: Nunc enim per ſe cum vitello ovorum, vel in juſculo aut calido infuſo theiformi ſolutum, exhibetur, nunc vero, quantitate majori vel minori, inter linctus, electuaria, et pulveres recipitur. Externe unguentis et emplaſtris emollientibus, demulcentibus, antiſpasmodicis, et anodynis additur.

§. V.

Reliquæ animantium pinguedines partim ſpiſſiores *ſebaceæ*, partim liquidiores *adipoſæ* ſunt. Ad priores præ reliquis SEVVM CERVINVM, HIRCINVM, BOVINVM, et VERVECINVM, nec minus MEDVLLA CRVRVM VITVLINORVM, ad poſteriores vero AXVNGIA ſive PINGVEDO HVMANA, CANINA, PORCINA, ANSERINA, GALLINACEA et VIPERINA ſpectant. Vires *nutrientes*, *emollientes*, *demulcentes*, *lubricantes* etc., alibi pridem (cap. II.) recenſitæ, ſingulis competunt, ſeva tamen, quod generatim monuiſſe ſufficiat, majori *demulcendi*, pinguedines adipoſæ autem majori *emolliendi* virtute pollent. Sæpius externe, quam interne, adhibentur, et vulgaria inprimis, uſitatiſſimaque unguentorum ingredientia conſtituunt. De uſu ſpecialiſſimo nihil addo, quum apud ſpecies indicatas parum differat, et facillime ex generali operandi

di modo deduci poſſit, atque determinari. A Scriptoribus huic quidem et illi vires quædam ſpecificæ tribuuntur, aſt hæ ipſæ, ſi eximiam virtutem *ophtalmicam* pinguedinis viperinæ *(a)* exceperis, non adeo ſingulares ſunt, et uberiorem ideo conſiderationem hoc loco vix merentur.

Præter *Olivas*, *Semen Aquilegiæ* etc., quodammodo etiam *Cera* ad hanc Claſſem pertinet. Singularis enim hæc ſubſtantia, in aqua non minus, quam ſpiritu vini plane indiſſolubilis, ſub deſtillatione notabilem *olei pinguis*, *butyracei*, *temperatiſſimi* quantitatem reddit, quod externe adplicatum partes exſic-

(a) Pinguedo hæc celebre *Unguentum ophtalmicum* quod doctiſſimus HANS SLOANE in parvo libello, Dantiſci poſtmodum ex Anglia lingua ſub *titulo:* Nachricht eines bewehrten Mittels vor Schmertzen, Blödigkeit, und andere Kranckheiten der Augen etc. in vernaculam noſtram translato, communicavit, ingreditur, et præcipuam illi virtutem largitur. Compoſitio ſequens eſt: Rec. Tutiæ pptæ. unc. 1. Lap. hæmatitæ ppti. ſcrup. 2. Aloes optimæ gr. 12 Perlar. ppt. gr. 4. Pinguedinis viperar. q. ſ. M. F. l. a. Unguentum.

ſiccatas, duras, ſtrictas egregie emollit et relaxat, dolores mitigat, ſolida eroſa, immo ipſos nervos denudatos demulcet, labia oris, et papillas mammarum, ſi fiſſuras egerint, defendit ac lenit, anodynamque præterea virtutem in hæmorrhoidum dolore exerit. Ab hoc oleo pariter ratio ex parte petenda eſt, cur cera inter emplaſtra quamplurima recipiatur.

SECTIO XV.

DE INSIPIDIS ET SVBDVLCIBVS MVCILAGINEIS ET GELATINOSIS.

CAPVT I.

DE NATVRA, DIFFERENTIA, ET VIRTVTE GELATINOSORVM AC MVCILAGINEORVM IN GENERE.

§. I.

GELATINOSA ſolum regnum animale, MVCILAGINEA autem vegetabile medicis ſuppeditat. De prioribus, eorumque indole, ac viribus dudum ſcitu neceſſaria in *Sectione Secunda de Terreis et Terreo-gelatinoſis* dicta fuerunt; de inſipidis autem et ſubdulcibus mucilagineis, tam odoratis, quam inodoris, fuſius hoc loco agere placet.

§. II.

Mucilago, quæ in ſimplicibus hiſce principium activum vel unicum, vel tamen primarium conſtituit, ſubſtantia glabra eſt, viſcoſa, temperata, in aqua ſolubilis, et ita præterea in igne fixa, ut citra mixtionis deſtructionem ſub deſtillatione humida, aut aperta evaporatione in ſublime evehi nequeat. Componitur ex *terra teneriori*, *phlegmate copioſo*, *acido ſubtili*, et *pauca ſubſtantia inflammabili*, vel *ſimpliciori* ſaltem ac *teneriori*, vel *craſſiori oleoſa*. Ordinario quidem partes aqueæ et terreæ prædominium obtinent, et ſalino-unguinoſo-oleoſæ, aut ſalino-inflammabiles ſubtiliores mixtionem quantitate minori ingrediuntur; alia tamen atque alia in diverſis mucilaginibus elementorum proportio obſervatur, et in hiſce comparative plus ſubſtantiæ oleoſæ, aut inflammabilis ſimplicioris, in illis plus terræ aut aquæ reperitur: Hinc vegetabilium quoque mucilagines generatim in *oleoſas*, *aquoſas*, et *terreas* dividuntur. Oleoſa v.g. mucilago obvia eſt in floribus chamomillæ vulgaris, aquoſa in radice liliorum et altheæ, et terrea denique in radice ſymphyti, atque ſeminibus farinaceis Cerealibus.

§. III.

Præter mucilaginem nonnulla etiam *ſal quoddam medium*, partibus viſcoſis immerſum,

ſum, alia ſimul *principium ſubtile*, *exhalabile*, *odoratum*, *balſamicum* fovent. Prius ad naturam *ſalis culinaris*, vel *tenerrimi nitri embryonati* accedit, et, ſenſim per radices cum ſucco nutritio e terra adductum, absque mutatione mucagini immergitur; Quare non ſemper in plantis hiſce reperitur, ſed præſentia ejus, et abſentia a ſolo natali, quod ſale culinari, aut nitro embryonato modo prægnans eſt, modo deſtituitur, derivanda venit. Alterum principium ſingulare, odoratis ſolummodo mucilagineis inhærens, in aliis *mere inflammabile*, in aliis *oleoſo-inflammabile* deprehenditur, et pro diverſa igitur teneritudine ſua citius aut tardius exhalando conſumitur.

§. IV.

A mucilagine vegetabili parum quoad indolem *Gelatina animalis* diſtincta eſt, præterquam, quod, loco ſalis aciduli, *tenerrimum quoddam ſal medium ammoniacale*, et longe major quoque *ſubſtantiæ oleoſæ craſſioris* portio mixtionem ejus ingrediantur; de quibus ſcitu neceſſaria alibi dudum (Sect. II. p. 113.) fuſius recenſita fuerunt.

(*a*) Nitrum ſubtile embryonatum in locis uliginoſis, putridis, ac ſtercoratis facillime generatur; hinc plantæ etiam, in ſolo ejusmodi creſcentes, notabilem plerumque ejus copiam cum reliquo ſucco attrahunt.

§. V.

Reſpectu virtutum atque uſus medici gelatinoſa et mucilaginea valde cum pinguibus et oleoſo-unguinoſis conveniunt. Mediante enim mucilagine ſua, quæ prompte in ventriculo a liquore gaſtrico ſolvitur, et extrahitur, animantium corpora plus minusve nutriunt, partibus ſolidis, duris, rigidis, exſiccatis mollitiem atque flexilitatem reddunt, eroſas demulcent, fluida indurata lubricant, mucum, qui meatuum parietes naturaliter obducit, reſtituunt, ſalia acria obtundunt, involvunt ac temperant, humoribus juſto tenuioribus decentem ſyſtaſin conciliant, et varia hac operatione motus nimios, dolores, atque ſpasmos mitigant et compeſcunt. Cum aliqua nihilominus limitatione memorata accipienda ſunt. Nam, licet quidem indicatæ virtutes generales ſingulis tribui queant, certo tamen certius eſt, eorum nonnulla, v. g. ſemina cerealia et gelatinas animantium, magis nutrire, alia, v. g. radicem liliorum alborum, altheæ etc., eminentiorem emolliendi ac lubricandi virtutem edere, alia, v. g. ſemen pſyllii et cydoniorum, efficacius demulcere, et alia denique, v. g. radicem ſymphyti et tragacantham, fortius incraſſare.

§. VI.

Ex recenſitis clare conſtat, quod uſus eorum internus et externus ad curandas multas

tas ac varias ægritudines extendi poſſit. Interne ſub forma decocti, infuſi, etc. exhibentur, et egregiam inprimis opem in febribus lentis et hecticis, inflammationibus eryſipelaceis, ſcorbuto, adfectibus arthriticis et rheumaticis calidis, epilepſia idiopathica, ab impuritate valde acri, nervis et membranis adhærente, oriunda, nec minus in ſpasmis dolorificis, dolore nephritico, ardore urinæ, ſtranguria, paſſione hypochondriaca et hyſterica, ſoda, dyſenteria, cholera, diarrhoea acido-pituitoſa, venenis cauſticis mineralis ac vegetabilis proſapiæ, eroſione ventriculi et inteſtinorum, teneſmo ani, ulcere renum, atque veſicæ, induratione fæcum alvinarum etc. ferunt: Externe autem, inter clyſteres, epithemata, cataplaſmata, fomenta, balnea, inſeſſus, et pediluvia recepta, multum contra cardialgiam, colicam, dolores a calculo, herniam incarceratam, tumores frigidos glandularum, rigiditatem ligamentorum, ariduram membrorum paralyticam, clavos pedum, ganglia, intertriginem, fiſſuras abdominis et mammarum, eroſionem pudendorum in fluore albo diuturniori, eroſionem urethræ in gonorrhoea virulenta, perniones, ambuſta, excrementa alvina indurata, aliaque hujus commatis mala, demulcentibus aut emollientibus maxime abigenda, vel mitiganda, valent.

* *

CAPVT II.

DE

RADICIBVS ALTHEÆ, MALVÆ, ET LILIORVM ALBORVM.

§. I.

RADIX ALTHEÆ ſive BISMALVÆ OFF., Eibiſchwurzel, oblonga eſt, digitum craſſa, in ramos divaricata, aliquantulum lignoſa, foris pallide cinerea, intus albicans, ſaporis mucilaginei, odoris nullius evidentis.

§. II.

Conſtat ex *partibus terreis*, *reſinoſis*, et *mucilagineis*. Mucilago, quæ præ reliquis principiis attentionem meretur, magnam ponderis partem conſtituit, et in uncia radicis una plerumque ad drachmas tres, et aliquot grana adſcendit. Valde emolliens, lubrica, temperata, ac ſatis quoque tenuis eſt: Infuſum enim aquoſum chartam bibulam, quanquam lente, penetrat, et blande evaporatum maſſam ſordide flaveſcentem, unguinoſam, inodoram, inſipidam, valideque emollientem, ac lubricantem relinquit: Silentio tamen non prætermittendum eſt, quod maſſa hæc, præter ſaporem mucilagineum, inter-

interdum leniſſimum quoque ſalſum guſtus organo imprimat.

§. III.

Propter mucilaginis teneritudinem hæc radix nonſolum inter clyſteres, balnea, epithemata, cataplaſmata, et unguenta *emollientia, antiſpaſmodica*, *anodyna* etc. recipitur, ſed interne quoque, *demulcendi*, *lubricandi*, *temperandi*, ac *relaxandi* fine, in cholera, dyſenteria, eroſione faucium atque ventriculi, ictero ſpasmodico, ſtranguria, ulcere renum, doloribus a calculo, teneſmo ani, tuſſi acri ſalſa, nec minus contra venena corroſiva, ſub decocti forma, adhibetur. Doſis a drachma dimidia ad drachmas duas extendi poteſt.

§. IV.

Radici Altheæ natura ac viribus RADIX LILII ALBI VVLGARIS, et RADIX MALVÆ, tam SYLVESTRIS FOLIO ROTVNDO C. B., quam ROSEÆ ſive HORTENSIS I. B. reſpondent, frequentius tamen, præſertim lilii radix, quæ mucilagine paullo craſſiori gaudet, in uſum externum, quam internum trahuntur. Parum quoque differunt FOLIA ALTHEÆ et MALVÆ SYLVESTRIS, nec minus FLORES LILIORVM ALBORVM, SAMBVCI, et MELILOTI vulgaris, præterquam, qnod *mucaginem tenuiorem*, quam radices memoratæ, in

mixtione foveant, et flores præterea recentes *principio volatili, odorato, balſamico, plus minusve expanſivo* inſtructi ſint, quod ſub exſiccatione tamen apud *flores liliorum alborum* et *ſambuci* maximam partem exhalando auffertur, ita, ut nulla poſtmodum, vel ſaltem minima ejusdem ratio habenda ſit.

* *

CAPVT III.

DE RADICE SYMPHYTI SIVE CONSOLIDÆ MAIORIS.

§. I.

RADIX SYMPHYTI ſive CONSOLIDÆ MAIORIS C. B. oblonga eſt, ſurculoſa, pollicem plerumque craſſa, foris nigra, intus albicans, ſaporis viſcoſo-mucilaginei, odoris nullius evidentis. Planta ſponte in locis humidis provenit, et menſibus Majo et Junio florem purpureum, monopetalum, quaſi campaniformem profert.

§. II.

Ad formandam mixtionem ejus naturalem *partes terreæ rudiores*, *reſinoſæ*, et copioſiſſimæ *mucilagineæ* concurrunt. Mucilago, cujus drachmæ ſex in una radicis ſicca-

tæ

tæ uncia hærent, inſipida, inodora, et adeo craſſa eſt, ut filtra, imo, citra expreſſionem, ipſa colatoria, tranſire renuat. Sub digeſtione præterea nunquam tota extrahitur, ſed ipſam in fine coctionem ad plenariam ſui ſeparationem poſtulat.

§. III.

Medici rationales noſtra ætate ab uſu hujus radicis interno, licet decoctum ejus in dyſenteria, hæmoptyſi, phthiſi, et ulcere renum atque veſicæ magnopere prodeſſe dicatur, plane abſtinent, quoniam extracta mucago, ob ingentem craſſitiem ſuam, ventriculo moleſta eſt, et vaſa bibula aliaque facile obſtruit. Externe inter cataplasmata, unguenta, et emplaſtra *conglutinantia traumatica* recipitur, et ſæpius cum fructu contra rupturas membranarum, hernias, fracturas oſſium, ac varia partium vulnera adhibetur. Subinde etiam, ſindoni tamen ſub coctione incluſa, clyſteribus, apud dyſentericos, demulcendi et obtundendi ſcopo, injiciendis, additur.

CAPVT

CAPVT IV.

DE RADICE SCORZONERÆ.

§. I.

RADIX SCORZONERÆ OFF., ſive *Scorzoneræ Latifoliæ Sinuatæ* C. B., Schlangenmord, Spaniſche Haberwurzel, oblonga eſt, nunc digiti minimi, nunc ſaltem calami ſcriptorii craſſitie, colore foris pallido, aut ferrugineo, intus albo, ſapore ſubdulci mucilagineo, odore nullo. Planta apud nos in hortis colitur, in *Hiſpania* autem in locis ſylveſtribus et campeſtribus ſponte creſcit; hinc vulgo etiam Scorzonera Hiſpanica nuncupatur. Radix recentiſſime effoſſa ſucco ſubdulci lacteo valde turget, qui ſenſim exſiccatur, et temporis progreſſu leniſſimum ſaporem amaricantem acquirit. Facile præterea carioſa redditur, quare ſemper recentiorem, rejecta prorſus exeſa vetuſtiori, ad uſum ſeligere præſtat.

§. II.

Recentior, integra, ac debite exſiccata *copioſo*, *ſubdulci*, ac *temperatiſſimo principio fixo*, tam *reſinoſo*, quam *gummeo*, donata eſt; portio gummea tamen, ſive mucilaginea copia,

pia, ſaporis dulcedine, et nutriendi facultate reſinoſæ aliquantulum præpollet. Extractum enim aquoſum primum, cujus quinque ferme drachmas ex una radicis uncia impetravi, contactu valde unguinoſum eſt, coloris fuſci, odoris debilis, ac grati, inſtar panis melliti, ſaporis dulcis mucilaginei: Extractum ſpirituoſum vero ſaltem drachmas duas, totidemque ſcrupulos pendebat, et ſaporem duntaxat ſubdulcem, blando ac grato balſamico leniſſime mixtum, linguæ imprimebat.

§. III.

Inter alimenta non minus, quam medicamenta, *analeptica*, *demulcentia*, ac *temperantia* locum ſibi vindicat, et in hectica inprimis, phthiſi, ſcorbuto, tuſſi acri ſalſa, eroſione partium internarum, dyſenteria, calculo, iſchuria, febribus ardentibus, adfectibus ſcabioſis, arthriticis, et rheumaticis, ſingulisque morbis reliquis, ex humorum acrimonia oriundis, utiliſſima deprehenditur. In ſcriptis plerisque etiam virtus ejus alexipharmaca magnopere laudatur; aſt hanc ipſam, cum ſolide e principiorum natura explicari nequeat, imaginariam prorſus, vel valde tamen exiguam eſſe, credo. Præſcribitur in decocto aquoſo, a drachma una ad unciam dimidiam, vel juſculis ac carnibus additur. In officinis quoque *Radix condita* proſtat.

CAPVT

CAPVT V.

DE

SEMINE PSYLLII ET CYDONIORVM

§. I.

SEMINA PSYLLII ANNVI ſive MAIORIS ERECTI C. B. Flöh-Saamenkraut, parva ſunt, oblonga, lubrica, ſplendentia, forma pulicibus non diſſimilia, coloris fuſci aut fuſco-punicei, ſaporis mucilaginei, nauſeoſi, et in receſſu ſubacris, odoris nullius. Planta in *Gallia*, *Italia*, et quibusdam *Germaniæ* locis incultis ſponte progerminat, et hinc inde quoque in hortis ſeritur.

§. II.

Principium mucilagineum, quod ſub uſu medico unice conſiderationem meretur, *tenue* quidem, *temperatum*, ac *valde lubricum* eſt, *paucas* nihilominus, easque *tenerrimas*, *particulas acres ſalinas* in ſinu ſuo fovet reconditas. Infuſum aquoſum colore aureo, quem cortici magis, quam ipſi mucilagini, debet, tinctum cernitur, et odore nullo, ſapore mere mucilagineo, nonnihil nauſeoſo, gaudet. Chartam bibulam ob tenuitatem ſuam, licet contactu ſatis unguinoſum ac lubricum ſit, maximam partem penetrat, et moui-

modica duntaxat portio, quæ craſſioris conſiſtentiæ eſt, per linteum leniter exprimenda eſt. Poſt blandam evaporationem maſſa, adſpectu ſordida, fuſco-nigricans, odoris debilis nauſeoſi, ſaporis mucilaginei, ſubtili tamen acredine mixti, relinquitur. Mucilago hæc ſeminibus copioſe inhæret, et exigua ejus quantitas, v. g. ſcrupulus unus quatuor ferme unciis aquæ conſiſtentiam lubricam, et unguinoſam inducere valet.

§. III.

Potentem hæc ſemina *lubricandi*, *demulcendi* ac *temperandi* facultatem poſſident, rariſſime nihiloſecius, ob latentem et ſuſpectam acredinem, quodammodo cauſticam, interne præſcribuntur, ſed uſus extractæ mucilaginis plerumque externus eſt contra raucedinem, aſperitatem faucium, anginam, fiſſuras labiorum, linguæ, mammarum, et abdominis, ophtalmiam ſiccam, ambuſta, intertriginem, aliasque partium ſolidarum eroſiones. Subinde etiam in dyſenteria et teneſmo ani clyſteribus miſcetur.

§. IV.

SEMINA CYDONIORVM, Quittenkern, intuitu principii *mucilaginei*, Pſyllii ſeminibus quodammodo analoga reperiuntur, ſubtili tamen ac cauſtica acredine carent, et gratiora igitur ac longe tutiora ſunt. *Mucilago*, qua

qua mirifice abundant, frigida etiam aqua facile, et intra breve tempus, ſi ſemina obiter ſaltem contuſa fuerint, ſolvitur atque extrahitur, et protinus aquæ formam et conſiſtentiam gelatinæ albicantis, obſervata nimirum juſta aquæ et ſeminum quantitate relativa, conciliat. Ad magnam autem aquæ copiam modica ſaltem ſeminum quantitas requiritur: Nam plus ſimplici vice obſervavi, unicam drachmam ſeminum tres fere aquæ uncias ita mucilagine ſubdulci ac temperatiſſima imprægnaſſe, ut vix amplius diffluere potuerit. Quando ſpiſſiuſculum hoc infuſum blande evaporatur, conſtanter odorem gratum, odori, quem nuclei ceraſorum contuſi, aut choccolada, cum lacte cocta, ſpirant, ſimillimum, emittit, tandemque colorem ſordide ac pallide fuſcum ſortitur, remanente tamen priſtino ſapore temperato, ſubdulci, ac mucilagineo. Ex drachma ſeminis una dimidiam circiter drachmam hujus maſſæ inſpiſſatæ impetravi.

§. V.

Egregie hæc mucilago partes ſolidas eroſas, fiſſas, ambuſtas demulcet, meatus lubricat, ac contra ſtimulos contentorum defendit, humores juſto tenuiores paullulum incraſſat, et acrimoniam ſalinam quamcunque involvit, obtundit, ac temperat; quare non externe ſolum, ad corrigenda vitia, in præceden-

cedentibus (§. 3.) dudum indicata, adplicatur, ſed frequentiſſime etiam interne, vel per ſe, vel cum ſyrupis, aliisque adpropriatis mixta, contra eroſionem faucium, et ventriculi, dyſenteriam, tuſſim ſalſo-acrem, he-cticam, ſcorbutum, ulcus renum, ſtranguriam, venena cauſtica etc. in uſum trahitur.

CAPVT VI.

DE HORDEO ET AVENA.

§. I.

GRANA HORDEI VVLGARIS et AVENÆ ALBÆ non tantum inter alimenta animantium, ſed etiam inter medicamenta diu pridem locum invénerunt. In craſſiori enim ſubſtantia ſua farinacea *ſubtile* atque *ſubdulce principium mucilagineum*, *tenerrimo quodam* atque *refrigerante ſale nitroſo embryonato* plerumque permixtum, fovent: Non pertinet tamen ſalina hæc materia ad vera ac neceſſaria mucilaginis principia conſtitutiva, ſed e ſolo ſtercorato aqua extrahitur, ac ſimul cum ſucco nutritio in plantam deducitur, ibidemque poſtea mucilagineæ ſubſtantiæ obiter immergitur; hinc ſub virium quoque determinatione ad ſalinum hoc prin-

 cipium

cipium non adeo rigoroſe reſpiciendum erit.

§. II.

Sub coctione blanda cum aqua ſimplici, ad granorum usque crepaturam protrahenda, ſola ſubſtantia mucilaginea tenerior, relicta farinacea craſſiori, extrahitur, et eximias menſtruo ſuo vires *demulcentes*, *temperantes*, *refrigerantes* conciliat; quare ptiſanæ quoque ſive decocta hordeacea et avenacea frequentiſſimi uſus ſunt, et in morbis quamplurimis, maxime autem in febribus continuis cujuscunque generis, inflammationibus, hæmorrhagiis exorbitantibus, rheumatiſmis, adfectibus ſpasmodicis et arthriticis, ſcorbuto, mania, obſtructione viſcerum, calculo, dyſenteria, tuſſi, aſthmate etc. multum plerumque auxilii ferunt *(a)*. Hiſce tamen addendum erit, laudatam utriusque decocti efficaciam medicam a ſola nequaquam mucilaginis virtute demulcente, temperante, ac refrigerante, ſed ſimul quoque a *diluendi* facultate, quæ aquoſo duntaxat menſtruo competit, deducendam eſſe.

§. III.

Non deſtituuntur quoque cerealia hæc ſemina uſu externo: Nam avena leniter toſta

(a) De uſu multiplici atque egregio Decocti avenacei plura in LOWERI *Bromographia* videri poſſunt.

ſta perſæpe, vel ſola, vel baccis juniperi, lauri, ſemine cumini, ſale culinari, et ſimilibus mixta, ſacculis includitur, et modice calefacta abdomini contra tormina colica et hyſterica, partibusque aliis, ad dolores rheumaticos mitigandos, imponitur. Farina quoque ejus, ut et farina hordei haud raro inter emplaſtra recipitur, vel per ſe, cum aqua prius in pultem cocta, abſceſſibus, furunculis etc., maturandi ſcopo, adplicatur. De reliquo uſu, quem farina hordei et avenæ interne habet, nihil addo, quum hominibus etiam plebejis jam notiſſimus ſit.

* *

CAPVT VII.

DE GVMMI ARABICO ET TRAGACANTHO.

§. I.

GVMMI ARABICVM OFF. eſt ſubſtantia ſicca, dura, fragilis, ordinario in grumos globoſos, magnitudine juglandis, vel grandiores etiam, aut minores, extus ſcabros paululum, ac quaſi rugoſos, intus læves, ſplendidos, pellucidos, rarius in maſſulas oblongas, rectas, ac teretes, aut, erucæ in ſe convolutæ inſtar, contortas, condenſata, coloris vel albicantis, vel pallide flavi,

vel rufeſcentis, ſaporis fatui viſcoſi, odoris nullius. Pellucidum, nitens, candidum, aut pallide flaveſcens exiſtit præſtantius, rufeſcens vero ac ſordidum deterius judicatur, et mechanicis ſolummodo uſibus impenditur.

§. II.

Adfertur ex *Ægypto*, *Arabia*, et quibusdam *Africæ* oris, ubi ex fiſſuris corticis trunci et ramorum *Acaciæ veræ* I. B. ſive *Acaciæ foliis ſcorpioides leguminoſæ* C. B. ſponte profluit. Gummi perfectum eſt, ac totum aqua ſimplici ſolvitur, in oleis autem et ſpiritu vini nullam plane diſſolutionem patitur, nec ullam quoque, igni admotum, flammam concipit, ſed ſenſim in fumum et carbonem convertitur. Quando deſtillationi in retorta ſubjicitur, et mixtio naturalis deſtruitur, primo phlegma copioſum, limpidum, inſipidum, inodorum, deinde liquor acidus rufeſcens, tandemque parum liquoris alcalici, nove geniti, et olei, tum tenuioris, tum craſſioris, prodeunt. In retorta maſſa nigra carbonaria relinquitur, quæ quartam circiter totius ponderis partem explet, et, fortius in crucibulo, igne reverberii, calcinata, cineres ſuppeditat leucophæos, e quibus pauxillum ſalis fixi alcalici aqua extrahi poteſt. (*a*)

§. III.

(*a*) Conf. Geoffroy in Mat. Med. T. II. p. 575.

§. III.

Contra adfectus varios, maxime autem contra phthiſin, hecticam, hæmoptyſin, tuſſim, catarrhos acres, raucedinem, anginam ſpuriam, ſcorbutum, dyſenteriam, ardorem urinæ, ſtranguriam, et renum exulcerationem interne et externe in uſum trahitur, quoniam partes eroſas demulcet, acrimoniam humorum obtundit, involvit, ac temperat, ſuccos juſto tenuiores paullulum incraſſat, et mucum naturalem ventriculi, inteſtinorum, aliorumque meatuum reſtituit. Pro uſu interno pulveribus, trochiſcis, electuariis, decoctis, et infuſis additur, vel per ſe etiam, in aqua prius ſolutum, a ſcrupulo uno ad drachmam unam, propinatur. Externe gargariſmata, collyria, lavamenta, unguenta, et clyſteres ingreditur, et pulveriſatum quoque ulceribus, humore ichoroſo cauſtico turgidis, inſpergitur.

§. IV.

TRAGACANTHA ſive TRAGACANTHVM OFF. itidem ſubſtantiam denotat gummoſam, ſiccam, nonnihil tamen lenteſcentem, ſemidiaphanam, modo in grumos, modo in filamenta longa, teretia, varie complicata, vermicularia, concretam, coloris albicantis, flaveſcentis, rufeſcentis, aut nigricantis, odoris nullius, ſaporis inertis viſcoſi. Eligenda eſt tragacantha pura, candida,

dida, vermicularis, rejicienda contra ſordida, rufeſcens, ac nigricans. Planta, cujus truncus ac rami ſuccum hunc gummoſum, partim ſponte, partim prævia corticis vulneratione, fundunt, in *Græcia*, *inſula Creta*, et *Aſia* naſcitur, et TOVRNEFORTIO *Tragacantha Cretica incana, flore parvo, lineis purpureis ſtriato*, audit. (*a*)

§. V.

Quoad naturam, vires, et uſum cum gummi Arabico convenit, præterquam, quod plus acidi et terræ, minus olei in mixtione ſua contineat, et viſcoſioris proinde conſiſtentiæ ſit. Aqua macerata valde intumeſcit, et in denſum ac ſpiſſum mucum, affuſa magna aquæ quantitate vix diſſolvendum, convertitur: Quare interne et externe magis incraſſandi, quam demulcendi ſcopo adhibetur, et a pharmacopæis inprimis, ad ſacharum et pulveres in rotulas, morſulos, trochiſcos, pilulas etc. redigenda, uſurpatur.

§. VI.

Ad eundem cenſum etiam GVMMI *Ceraſorum*, *Prunorum*, *Pomorum*, *Perſicorum*, et *Armeniacorum*, nec minus *Gummi* illud Africanum, *Senega*, itemque *Seneca* dictum, ſpectant, dum ita prorſus forma ſua externa, con-

(*a*) Prolixam hujus plantæ fruticoſæ deſcriptionem vide apud vix allegatum *Godofredum* l. c. p. 578.

conſiſtentia, indole, atque virtute ad gummi Arabicum accedunt, ut vice ejus, quoties neceſſe, in Medicina commode perfungi queant.

* *

CAPVT VIII.

DE

ICHTHYOCOLLA ET RELIQVIS ANIMANTIVM GELATINIS.

§. I.

ICHTHYOCOLLA, Hauſenblaſe, eſt gelatina inſpiſſata, membranæ æmula, ex albo flaveſcens, aut candida, ſaporis glutinoſi, odoris nullius. Ex inteſtinis, ventriculo, veſica, corio, immo pinnis et cauda magni cujusdam piſcis, qui *Huſo* dicitur, et in *Ponto Euxino*, *Danubio*, ac *plurimis Ruſſiæ* atque *Tartariæ fluviis majoribus* frequens eſt, aqua excoquitur, ac debite, poſt ſufficientem inſpiſſationem, in polito ac pingui aſſere diducta, ſub refrigeratione in lamellas tenues, quaſi membranaceas, indureſcit.

§. II.

Uſum magis mechanicum et oeconomicum, quam medicum habet, poteſt tamen in dyſenteria, diarrhoea, ceterisque morbis, in

quibus incraſſantia ac demulcentia hujus claſſis proſunt, cum fructu abhiberi, ſi aqua nimirum, vel vino, coctionis aut digeſtionis ope ſolvitur, et decoctum poſtea aut infuſum tepidum cochleatim adſumitur. Externe clyſteres maxime ingreditur, prætertim illos, qui apud dyſentericos, ad mitigandam dolorum acerbitatem, injiciuntur.

§. III.

Reliquæ GELATINÆ ANIMALES, v. g. *Gelatina Eboris*, *Cornu cervi*, *Crurum vitulinorum* etc., nullam ſpecialem hoc loco conſiderationem merentur, quoniam, ob uſum creberrimum, notiſſimæ ſunt, et ſingulæ præterea virtutes medicæ, quæ Gelatinoſis Cap. II. in genere adſcriptæ fuerunt, illis perfecte competunt. Hoc unicum ſolummodo monendum duco, gelatinas haſce ichthyocollam tenuitate ac teneritudine ſuperare, et eidem proinde, intuitu uſus medici interni, longe præferendas eſſe.

SECTIO XVI.

DE SICCIS SVLPHVREIS, MERCVRIALIBVS, SVLPHVREO-MERCVRIALIBVS, SVLPHVREO-REGVLINIS, ET METALLICIS, SEMIMETALLICIS, AC TERREIS MARTIALIBVS.

CAPVT I.

DE SVLPHVRE VVLGARI MINERALI.

§. I.

SVLPHVR VVLGARE ſive COMMVNE OFF. eſt concretum minerale ſalino-inflammabile, durum, ſiccum, pulveriſabile, in maſſas oblongas, craſſas, cylindraceas ordinario condenſatum, coloris ſubflavi, citrini, aut ſubviridi-flaveſcentis, ſaporis et odoris, niſi accendatur, aut fortius in mortario teratur, nullius evidentis. Occurrit etiam ſulphur *rubellum*, *rubrum*, *flavo-rubeſcens*, ac *gryſeum;* aſt nunquam hæ ſpecies, ob partium arſenicalium aut terrearum miſcelam, uſui medico ſerviunt.

§. II.

Quanquam ſulphur minerale, cujuscunque etiam coloris ſit, geneſin ſuam ſoli debeat naturæ, a plerisque nihilominus, quum aliqua hominum opera utplurimum ad ſeparationem neceſſaria inveniatur, in *nativum* et *factitium* dividitur, ac binæ nativi, tres factitii ſpecies recenſentur. *Foſſile nativum*, vulgo *ſulphur vivum* nuncupatum, vel *purum* omnino eſt, vel impurum. Hoc in *Italia*, *Islandia*, et alibi locorum e fodinis ſulphureis, vel etiam circa montes ignivomos, eruitur, et variis recrementis terreis, arenoſis, lapideis, aliisque permixtum eſt, adeoque depurationem, antequam trahi poſſit in uſum, poſtulat: Illud vero purum ac ſemidiaphanum exiſtit, et colore vel citrino, vel rubeſcente, vel rubro gaudet; quæ rubedo tamen ſulphuri proprie non competit, ſed unice ab admixta ſubſtantia arſenicali deducenda eſt: Hinc quo intenſior adeſt rubedo, eo major arſenici quantitas inhæret, ita, ut ſulphur ſaturate rubrum magis rubri arſenici, quam ſulphuris ſpecies, æſtimandum ſit. Ad ſpecies factitias referuntur 1) *Sulphur ſtillatitium*, citrinum aut flavo-virideſcens, 2) *Sulphur vulgare Officinarum*, flavum, flaveſcens, et ſubviridi-flaveſcens, et 3) *Sulphur caballinum.* Sulphur *ſtillatitium* in ſuppoſita vaſa fictilia deſtillat, quando Goslariæ, et alibi pyritæ martiales, et marcaſitæ ſulphureo-venereæ,

reæ, ſubſtratis et interpoſitis ligni ſegmentis, in acervos, toſtioni in aere libero ſubjiciendos, congeſtæ, accenduntur. Sulphur *vulgare*, in Officinis venale, ſublimationis beneficio, in retortis ferreis aut lapideis, methodo, a *Clariſſ.* HENCKELIO in *Pyritologia* deſcripta, e pinguibus pyritis, ceterisque marcaſitis metallico-ſulphureis ſeparatur, partim ex foveis, quæ in prædictis pyritarum acervis, ſeu rogis accenſis, vel ſpontanea partium ſubſidentia naſcuntur, vel ſtudio ab operariis, quamprimum minera ignitione protracta mollior reddita fuit, imprimuntur, et ſulphure liquefacto paullatim replentur, ferreis cochlearibus exhauritur: Unde conſtat, hoc, et ſulphur ſtillatitium, ſi illud ſemel duntaxat repetita liquefactione, et quisquiliarum ſubſidentia fuerit depuratum, nihil plane diſcriminis intercedere. Sulphur *caballinum* denique ex fæcibus, poſt depurandi ſulphuris ordinarii liquefactionem ad fundum ſecedentibus, concreſcit, et nullius pene utilitatis eſt, præterquam, quod equis, unde etiam cognomen accepit, a mulo-medicis exhibeatur.

§. III.

Sulphur minerale purum e binis ſolummodo principiis, arctiſſime invicem unitis, ex *tenera* videlicet *ſubſtantia inflammabili*, et *acido minerali primo*, ac *ponderoſiſſimo*, quod vul-

vulgo *acidum vitriolicum* vocant, componitur (*a*). Probant dicta diacriſeos non minus, quam ſyncriſeos exempla. Ex ſic dicto enim hepate, uti alibi pridem fuſius retuli, pars inflammabilis, blanda, lenta, et aperta calcinatione ita ſeparatur, ſenſimque in auras expellitur, ut ſolum acidum remanens cum alcali fixo perfectum ſal neutrum, tartaro vitriolato ſimillimum, producat, quod rurſus tamen, cum adjecto carbonum pulvere colliquefactum, priſtinam hepatis formam et indolem recuperat. Chymicis quoque noto notius eſt, ex magmate terreo-reſinoſo nigricante, poſt olei et ſpiritus vitrioli dulcis deſtillationem relicto, ut et ex oleis, reſinis, atque

(*a*) HOMBERGIVS ſulphuri vulgari minerali praeter phlogiſton et acidum vitrioli multum quoque *terrae ſimplicis rudioris*, et pauxillum *metallicae*, venereae proſapiae, tribuit: Veruntamen ſententiam hanc veritati repugnare, et auctorem hunc examine ſuo, quod in Actis Societatis Regiae Pariſinae ann. 1703. deſcripſit, deceptum fuiſſe, palam pronunciare audeo. Nam 1) ſulphur impurum adhibuit, et 2) ſatis magnam olei terebinthinae quantitatem ſulphuri ſuperfudit. Inde quippe non ſuſpicari ſolum, ſed clare cognoſcere licet, moleculas cupreas ſulphuri impuro, non tanquam principia conſtitutiva, ſed tanquam corpuſcula heterogenea, inhaeſiſſe, et nigram quoque terram, quam deinde cum borace in vitrum gryſeo-fuſcum fuſione redegit, maximam partem, quin unice forſan, ex oleo terebinthinae, quod terra abundat, eductam et ſeparatam eſſe.

atque gummatibus, cum oleo vitrioli combinatis, ex retorta ſpiritus, ſulphurei odoris, et ſulphureæ indolis, deſtillari, quin, decenti adhibita encheireſi, verum ſulphur, minerali analogum, ſublimari poſſe. Plura experimenta, quæ in promtu habeo, adducere nolo, ſed hoc unicum duntaxat addo, acidum in ſulphure adeſſe copioſum, partem phlogiſtam ſive inflammabilem vero, licet ſulphur facile flammam concipiat, ac totum ea conſumatur, exigua admodum quantitate mixtionem ingredi. In integra quippe libra, teſte NEVMANNO (*a*), nondum duæ drachmæ reperiuntur, et tota pars reliqua, ultra uncias quindecim et drachmas ſex pondere adſcendens, ſal acidum ponderoſiſſimum eſt.

§. IV.

Menſtrua lixivioſa concentrata ſulphur, ſi fortior ac diuturnior coctio accedat, ſuperficiarie ſolvunt, aqua autem et ſpiritus vini nihil illi eripere valent, niſi tenerrimas quasdam moleculas inflammabiles (*b*), quæ in

(*a*) V. Lect. de Sulphure.

(*b*) Infuſum ſulphuris pulveriſati ſpirituoſum colore quidem, ſapore, et odore purum duntaxat vini ſpiritum refert, nec quicquam etiam, viſu cognoſcendum, poſt evaporationem relinquit; vacua nihilominus et prorſus exſiccata concha vitrea, in loco calido adhuc detenta, aliquamdiu

in conſpicuam tamen molem colligi ac condenſari nequeunt. Odorifera ejusmodi effluvia etiam prodeunt, quando ſulphur in mortario marmoreo, vel ſiccum, vel aqua humectatum, aliquamdiu teritur, aut in loco calido, ubi incaleſcere quidem, minime tamen fluere, aut ſublimari poſſit, collocatur. Unde cognoſcere licet, ſulphur minerale, ſub forma pulveris exhibitum, itemque flores ejus, neque ſolvi poſſe in ventriculo, neque vaſa bibula et lactea quoad rudiorem ſuam molem ſubire, ſed pauciſſimas duntaxat, tenerrimas, odoratas, particulas inflammabiles, ſenſim liquoris gaſtrici, caloris, et motus periſtaltici actione detritas, et volatiles redditas, per ductus memoratos inhalando ad ſanguinem penetrare.

§. V.

Vires *demulcentes*, *obtundentes*, et *pectorales* huic concreto a plerisque ſcriptoribus tribuuntur, idemque in phthiſi inprimis, tuſſi acri ſalſa, aſthmate metallicolarum, ſcabie, ſcorbuto, doloribus a calculo, dyſuria, et colica ſaturnina ſpecifice prodeſſe dicitur: Verum enim vero, ſi palam fateri licet, quid ſentiam, parum omnino elogiis hiſce fidendum

ſatis fortem odorem ſulphureum emittit; unde manifeſtum eſt, tenerrima omnino ramenta, quæ conſpicuam tamen molem formare nequeunt, ſub digeſtione a ſulphure avelli.

dum eſſe, pronuncio. Admitto quidem aliquam demulcendi poteſtatem in iis morbis, qui ſedem ſuam primariam in ventriculo et inteſtinis habent; quod amplius autem ad ſanguinem, lympham, pulmones, renes etc. extendi poſſit, adſerere non audeo. Nam, ſi integris ſulphuris pulveriſati moleculis, ob cauſſas antea indicatas, tranſitus in vaſa ſanguifera et lymphatica interdictus eſt, et pauciſſimæ duntaxat particulæ odoratæ, ſeu tenerrima ramenta inflammabilia, inhalationis beneficio, ad humores circulantes pervenire poſſunt, non video ſane, unde tanti effectus in pulmone, aſpera arteria, renibus etc. derivandi ſint. Uſus externus in intertrigine, ulceribus ichoroſis, et ſcabie non adeo magni momenti eſt, immo in morbo poſtremo, ſi ſulphur ſcilicet, uti moris eſt, cum oleoſis miſcetur, et ſub unguenti forma adplicatur, creberrime noxius deprehenditur, quoniam craſſa ejusmodi unguenta poros cutaneos obſtruunt, et facile igitur excernendæ materiæ regreſſum ad interiora procurant, vel eidem ad minimum occaſionem præbent.

CAPVT

CAPVT II.

DE PVLVERE LYCOPODII.

§. I.

PVLVIS LYCOPODII, quem alii etiam *Sulphur*, itemque *Semen Lycopodii* nuncupant, ſubtiliſſimus eſt, leviſſimus, ſicciſſimus, contactu leniſſimus, inflammabilis, flaveſcens, ſaporis et odoris nullius. Excutitur menſibus Auguſti et Septembri ex parvis atque ſquamoſis clavis *Muſci terreſtris clavati* C. B., qui in ſiccis et arenoſis *Poloniæ*, *Lithuaniæ*, et *Ukrainiæ* tractibus uberrimi proventus eſt, et ab incolis frequentiſſime, tanquam ſingulare ſpecificum, interne ſub forma decocti, externe in unguento, contra ſic dictam Plicam Polonicam adhibetur.

§. II.

Tenerrima hæc ſubſtantia pulverulenta ſingularis plane naturæ eſt, et ex *terra* duntaxat, et *ſubtili materia oleoſo-inflammabili* componitur; quemadmodum hæc ſubjuncta experimenta, et obſervationes uberius docebunt:

I. Menſtrua aquea et aqueo-ſalſa nullum ingreſſum inveniunt, nihilque, notatu dignum, licet fortior etiam ac diuturnior

nior digeſtio accedat, extrahunt, ſed aqua ſimplex aut ſalſa filtrum chartaceum limpida tranſit, ac tota pulveris moles ſine conſpicua mutatione relinquitur, interioresque chartæ bibulæ parietes circumquaque obducit. Si quantitate quoque ſufficienti aquæ frigidæ inſpergitur, denſa molecularum aggregatione ac cohæſione pinguem quaſi cuticulam in ſuperficie format, ita, ut digitus citra humectationem ad fundum usque imimmergi poſſit.

II. Spiritus vini rectificatiſſimus ſub blanda digeſtione tenuem quidem colorem flaveſcentem conſequitur, poſt filtrationem nihilominus et evaporationem plenariam, nil, niſi tenerrimum duntaxat pulviſculum, cujus pondus, niſi magna pulveris lycopodii quantitas adhibita fuerit, ob molem exiguam determinari nequit, in fundo vaſis relinquit.

III. Aquæ ſtygiæ in principio innatat, deinde autem, digeſtione nimirum advocata, atque frequenti ſimul vitri concuſſione ſuſcepta, maximam partem ad fundum deſcendit, nullam ſingularem tamen ſolutionem aut extractionem patitur. Nam liquor, aqua ſimplici debilitatus, ac poſtea filtratus, aquæ puræ limpiditate gaudet, et, inſtillato demum oleo tartari per deliquium, debi-

lem flavedinem induit, paullulumque turbidus redditur. Die ſequenti priſtina pelluciditas reſtituta, immo aucta cernitur, et color dilute aureus eſt, in fundo autem tenerrima materia albicans ſalino-terrea, ſenſim ſenſimque præcipitata, in conſpectum venit, quæ liquore decantato exſiccata, colorem albido-flaveſcentem, debilemque ſaporem ſalſum obtinet. Sedimentum hoc aqua ſimplici quoad aliquam partem denuo ſolvitur, eidemque flaveſcentem colorem conciliat, pars rudior albicans terrea autem in fundo indiſſolubilis remanet.

IV. Lixivia concentrata, ex alcali fixo parata, parum quoque huic pulveri eripiunt, et pallida tantum flavedine poſt digeſtionem et filtrationem tincta conſpiciuntur, nihilque propemodum, inſtillato liquore acido, ad fundum dimittunt.

V. Nitro fluenti injectus moderatam detonationem ſubit, et protinus quoque, flatu per anguſtam fiſtulam verſus candelæ flammam propulſus, accenditur, tantaque celeritate conſumitur, ut fulguris illuſtrationi phyſicæ inſerviat; in carbone candente autem nunquam flammam concipit, ſed partim in fumum,

par-

partim in carbonem terreſtrem convertitur.

VI. Sub deſtillatione ſicca, teſte NEVMANNO (*a*), notabilem olei empyrevmatici quantitatem reddit, et copioſum pariter caput mortuum terreum in retorta relinquit.

§. III.

Collocatur vulgo inter medicamenta demulcentia, anodyna, et ſedativa, auxiliumque non contemnendum, ab aliquot ſcilicet granis ad ſcrupulum integrum exhibitus, in epilepſia, dolore nephritico, eroſione ventriculi et inteſtinorum, torminibus ventris et cardialgia infantum, tuſſi, et ſcorbuto ferre creditur: An memoratæ autem virtutes rationi reſpondeant, aut repugnent, ex præmiſſis experimentis attentos facillime cognituros, ſpero. Ego ſane lubentius negantium, quam adfirmantium ſententiæ, non ſimpliciter tamen, ſed cum aliqua limitatione, ſubſcribam. Probabile nempe mihi videtur, pulverem hunc demulcendo et obtundendo boni quidquam in torminibus ventris, ſimilibusque ventriculi et inteſtinorum morbis præſtare poſſe; quod in reliquis autem, quorum cauſſa in ſanguine, lympha, et viſceribus remotis latet, ſalutarem effectum edere valeat, adſerere nolo, quum nulla ejus

(*a*) L. c. p. 913.

in ventriculo ſolutio, nec ſingularis quoque extractio contingat, et parum itaque vel nihil activi ad humores circulantes penetret. Poteſtas demulcendi ſub ad-et inſperſione externa certior eſt, et uſum itaque ejus in intertrigine, et ulceribus ichoroſis præcipue ſuadendum eſſe arbitror.

§. IV.

Ejusdem naturæ atque virtutis etiam *Pulvis* ille *flaveſcens* eſt, qui in IVLIS CORYLORVM, ALNORVM etc., nec minus in STROBILIS TENELLIS PINI ET ABIETIS reperitur: Præ reliquis tamen pulvis julorum coryli æſtimatur, et in epilepſia inprimis pulveri lycopodii, quanquam ſine ſufficiente ratione, præfertur.

CAPVT III.

DE MERCVRIO VIVO SIVE CVRRENTE.

§. I.

MERCVRIVS VIVVS, *Mercurius Currens*, *Argentum vivum*, *Hydrargyrum*, eſt corpus ſemimetallicum, fluidum, ſiccum, mobiliſſimum, in igne fortiori totum volatile,

tile, poſt aurum ponderoſiſſimum, et argenti inſtar nitens. Dividitur vulgo in *Virgineum* et *Vulgarem:* Hic in *Hiſpania*, *Bohemia*, *Hungaria*, *Carnia*, *Regno Americæ Peruviaño*, et aliis quibusdam regionibus partim ex *cinnabari nativa*, partim ex *minera dura*, *ſaxea*, partim ex *gleba foſſili*, *molliori*, *ſulphureo-limoſa*, *argillacea* etc., deſtillationis deſcenſoriæ ope, ſeparatur et educitur; ille autem in terræ viſceribus, quanquam rarius, jam currens reperitur, et in locis, ubi ſponte effluit, absque ulla opera alia colligi poteſt.

§. II.

Vera liquidi hujus ſemimetalli elementa nondum ſatis detecta ſunt, licet multi chemici varia cum eo experimenta ſuſceperint, ac ſedulo in ſpecificum mixtionis modum inquiſiverint. Parum interea hoc loco referre videtur, an memorata nota ſint, nec ne: Mercurius vivus enim in animantium corporibus nunquam radicaliter, h. e., in partes diſſimilares ſeu conſtitutivas, diſſolvitur, ſed, in minutiſſimos duntaxat globulos homogeneos diviſus, vaſa intrat ac permeat, tandemque, ſervata prorſus mixtione priſtina, iterum per patula oſtiola cutis, glandularum etc. exit.

§. III.

Ore adſumtus e ventriculo et inteſtinis, etiamſi fluidum ſit mobiliſſimum, nunquam in vaſa lactea ac bibula venoſa tranſit, ſed denuo per alvum, citra ſingularem formæ mutationem, ac citra ponderis decrementum, excluditur (*a*): Per poros cutis autem, ſeu rectius, per hiantia orificia vaſculorum inhalantium et abſorbentium facillime humores circulantes ingreditur, et ad intimos corporis receſſus penetrat, quando forti calore in effluvia reſolvitur, vel, cum pinguedine etiam in unguentum redactus, tritu aliquamdiu continuato impellitur; quemadmodum prius apud aurifabros, aliosque, qui argentum vivum in igne tractant, poſterius vero apud ægros venereos, inunctione mercuriali curandos, creberrime obſervare licet.

§. IV.

Salia acida prompte recipit, et in corpore proinde, præſertim impuro, non tantum, propter eminentem ponderoſitatem ſuam, valide premendo, verum etiam abſorbendo, et poſtea pariter, quamprimum per adhærentes, et arctius unitas partes acidas moleculis globoſis magna acredo, quin corroſiva nonnunquam indoles, conciliatur, fortiſſime ſtimu-

(*a*) Conf. Miſcell. Acad. N. C. G. Dec. I. Ann. 6. Obſ. 176. Vid. etiam Mat. Med. T. I. Sect. I. p. 22.

ſtimulando, pungendo, et incidendo operationem ſuam exercet: Unde ratio quoque facile cognoſcitur, cur, hoc vel illo modo uſurpatus, in deſperata paſſione iliaca, lue venerea, ejusdemque ſymptomatibus ac prodromis, adfectibus ſcabioſis, tumoribus glandularum frigidis, gangliis, tophis, fungis, cancro occulto etc. notabile plerumque auxilium ferat, immo in nonnullis, v. g. lue venerea, et ſcabie ſpecifice prorſus conducat. De virtute anthelmintica, quam plerique illi tribuunt, multa addere ſupervacaneum duco, quum ſatis incerta ſit: Nam licet quidem mercurius dulcis vermibus valde infeſtus reperiatur, ab illo tamen ad vivum nulla concluſio valet.

CAPVT IV.

DE CINNABARI NATIVA.

§. I.

Cinnabaris, Zinnober, eſt ſiccum ac ponderoſum concretum ſulphureo-mercuriale, gratiſſima quidem poſt depurationem et perfectam trituram rubedine, nullo autem odore, nullo ſapore præditum.

§. II.

Triplex cinnabaris ſpecies, *Nativa* videlicet, *Factitia vulgaris*, et *Cinnabaris antimonii*, civitatis pharmaceuticæ jura ſucceſſive adepta eſt (*a*). Cinnabaris nativa, quæ hoc loco primarium tractationis objectum conſtituit, in *Carinthia*, *Styria*, *Carniola*, *Bohemia*, maxime autem *Andaluſia* et *Biſcaia*, binis

(*a*) Nonnulli triplici huic cinnabaris ſpeciei adhuc quartam, nimirum lunæ cinnabarim, addunt, quid? quod, concretum tale cinnabarinum ex omnibus metallis, eadem methodo, mutatis tamen pro metallorum diverſitate mutandis, præparari poſſe perhibent. Verum enim vero, hæc, ac reliquæ, ex mercurio vivo, et putatitio metallorum ſulphure parandæ, cinnabaris ſpecies veris concretis cinnabarinis nequaquam adnumerandæ ſunt. Metalla pura enim nullum ſulphur completum, cum vulgari comparandum, ſed tantummodo longe ſubtiliorem ac ſimpliciorem ſubſtantiam phlogiſtam in mixtione ſua fovent, quæ cum mercurio in veram cinnabarim combibinari nequit. Memorata igitur producta nihil ſane aliud ſiſtunt, niſi mercurium, poſt ſolutionem et præcipitationem igne fortiſſimo ſublimatum, ideoque rubedinem ſuam, et habitum externum cinnabarinum minime unito ſulphuri metallico, ſed unice acidis ſpiritus nitri particulis, cum mercurii globulis ſimul evectis, iisdemque firmiter adhærentibus, debent; quemadmodum hæc ANDREAS HERMANNVS, *Medicinæ Doctor* et *Practicus Neuſolienſis* in *Hungaria*, experimentis variis, in *Annalibus Phyſico-medicis Wratislavienſibus ann. 1720. p. 192.* deſcriptis, ſatis demonſtravit.

binis Hiſpaniæ provinciis, nec minus in *Hungaria*, et *regno* novi Orbis *Peruano* e terræ viſceribus eruitur, vel fruſta majora, minora, puriora, impuriora, aquarum ſubterranearum impetu abraſa, et ad telluris ſuperficiem abrepta, ex rivulorum ac fluminum ſabulo colliguntur, poſteaque, a partibus heterogeneis lotura debite purgata, venduntur. Prope *Sclanam* v. g., ſuperioris Hungariæ pagum, ditiſſimæ mineræ mercuriales et cinnabarinæ reperiuntur, e quibus magna mercurii quantitas quotannis eruitur. Minera effoſſa terram unctuoſam, et lapidem varii coloris forma externa refert, et ideo etiam minera mercurii unctuoſa, miniata, rubra, gryſea, lutea etc. vocatur. Contunditur illa ſub peculiaris molendini piſtillis, et inde reſultans materia ungüinoſo-ſabuloſa in focis planis, modice inclinatis, et linteo obductis, auf den Plan-Heerde, lavatur, ut aqua, placide per planum foci inclinatum decurrens, terram inertem, aliasque partes leviores heterogeneas ſecum abducat, cinnabarinæ autem moleculæ, ob ponderoſitatem inter lintei fibrillulas relictæ, colligi, et collectæ ulteriori in alveolis lotura depurari queant. Hæc cinnabaris nativæ ſpecies dicitur *Cinnabaris lota*, ac multum ex ea mercurii, deſtillationis deſcenſoriæ ope, reſuſcitatur. Multum præterea cinnabaris ibi locorum ab hominibus plebejis ex rivulis, mineræ me-

moratæ vicinis, ſabulum extractum in alveolis lavando, colligitur. Occurrunt fruſta minora et majora, fabam perſæpe magnitudine ſuperantia, puriſſima, et, rubini inſtar, pellucida, quæ ideo etiam optimam ac pretioſiſſimam cainnabarim nativam conſtituunt. Ruſticorum alii, prope rivulorum ripas, faciunt foveas, et, loturæ beneficio, ex terra limoſa mixta cinnabaris fruſtula ſeparant, immo ſunt, qui grana, ac ſatis magna ſubinde fruſta, hinc inde in nidis latitantia, ex agris eruunt, ac penitus a ſordibus liberata, vendunt. (*a*).

§. III.

Quoad elementa ſeu partes conſtitutivas nihil plane diſcriminis cinnabaris veræ ſpecies intercedit, ſed cinnabaris nativa pura æque, ac cinnabaris antimonii et factitia vulgaris, ex *ſolo mercurio currente*, et *ſulphure vulgari* ea proportione compoſita eſt, ut cum ſeptem circiter vel octo mercurii vivi partibus unica ſaltem ſulphuris pars firmam unionem ſubeat (*b*). Quicquid enim de ſulphu-

Oo 5 re

(*a*) Vid. *Excell.* BRVCKMANNI *Magnalia Dei in locis ſubterraneis P. I. p. 201.*

(*b*) *Clariſſ.* MEVDERVS in *Analyſi* ſua *antimonii phyſico-chymica rat. p. 16.* circa proportionem principiorum valde diſſentit, et quantitatem ſulphuris ad quantitatem mercurii ſeſe ut 1. ad 30. habere, perhibet. Sed, aſſenſum in hoc paſſu præbere

re ſolari, quin ipſis auri moleculis in cinnabari nativa Hungarica, non procul ab auri mineris effoſſa, itemque de ſulphure puriori et anodyno vitrioli in antimonii cinnabari narratur, merito ad aniles fabulas, et alchemicorum ſomnia pertinet. Provcto in hoc paſſu ad chymicorum recentiorum examina, immo ad propriam provocare poſſum experientiam: Maxima ſane circumſpectione cinnabaris, tam nativæ, quam factitiæ utriusque, reſuſcitationem inſtitui, at nihil peregrini, nihil diverſi circa ſeparata principia obſervare mihi contigit, ſed forma, colore, ceterisque proprietatibus ſibi invicem erant ſimillima. Idem B. FRID. HOFFMANNVS teſtatur, quando ita de ſulphuris vulgaris et antimonialis ſimilitudine ſcribit (*a*): „Sulphur itaque, ex antimonio hoc modo extractum, quoad omnes proprietates ſulphuri vulgari ſimile eſt; ſiquidem illud, „cum ſale tartari ſi liquatur, tranſit in maſſam „rubicundam, ex qua affuſo rectificatiſſimo „ſpiritu, tinctura, quæ a tinctura ſulphuris „non differt, extrahitur rubicunda. Pariter „ſi hepar ſolvitur in aqua, et ſolutioni acetum inſtillatur, lac ſulphuris præcipitatur; cum

nequeo: Vix enim concipere licet, quomodo tam exigua, trigeſima ſcilicet, ſulphuris pars tantam mercurii molem ligare, et in maſſam ſolidam redigere valeat.

(*a*) In Obſ. phyſico-chymicis ſelect. p. 248.

„cum argento vivo ſi miſcetur, in cinnabarim
„quo que ſublimatur etc.

§. IV.

Partes ſulphureæ mercurii interjecti globulos disjungunt, eosdemque, ceu cortex nucleum, ambiunt, et hi ſulphuri, tanquam mel cellulis ceraceis, immerſi hærent, ut ideo in unam coire neſciant molem, nec quicquam ab extra illos adgredi, corrodere, aut alio modo ſolvere valeat, niſi, fracto prius atque remoto cortice ſulphureo, viam ſibi paraverit. Valde igitur cum LEMERIO (*a*) errare videntur, qui partes ſulphuris acidas, relicta parte phlogiſta, mercurii globulis firmiter adhæreſcere credunt. Si id enim fieret, aliqua etiam mercurii corroſio contingere, et cinnabaris neceſſario ſaporem aliquem, et indolem quodammodo corroſivam nanciſci deberet; quod nunquam tamen obſervatum fuit, ſed cinnabaris inſipida prorſus, et omnis acredinis expers deprehenditur. Cingunt ſolummodo, uti dictum, integræ ſulphuris partes diviſos mercurii globulos, et interpoſitione ſua collectionem eorum in unam molem, nec minus diſſipationem halituoſam, et receſſum ſolitarium in igne fortiori impediunt. Ejusmodi quippe virtus non tantum ſulphuri minerali, verum etiam ſubſtantiis quibusvis aliis, reſinoſis,

(*a*) Vid. ejusd, Curſ, chym. p. 270.

noſis, pinguibus, unguinoſis etc. propria invenitur, et unicuique notum eſt, mercurii currentis fluorem tolli per miſcelam atque trituram cum unguento pomato, terebinthina, et ſimilibus.

§. V.

Cinnabaris, ut ut in pulverem redacta ſubtiliſſimum, neque cum aqua frigida et tepida, neque cum ſalſis, lixivioſis, acidis, et inflammabilibus ſpirituoſis liquoribus, licet centies, leni etiam filtri ſuccuſſione in auxilium vocata, reaffundantur, chartam bibulam tranſit, ſed, citra ponderis decrementum, citra ullam coloris, formæ, atque indolis metamorphoſin, in eadem remanet: Obſequium quoque, ob refractariam ſuam indolem, menſtruis aqueis, ſalſis, ſpirituoſis inflammabilibus, quid? quod, acidis corroſivis fortiſſimis denegat, neque in partes ſimilares, neque diſſimilares, etſi injecta diu in illis relinquatur, diſſolvitur. Non ſperanda pariter ſingularis ſolutio in lixiviis aqueo-alcalicis, niſi ea valde concentrata ſint, et ipſa coctio completa, et ad tempus ſat notabile protracta, accedat (*a*). Diu denique per ſe

in

(*a*) Concentratæ ſalis tartari ſolutioni cinnabaris ſubtiliſſime pulveriſatæ portionem aliquando injeci, et vitrum digeſtioni calidæ, naturalem, in animantium ventriculis poſſibilem, caloris gradum ſuperanti, commiſi, viſurus, an in hoc [illegible]

in mortario lapideo trita, nullas, naribus percipiendas, particulas emittit; per ignem vero in halitus quidem reſolvitur, at tortura Vulcani intenſior, quæ gradum, ad aquæ ebullitionem neceſſarium, longe ſuperat, requiritur, et a blando igitur calore talis reſolutio halituoſa nunquam exſpectanda eſt.

§. VI.

ſtruo cinnabaris ſolutio inſequi vellet. Protracta per aliquot dies digeſtione, liquor leviſſima flavedine tinctus adparebat, etſi cæteroquin tota injectæ cinnabaris moles, citra coloris mutationem, in fundo jaceret quieta. Liquori, a cinnabari decantato, ac filtrato, præcipitandi fine acetum deſtillatum inſtillavi; at ille, priſtinam pelluciditatem retinens, nihil ad fundum dimittere videbatur; Die vero ſequente fundus tenerrimo pulviſculo albido-flaveſcente paullulum obductus erat, qui neutiquam tamen, ob nimis exiguam quantitatem, et inſignem teneritudinem, colligi poterat, et dubio procul ex minutiſſimis ſulphuris moleculis, per menſtruum abraſis, et ſolutis, poſteaque præcipitatis, conſtabat. Sed caveant cinnabaris patroni, ne novum inde, ad demonſtrandam ejusdem activitatem medicam, argumentum petant. In corpore enim humano nullum lixivium alcalicum, multo minus concentratum, reperitur, nulla fit digeſtio, gradu huic comparanda, et tam exigua præterea ſulphuris quantitas diuturna digeſtione ſolvitur, ut nulla ejus ratio medica haberi poſſit. Ad ipſam denique coctionem, cujus ope paullo major partis ſulphureæ in cinnabari ſolutio obtinetur, haud quemquam provocaturum eſſe ſpero, quoniam in corpore neque fit, neque citra momentaneam vitæ jacturam fieri poteſt. Tanta præterea ſolutio

§. VI.

Quæ cum ita ſint, quis amplius igitur a cinnabari activitatem medicam internam ſperabit? quis amplius eidem vires anodynas, antiſpasmodicas, antepilepticas, cephalicas, cardiacas, aliasque excellentiores tribuere audebit? Profecto, quicquid, poſt adſumtionem, ſingularem ac vere medicum effectum in corpore edere, et ad humorum circulantium maſſam transferri debet, vel antea, uti alibi pridem retuli (*a*), in ventriculo et inteſtinis ſolvi, vel in halitus tenerrimos mutari, adeoque vel filtrationis, vel inhalationis ope, vaſa lactea ac bibula venoſa intrare ac permeare debet.

memorata non reperitur, quanta vulgo creditur: Nam, cum cinnabaris portionem aliquando in concentrato lixivio alcalico per integram horam ebullire permitterem, perfecta cinnabaris ſolutio nequaquam inſecuta eſt, ſed, absque ulla mercurii reſuſcitatione, liquorem ſolummodo obtinui alcalicò-ſulphureum, qui, durante coctione, ingratum odorem ſulphureum eructabat, et poſt filtrationem eleganti colore dilute-aureo, et ſapore alcalico-ſulphureo præditus erat. Aceto, per aquæ fortis additionem fortiori reddito, ſenſim inſtillato, odor ingratus ſulphureus iterum increſcebat, et color dilute-aureus in pallidum mutabatur, at nihil ſulphurei ſub inſtillatione acidi ad fundum ſecedebat, ſed die ſequenti fundus vitri tenerrimo duntaxat pulviſculo flaveſcente, æque ac in priori præcipitatione, conſperſus erat, manifeſto documento, etiam coctione ſatis diuturna ac valida parum cinnabari eripi.

(*a*) In Part. I. p. 19.

bet. Cinnabaris autem, uti ex præcedentibus luculentiſſime conſtat, neque a menſtruis aqueis, ſalſis, acidis etc. ſolvitur, neque blando calore in halitus mutatur, adeoque nulla etiam in prima culina a temperato liquore gaſtrico ejusdem ſolutio, nulla per humidum, mitiſſimumque corporis calorem reſolutio halituoſa, nulla per conſequens ad ſanguinem translatio, nulla denique in partibus remotiſſimis ſalutaris actio exſpectanda eſt. Nonnulli quidem, integras cinnabaris ſubtiliſſime pulveriſatæ moleculas, absque prævia ſolutione aut reſolutione vaporoſa, tubulos abſorbentes lymphatico-venoſos intrare, permeare, et ſic absque ambagibus, vel per ductum quoque thoracicum perpendicularem, ad ſanguinem omnino devolvi poſſe, exiſtimant: Attamen, opinionem hanc veriſimilitudine prorſus deſtitui, prudentiores protinus cognituros ſpero: Nam cinnabaris moleculæ, ut ut exiliſſimæ, chartæ bibulæ poros, quod antecedentia pariter docent, neque cum aqua pura, neque liquoribus aliis tranſeunt, et vaſcula memorata præterea tubuli capillares ſunt, qui nil, niſi fluida ſubtiliora, et ipſis tubulorum tunicis ſpecifice leviora, recipiunt, atque transmittunt. Hiſce accedit, quod graviſſimæ hujus pulveris moleculæ, ſub motu periſtaltico, tunicæ nervoſo-muſculoſæ contractione, propulſæ, recta per longe ampliorem inteſtinorum

rum canalem, ubi minimam inveniunt reſiſtentiam, multo facilius progredi, quam, penitus deficiente filtratione et inhalatione, exiliſſimos ac laterales hoſce tubulos intrare valeant.

§. VII.

Abſorbendi denique ſeu antacida virtute, quæ ipſi, in primis viis latitanti, ſupereſſe videtur, prorſum deſtituitur cinnabaris. Corpora enim, quæ acida abſorbent, vel tota, vel ex parte, corroduntur, et leviſſimam ſuperficiei arroſionem major protinus vel minor ejusdem, quoad formam atque colorem, alteratio ſequitur. Verum, nihil horum obſervatur in cinnabari pulveriſata, diutiſſime etiam in concentratis liquoribus acidis relicta, immo, ſplendentes moleculæ grandiores, iisdem injectæ, metallici ſui nitoris ne minimam jacturam faciunt. Ex hiſce itaque et præmiſſis reliquis concludere tandem, atque pronunciare audeo, cinnabarim concretum iners plane, ac fatuum eſſe, nec ullum ideo locum inter medicamenta vera amplius tueri poſſe (*a*).

§. VIII.

(*a*) Subjungere placet, quæ *Clariſſ.* D. D. TRALLESIVS in *Examine Abſorb. rigoroſo p. 81.* de inertibus pulveribus terreis et cinnabarinis jocoſe propoſuit: „Adeſte, *inquit*, vos pulveres inſipidi bezoardici, atque rigidius paulisper examen ſuſti-

§. VIII.

Cum cinnabari, quod ultimo addendum duco, ÆTHIOPS MINERALIS in eadem claſſe collocari meretur. Convenit quippe cum illa quoad elementa, et inertiam medicam, præterquam, quod plus ſulphuris, laxius paullo cum mercurio cohærentis, in mixtione foveat, et proinde aliqua fortaſſis, quanquam valde exigua, virtute anthelmintica

„nete. Video aliquos veſtrum auri quisquiliis „condecoratos, ſed fatuus ſplendor nil nobis præ„ſtantiæ adfert, nec eſt, ut ſperetis, me judicem „ſeverum atque juſtiſſimum auro manſueſcere, „abſit illud longiſſime. Acceditis, ut obſervo, „plurimi candidiſſima veſte conſpicui, vultisque „forte, ut innocentiam veſtram inde arguens, „vos abſolvam ſtatim atque dimittam; imo vero „hanc ſententiam vobis expectandam eſſe decla„ro, eritis pulveres innocentiſſimi, manebitis„que, veſtris fautoribus nec nocere, nec pro„deſſe cupientibus. Atque quid ſibi volunt ru„bicunda illa integumenta cinnabarino pigmen„to exornata, quibus aliquos veſtrum indutos ad„ſpicio, fallor! aut rubore ſuffundimini, quod „nihil boni unquam præſtiteritis, quod oppro„brium ſitis medicorum, quod ægrorum lan„guentium fiduciam toties deſtitueritis. Vah „improbum facinus! ita omnium criminum ex„pertes declarari haud poteritis, ſi forte inter„dum ſocordia practicorum factum eſt, ut vobis „demandatum fuerit munus, quod aliis genero„ſioribus præſidiis demandari deſiderabat vis „morbi, vitæque ad finem properantis pericu„lum. etc.

tica fortaſſis gaudeat. Suffragatur mihi BOERHAAVIVS, quando in *Chemiæ T. II. p. m.* 431. ſcribit: „Æthiops mercurii, da„tus intra corpus, non valet vaſa abſorben„tia venoſa, vel chylifera, vel lymphatica „ingredi, ſed recta tantum per fiſtulam inte„ſtinalem propulſus, ſi fortunato operatur, „vermibus forte necatis, exit. Decipiun„tur, qui alios inde effectus ſperant, quos „inde natos nunquam videre potui. Incau„tos vereor, qui tanta copia infantibus, „puellis, et tenerioribus, exhibent alienam, „naturæ indomitam, maſſam foſſilem; tanto „ſuſpectiorem ſane, quo pigriori inertia, „diutius reſtat. Salivationem non ciet: „quia venire nequit in ſanguinem. Quis „vero ſcit effectus a materie, quæ compoſi„ta quamdiu manet, non videtur actuoſior „quacunque ponderoſa inſulſa terra? etc.

CAPVT V.

DE ANTIMONIO CRVDO.

§. I.

STIBIVM ſive ANTIMONIVM CRVDVM OFF., Spieß-Glaß, eſt corpus minerale ſulphureo-regulinum ſive ſulphureo-ſemi-

ſemimetallicum, durum, ponderoſum, fragile, obſcurum, nitentibus tamen ſtriis diſtinctum. Excoquitur, vel rectius, fuſione ſeparatur e propria ſua minera, quæ in *Saxonia*, *Bohemia*, *Hungaria*, *Tranſylvania*, *Gallia*, *Suecia*, aliisque regionibus e terræ viſceribus eruitur. Minera hæc alibi purior, copioſior, ac magis ſolitaria occurrit, alibi mineris metallicis, aliisque mineralibus valde permixta eſt. Antimonium *Hungaricum* vulgo præſtantius judicatur, et *Germanico* præfertur, quoniam ſtrias majores, nitidioresque obtinet, et ſulphure ſolari donatum eſſe, falſo creditur.

§. II.

Conſtat ex *ſulphure vulgari minerali*, et *ſubſtantia regulina ſemimetallica*, quæ iterum ex *terra vitreſcibili*, *materia arſenicali*, et *ſubtili inflammabili* componitur (*a*). Pars regulina, ob intimam arctiſſimamque principii arſenicalis miſcelam, per ſe cauſtica eſt, draſtica, emetica, virulenta; pars ſulphurea autem acredine prorſus deſtituitur, et præcedentem regulinam unione ſua ita temperat, ut,

(*a*) Singula hæc antimonii elementa a Chemicis facillime multis ac variis demonſtrari poſſunt experimentis, quæ hoc tamen loco adducere nolo, quum in libris chemico-pharmaceuticis plerisque, maxime autem in B. NEUMANNI *Lectione de Antimonio*, fuſius pridem deſcripta ſint.

ut, durante mixtionis integritate, nullum in corpore humano effectum violentum edere poſſit. De duplici antimonii ſulphure, altero nimirum *rudiori*, *ſylveſtri*, *vulgari*, altero *excellentiori*, *ſolari*, *anodyno*, multa proponere ſuperſedeo, quum nobilius ſolare ens imaginarium ſit, ac tota ſulphuris moles in antimonio crudo unam eandemque naturam habeat, nec ullo plane modo a ſulphure vulgari minerali diſtincta inveniatur (*a*).

§. III.

Quondam antimonium crudum venenorum catalogo ſimpliciter inſerebatur, noſtro autem ævo, poſtquam KVNCKELIVS contrarium docuit, erronea hæc opinio maximam partem exſpiravit, et concretum hoc a plerisque inter bona ac tuta pharmaca refertur. Saliva quidem et ſimillimus liquor gaſtricus ſimpliciter illud atque perfecte ſolvere nequeunt, in partem regulinam nihilominus, non obſtante ſociati ſulphuris copia, aliquem ingreſſum inveniunt, et pauxillum extrahunt, quod valide poſtmodum *abſtergit*, *ſtimulat*, *alvum laxat*, *ſudorem et urinam pellit*, immo, largiori ſcilicet quantitate adſumta, *blandam emeſin provocat:* Valet itaque ad ſanguinem ceterosque humores purificandos, et in ſcabie inprimis, tam benigna, quam maligna, adfectibus arthriticis, rheumaticis, et ſcor-

(*a*) Conf. Caput præcedens §. 3.

ſcorbuticis, nec minus in gonorrhoea virulenta, fluore albo, obſtructione menſium chronica, aliisque hujus commatis morbis utiliſſimum reperitur.

§. IV.

Nonnulli ſpecificam quoque virtutem illi in colica ſaturnina tribuunt, eamque a ſulphuris facultate obtundendi ac demulcendi derivant: An hæc autem ſatis certa, et rationi conſentanea ſit, aliis dijudicandum relinquo. Ego ad minimum valde dubito, quoniam liquor gaſtricus, uti dictum, magis partem regulinam ſtimulantem, quam obtundentem ſulphuream, aggreditur, et aggredi valet. Recipitur inter pulveres, morſulos, rotulas, bolos, et electuaria, ac doſis ejus a granis aliquot ad ſcrupulum integrum, et ultra adſcendit. Subinde etiam, in petia ligatum, decoctis ſub ebullitione immergitur, ut vim eorum ſudoriferam augeat, aſt ſine ſucceſſu ſingulari, quum aqua ſimplex parum vel nihil activi inde extrahere poſſit.

CAPVT

CAPVT VI.

DE FERRO, LAPIDE HÆMATITE, RVBRICA FABRILI, ALIISQVE TERRIS MARTIALIBVS.

§. I.

FERRVM eſt metallum ignobile, in aggregato duriſſimum, præ reliquis minus ductile ac fuſile, ex *ſpecifica terra vitreſcibili metallica*, et *tenera ſubſtantia inflammabili* compoſitum. Pars terrea in igne fixiſſima eſt, principium inflammabile autem igne ſicco violentiori facile deſtruitur, immo, ſub corroſione et ſolutione, partim acidis potentioribus, præſertim ſic dicto vitriolico, adhæreſcit, partim præcipitatur: Nigricans enim ſedimentum illud, quod ſub artificiali vitrioli martis ex limatura ferri, et oleo vitrioli, aqua debilitato, confectione colligitur, poſt elutriationem verum ſulphur exhibet, et cum mercurio currente, certa adhibita encheireſi, in cinnabarim ſublimari poteſt: Ut nihil dicam de inflammabili vapore ſulphureo, qui poſt aquæ ſimplicis, olei vitrioli, et limaturæ martis miſcelam in cucurbitula vitrea adſurgit, et avulſis particulis ferri inflammabilibus originem debet.

§. II.

Ferrum, in ſubtiliſſimam limaturam redactum, per ſe in corpore nihil efficit, et ineptum prorſus ad agendum exiſtit, niſi acidum in prima culina offendat, quod corrodere illud, ſolvere, et unione ſuâ in vitriolum tenerius mutare poſſit: Laudata vero ſuperveniente metamorphoſi, operatione ſua vitriolum debile imitatur, et fibras, membranas, ac tunicas laxas ad- et conſtringit; unde ſit, ut viſcera obſtructa, pro cauſarum diſcrepantia, nunc aperiat, nunc autem, quoties ſcilicet ſpasmi obſtructionum cauſſæ ſunt, magis occludat. Ex eodem quoque fundamento hæmorrhagias exorbitantes, et fluxiones ſeroſas præternaturales, ab eroſione, ruptura, aut flacciditate vaſculorum pendentes, ſiſtit, ac magnum ſubinde auxilium in cachexia, febre quartana rebelli, paſſione hypochondriaca, et morbis ſimilibus, quæ protinus, vel præmiſſis remediis aliis, potentiora poſtulant adſtringentia, procurat.

§. III.

LAPIS HÆMATITES, Blutſtein, Glaß-Kopff, qui in *Bohemia*, *Hiſpania*, *Suecia*, *Norwegia*, *Haſſia*, et alibi effoditur, minera martialis purior atque perfectior eſt, obſcure rubeſcens, ponderoſa, dura, ex ſtriis oblongis, acutis, et aggregatione denſiſſima

unitis,

unitis, compacta. Quando, additis carbonibus, aut aliis corporibus, inflammabili principio prægnantibus, ignis proportionati ope, funditur, et phlogiſton itaque, quod adhuc deficit, in mixtionem introducitur, ferri perfecti naturam et proprietates conſequitur. Per ſe, ſub forma pulveris, exhibitus, ſolida modice adſtringit, et humores quoque paullulum incraſſat; hinc vulgo ad ſiſtendas hæmorrhagias commendatur. Idem ferme judicium de RVBRICA FABRILI, Röthelſtein, ferendum eſt: Quippe quæ itidem terreo-martialis indolis eſt, et easdem in corpore vires medicas exerit.

§. IV.

Ad martialium familiam TERRÆ BOLARES, SIGILLATÆ, ac SIGILLANDÆ, colore *flavo*, *rubente*, *fuſco*, aut *rubro-brunneo* donatæ, v. g. *Terra Lemnia rubra*, *Laubacenſis*, *Goldbergenſis*, *Strigonienſis lutea*, *Bolus vulgaris*, *Bolus Armeniæ* etc. pariter referri merentur. Nihil aliud enim ſunt, niſi ſubtiliores aut rudiores *terræ martiales*, quibus ordinario *lapilli*, *arena*, *terra vulgaris*, ac parum quoque *acidi vitriolici* (*a*), et *ſubſtantiæ*

(*a*) E Bolis et terris coloratis ſigillatis, in retortam immiſſis, violentiori Vulcani actione pauxillum liquoris acidi, vitriolicæ proſapiæ, expellitur, eodemque expulſo, terræ hæ, quæ antea pertinacius cohærebant, friabiliores evadunt, et pri-

ſtantiæ pinguis, unguinoſæ, mineralis mixtà reperiuntur. Inter terras ſigillatas illæ judicantur optimæ, quæ tenerrimæ, contactu læves, ac pingues ſunt, et linguæ in aggregato tenacius adhærent.

§. V.

Poſſident terrea hæc concreta virtutem *ſubadſtringendi* ac *leniter incraſſandi*, et in illis itaque morbis locum inveniunt, in quibus hujus commatis remedia promiſcue deſiderantur: Quod diaphoreticis autem et bezoardicis quoque viribus inſtructa ſint, adſerere nolo, licet ipſis vulgo a ſcriptoribus medicis tribuantur (*a*). Pro meo judicio facile,

ſtina virtute adſtrictoria maximam partem ſpoliantur. Vulgari quoque experientia conſtat, acidum nitri, quod alias, citra acidi vitriolici ponderoſiſſimi, vel expliciti, vel impliciti additionem, a parte alcalica ſeparari nequit, e nitro expelli, quando eidem ſub deſtillatione terra bolaris, ſigillanda, limoſa etc. additur; manifeſto documento, in terris hiſce acidum graviſſimum vitriolicum præſens eſſe. Eodem enim ſcopo chemici nunquam potiuntur, quando terras macras, cretaceas, calcarias etc., vel terras etiam bolares, ſemel jam adhibitas, adeoque pauco ſuo acido ſub prima deſtillatione pridem orbatas, cum nitro miſcent; de quibus plura in STAHLII *Tract. de Salibus cap. 8.* nec minus in *Pharmacol. noſtra p. 12.* videri poſſunt.

(*a*) Addam hoc loco examina illa, quæ cum *Lapide hæmatite*, *Rubrica fabrili*, *Bolo Armena*, et

le, citra ullum artis medicæ detrimentum, ex Officinis pharmaveuticis exulare poſſent. Dantur ordinario in pulvere, et quandoque etiam

Terra ſigillata Lemnia rubra ſuſcepi, ut eo melius, quid in corpore præſtare valeant, utentibus innoteſcat:

I. Spiritus vitrioli vulgaris, licet quantitate largiori ſuperfundatur, et calida præterea digeſtio, per biduum, triduum, immo quatriduum protracta, in auxilium vocetur, in genere parum ſolvit, paullo meliorem tamen ingreſſum in terram Lemniam, et rubricam fabrilem habere, adeoque illis plus, quam bolo Armeniæ et lapidi hæmatitæ eripere videtur. Maxima enim utriusque portio in filtro remanet, et id, quod poſtmodum circa priſtinum pondus deficit, tria circiter grana ex integra drachma ſoluta eſſe, oſtendit. Terra Lemnia et rubrica fabrilis paullo plus, uti dictum, amittunt, et materiæ ſolutæ pondus, memorata ſcilicet quantitate ſuppoſita, ad quatuor vel quinque grana adſcendit.

II. Filtrata lapidis hæmatitæ ſolutio, aquæ limpidæ inſtar, perfecta gaudet pelluciditate, et ſaporem acido-cauſticum, in receſſu leniſſime ſtypticum, poſſidet. Quando, inſtillato liquore lixivioſo, præcipitatur, pauca ſolummodo, atque tenerrima materia ſubluteo-albicans, ſenſim ad fundum deſcendens, in conſpectum venit. Simillima fere apud bolum Armeniæ obſervantur. Solutiones rubricæ fabrilis et terræ ſigillatæ Lemniæ a præcedentibus nonnihil recedunt: Colorem enim, præſertim terra Lemnia, flaveſcentem obtinent, et copioſiorem materiam teneram, lutoſam, poſt præcipitationem, ad fundum depo-

etiam externe, præſertim Bolus Armena cataplasmata, contra inflammationes venereas adplicanda, ingrediuntur.

nunt; hinc, alcali liquido inſtillato, longe quoque turbidiores evadunt, et filtratæ majorem in charta bibula terræ fuſco-luteæ quantitatem relinquunt.

III. Injectus gallarum pulvis neque pelluciditatem, neque colorem mutat: unde concludere licet, nullam prorſus ſubſtantiam, vitriolo analogam, ex acidi et terræ ſolutæ unione generatam fuiſſe. Inhærente enim vitriolo, pauciſſimo licet atque tenerrimo, confeſtim color ex rubente aut coeruleo nigricans naſcitur, et priſtina quoque pelluciditas aliquantulum minuitur. Probabile itaque videtur, acidi et terræ corroſæ concretione corpuſcula duntaxat ſalſo-terrea leniſſime ſubadſtringentia, minime vero completas moleculas vitriolicas, quæ ferrum perfectum ad ſui geneſin poſtulant, generari.

SECTIO XVII.

DE AQVA SIMPLICI, ET AQVIS MINERALIBVS, MEDICATIS, TAM FRIGIDIS, QVAM CALIDIS.

CAPVT I.

DE NATVRA, PROPRIETATIBVS AC VIRIBVS MEDICIS AQVÆ SIMPLICIS.

§. I.

De aquæ ſimplicis natura, proprietatibus, et ampliſſima virtute medica prolixam hoc loco tractationem adornare poſſem ac vellem, niſi compertum haberem, multa præteritis pridem temporibus, maxime autem præſenti ſeculo, de hoc argumento in lucem prodiiſſe opuſcula (*a*), et hanc ideo materiam

(*a*) Legi inprimis merentur *Diſſertationes* et *Tractatus varii*, quos D. SWERDTNERVS collegit, et e latina, aliisque linguis in vernaculam noſtram

riam ſufficienter, immo propemodum ad nauſeam usque, pertractatam eſſe. Ne eandem tamen ſicco plane pede præteriiſſe videar, nonnulla ſaltem, eaque generaliora, hic proponere placet.

§. II.

AQVA eſt fluidum humectans, admodum mobile, atque poroſum, nullo autem modō elaſticum, quod ſeſe plerisque corporibus ſolidis, itemque fluidis inſpiſſatis, ac plus minusve induratis, inſinuat, priora emollit, lubricat, et humectat, poſteriora reſolvit, attenuat, et ad priſtinum fluorem reducit. Prompte præterea ſalia quæcunque ſolvit, et in poros ſuos recipit; citius tamen atque vegetius ſingula hæc ſuccedunt ſub certo caloris gradu, magis ſcilicet hac ratione agitatis particulis aqueis, quin ipſis ex parte in vaporem reſolutis. Virtus humectans enim et emolliens major obſervatur, quando aqua tepida eſt, minor contra, vel nulla plane, ſi fervida aut intenſe frigida; quum ex adverſo facultas ſalia etc. ſolvendi major in fervida, minor in tepida, et minima in frigida exiſtat.

§. III.

Aqua ſimplex fontana et fluvialis nunquam

tranſtulit. Hiſce addi poterit FLOYERS Tractatus von kalten Waſſer-Baden.

quam in globo terraqueo perfecte pura reperitur, ſed varia plerumque corpuſcula heterogenea, terrea, lapidea, ſalina, alteriusque generis, in ſinu fovet. Optima cæteroquin cenſetur, quæ leviſſima eſt, cryſtalli puriſſimi inſtar pellucida, coloris, odoris, et ſaporis penitus expers, quæ cito calefit, et cito iterum refrigeratur, quæque, poſt aliquam in vaſe mundo quietem, nullas ad fundum et latera impuritates deponit, ſaponem facile ſolvit, fructus leguminoſos ſub decoctione probe emollit, et, inſtillato liquore alcalico, aut ſolutione argenti, neque albeſcit, neque præcipitationem patitur, ſed priſtinam potius pelluciditatem retinet.

§. IV.

Gravitas aquæ optime per *hydrometra*, puritas autem per *coctionem*, tum *ſolitariam*, tum etiam *cum leguminibus inſtitutam*, itemque per *inſtillationem olei tartari per deliquium*, *ſolutionis lunæ*, ac *ſalis culinaris*, *diſſolutionem ſaponis* etc. exploratur. Si inſtillata enim ſolutione lunæ, cum aqua ſtygia facta, præcipitatio quædam contingit, et candida filamenta, vel exiguæ ſaltem moleculæ albicantes, quæ nihil aliud ſunt, niſi præcipitatæ particulæ argenti ſoluti, in conſpectum veniunt, ſal commune culinare in aqua hoſpitari, certo judicare licet. Chymicis nimirum notiſſimum eſt, argentum protinus ex

aqua

aqua forti ad fundum deturbari, ſi pauxillum ſalis ſicci culinaris, vel ſolutio ejus aquoſa argenti ſolutioni immittitur, quoniam mixtio confeſtim invertitur, et aqua fortis, in aquam regiam mutata, argentum amplius ſolvere nequit. Similis propemodum ratio alleganda eſt, quando in aqua examinanda, poſt inſtillationem olei tartari p. d., nubecula albeſcens generatur, aut integra aquæ moles opaca paullulum, turbida, et albeſcens evadit. Inde enim cognoſcimus, illam plus minusve partibus terreis, tophaceis, calcariis etc. refertam eſſe, quæ pauco antea atque ſubtiliſſimo acido, ex aere et terræ viſceribus ſenſim aquæ poros intrante, ſolutæ erant; accedente autem ſale alcalico, quod ſubtile acidum ſolvens avellit, amplius ſuſtineri nequeunt, ſed præcipitatæ aquam turbidam reddunt, nubeculam albicantem aggregatione ſua formant, tandemque ad fundum et latera vaſorum ſecedunt. Non dubito denique, ejusdem fere commatis rationem in aquis ſubeſſe, minus debite, forti etiam accedente conquaſſatione, cum ſapone ſpumeſcentibus. Nam obſervatio chemica docet, partes pingues ſaponis, qui ordinario ex alcali fixo, et pinguedine animali componitur, illico mixtionem deſerere, et ſeorſim, ſub molecularum forma, ad ſuperficiem adſurgere, quamprimum acidum quoddam, v. g. vitriolicum, aquæ ſaponis probe ſpumidæ inſtillatur,

tur, et alcali abripiendo partibus pinguibus ſecedendi libertatem procurat.

§. V.

Aqua ſimplex pura animantibus non tantum ſaluberrimum præbet potulentum, ſed etiam medicinam pene univerſalem. Decenti enim quantitate hauſta, humores craſſos diluit, mucum attenuat, ſalia acria temperat, eluit, ſolvit, ac ſecum per vias urinarias et poros cutis educit, æſtum ſanguinis ac bilis præternaturalem minuit, ſolida humectat, ſimul tamen, ſi frigida, roborat, ſin vero tepida, emollit; adeoque generali hoc reſpectu egregii uſus eſt in morbis quamplurimis, præſertim iis, qui ab orgaſmo, acrimonia, aut viſcoſitate humorum, ſiccitate et aridura ſolidorum, penuria ſeri etc. primario derivandi ſunt, uti v. g. febres continuæ ardentes, inflammationes partium, ſpasmi et convulſiones epilepticæ, mania, hæmorrhagiæ exorbitantes, obſtructiones viſcerum, calculus, adfectus arthritici, rheumatici calidi, et ſic porro. Uſus quoque ejusdem externus, ſi ſub lavamenti ſcilicet, pediluvii, et balnei tepidi, aut frigidi forma adhibetur, magni omnino momenti eſt, multumque ſæpius ad profligandas ægritudines rebelles valet; quemadmodum plura de ſingulis hiſce in ſcriptis antea recenſitis videri poſſunt.

CAPVT II.

DE AQVIS MEDICATIS MINERALIBVS.

§. I.

AQVÆ MINERALES SOTERIÆ vel *Frigidæ* ſunt vel *Calidæ:* Hæ *Thermæ* audiunt, illæ, autem, pro ſaporis, odoris, ac contentorum diverſitate, modo *Aquæ acidulæ*, modo *Aquæ amaræ*, *ſulphureæ*, *alcali-co-ſulphureæ*, modo *Aquæ martiales* vocantur.

§. II.

In regionibus quamplurimis ſaluberrimæ hujusmodi aquæ prorumpunt, et Germania inprimis valde iisdem abundat. Ad celebriores pertinent AQVÆ ACIDVLÆ *Pyrmontanæ* in ejusdem nominis Comitatu, *Wildungenſes* in Comitatu Waldeccenſi, *Geismarienſes* in Haſſia, *Swalbacenſes* et *Braubacenſes* in Comitatu Catimelibocenſi inferiori, *Antonianæ* ſive *Toenſteinenſes* in Archiepiſcopatu Colonienſi, *Selteranæ* in Archiepiſcopatu Trevirenſi, *Göppingenſes*, *Ibenhuſanæ*, et *Deinacenſes* in Ducatu Würtenbergico, *Spadanæ* in Epiſcopatu Leodienſi, *Elſteranæ* in Vogtlandia, *Egranæ*, *Buchenſes*, et AQVÆ AMARÆ *Sedlizenſes* atque *Seidſchützenſes* in Bohemia, AQVÆ MARTIALES *Freyenwaldenſes* in Marchia Brandenburgica, et *Lauchſtadienſes* in Ducatu Martisburgenſi, nec non THERMÆ *Carolinæ* ac

Töpli-

Töplicenſes in Bohemia, *Aquisgranenſes* in Ducatu Juliaco, *Badenſes* in Auſtria inferiori, *Wisbadenſes* in Comitatu Naſſovico, *Serpentinæ* in Comitatu Melibocenſi inferiori, *Emſenſes* in Wetteravia, *Hirſchbergenſes* in Sileſia, *Landeccenſes* in Comitatu Glacenſi, *Gebersweilenſes* in Alſatia ſuperiori, nec non *Bollenſes*, ac ſic dictum *Balneum Ferinum* in Ducatu Würtenbergico. (*a*)

§. III.

Commune vehiculum *aqua* eſt, variis *moleculis mineralibus*, *terreis*, *lapideis*, *ſalinis*, *ſulphureis*, *ſemimetallicis*, vel penitus ſolutis, vel violentius ſaltem abreptis, referta et impraegnata. In Acidulis enim nobilioribus, ac comparative perfectioribus ordinario reperiuntur 1) *partes terreæ*, nunc tophaceæ, aut calcariæ, nunc margaceæ, argillaceæ, ſeleniticæ etc., 2) *martiales*, 3) *ſalſæ*, ſali culinari aut mirabili Glauberi plerumque analogæ, 4) *vitriolicæ tenerrimæ* ac *ſemiſpirituoſæ* in calore facillime diſſolubiles, 5) *ſalinæ alcalicæ*, et 6) *ſpirituoſæ ſulphureo-acidulæ*, mobiliſſimæ ac valde activæ, cum ſpiritu ſulphuris volatili STHALII comparandæ. Paullo aliter, reſpectu contentorum ſive ingredientium, cum aquis ſoteriis, comparative im-

(*a*) De ſingulis recenſitis, multisque aliis fontibus medicatis, tam calidis, quam frigidis, Medici docti libros et libellos peculiares ediderunt, quos hic tamen, licet plerique ad manus ſint, evitandæ prolixitatis cauſſa, adducere nolo.

perfectioribus, comparatum eſt: In harum enim nonnullis ſolummodo *principium terreo-martiale*, et *tenerrimum vitriolicum* adeſt, in aliis *alcalico-ſulphureum*, in aliis duntaxat *ſal medium*, vel *ſalſum*, vel *amarum*, aut *amaricans*, et ſic porro (*d*).

§. IV.

Laudata corpuſcula mineralia, quæ in aquis ſoteriis frigidis hoſpitantur, iisdemque primariam activitatem largiuntur, ab aqua ſimplici, varia ſtrata ſubterranea, *lapidea*, *terrea*, *ſalina*, nec non *metallico-* et *ſemimetallico-ſulphurea* tranſeunte, excipiuntur, avelluntur, ſolvuntur, et educuntur. Thermæ eadem fere principia, craſſiora tamen ac minus ſpirituoſa, fovent, ſuumque calorem, ſecundum BERGERI, (*a*) HOFFMANNI (*b*) SEIPII (*c*) etc. ſententiam ſumme probabilem, *pinguibus pyritis*, ſub humectatione plus minusve incaleſcentibus, vel ſecundum Neo-

(*a*) Vid. Commentat. ejus de Thermis Carolinis.

(*b*) V. Diſſ. de Acidularum et Thermarum convenientia.

(*c*) V. Ejusd. Pyrmontiſche Brunnenbeſchreibung cap. 4.

(*d*) Multi pridem Auctores præſentiam horum principiorum in ſcriptis ſuis abunde evictam dederunt, et ipſe pariter in *Specimine Amoenitatum Naturæ et Artis*, lingua vernacula conſcripto, præcipua experimenta, et obſervationes ſelectiores, quibus eorum inhæſio, et indoles monſtrari ac demonſtrari poſſunt, uberius retuli; quare illa huc transferre, ac denuo enarrare diſplicet.

Neotericorum alios *(a)*, *concentrato acido vitriolico* ſive *ſulphureo*, largius aquæ poros intranti, debent.

§. V.

Thermæ melius externe, acidulæ melius interne adhibentur. Vires in genere poſſident reſolventes, aperitivas, roborantes, et purificantes: Aqua ſimplex enim humores craſſos atque viſcoſos diluit, acrimoniam ſalinam temperat, impuritates ſecum per filtra varia e corpore educit, et ſolida ſicca, dura, rigida, humectat, adeoque decentem illis flexilitatem reſtituit. Spiritus ſubtilis ſulphureo-acidulus, qui præcipuum omnino ingrediens conſtituit, exiliſſimos corporis canaliculos prompte penetrat, craſſa et coagulata quævis commovendo attenuat, obſtructiones reſerat, vim contractilem, ipſamque contractionem ſuſcitat, vegetioremque reddit, diaphoreſin auget, nec raro completum ſudorem excitat. Sal alcalicum acidam et acido-mucidam ſaburram, in prima culina, aliisque locis adcumulatam, infringit atque reſolvit, et, valide adjuvante ſale neutro, excretiones quaſcunque, maxime autem per alvum et vias urinarias, promovet. Tenerrimum denique ac ſemiſpirituoſum vitriolum, ut et principium martiale fibras et membranas flaccidas atque debiles

 leni-

(a) V. Diederich Weſſel Lindens Anmerckungen über D. Schüttens Nachricht vom Urſprung der Mineraliſchen Waſſer.

leniter conſtringendo roborant, et hac ratione ſolidorum contractiones ubique fortiores efficiunt. Thermæ præterea, externe uſurpatæ, tubulos ac poros cutaneos aperiunt, humores, in vaſculis minimis ſubſiſtentes, reſolvunt ac promovent, et ſolidorum ariduram ac rigiditatem humectando corrigunt. Unde liquido conſtare arbitror, quod aquæ hæ medicatæ in multis morbis, præſertim chronicis, egregium omnino auxilium præſtare valeant, et ſæpius itaque pleriſque medicamentis reliquis præferri mereantur.

§. VI.

Allegatæ virtutes acidularum generales apud aquas medicatas, comparative imperfectiores ac ſimpliciores, paullulum limitandæ ſunt. Nam aquæ *martiales* ſolummodo adſtringunt, roborant, et adſtringendo quoque viſcera obſtructa nonnunquam aperiunt. Aquæ *ſalſæ* abſtergunt, reſolvunt, et urinam pellunt: Salinæ *amaræ* alvum laxant, humores viſcidos attenuant, obſtructiones tollunt, et urinam potentius movent. *Sulphureo-alcalicæ* acidum in corpore extinguunt, obſtructionibus medentur, urinam et ſudorem pellunt, ſanguinemque ac lympham egregie purificant. Inde igitur clare patet, aquas ſoterias diverſæ prorſus indolis atque virtutis eſſe, nec promiſcue ea propter in uſum vocari poſſe, ſed aliam his, aliam illis ægrotantibus melius ac certius opitulari; quemadmodum hæc, et reliqua, ad elementa, proprietates, et uſum ſpectantia, ex ſpecialiſſimis fontium ſupra memoratorum (§. 2.) deſcriptionibus, quas hoc loco ſubjungere ſcopus et ſpatium prohibent, uberius cognoſcenda ſunt.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
SPECIALIOR.

A.

Abrotanum P. II. Pag. 110
Abſinthium I. 486
Acerba I. 346
Acetoſa I. 220
Acetoſella I. 219
Acetum ſimplex I. 223
ſcilliticum I. 401
Acida & Acidula I. 197. 200. eorum diviſio I. 200 elementa I. 200. differentia I. 201 modus operandi I. 206 virtutes I. 210. potentiorum ac cauſticorum mineralium nocendi facultas I. 213 ſanguini immediate mixtorum effectus pernicioſi I. 213 cautelæ circa uſum eorum obſervandæ I. 215
Acidum formicarum duplex I. 198
ſanguinis parcum ac debile I. 198
Acidulo-dulcia I. 217 eorum elementa I. 217 virtutes I. 217. 218. uſus circumſpectus I. 218
Acmella Zeylanica II. 513
Acria alterantia I. 378
eorum principia I. 379
potentiorum correctio I. 384. modus operandi I. 385. ſeqv. virtutes I. 388 noxæ ab abuſu metuendæ I. 390
Acriuſcula II. 394. 396
Adſtringentia I. 346
Aeris vis in contenta ventriculi I. 117
Affion Indorum I. 579
Agallochum II. 137
Agaricum ſive Agaricus I. 545. agaricus verus I. 546 ſpurius I. 545. mineralis I. 152
Agrimonia II. 513. 514
Album Græcum I. 119
Alcaheſt Glauberi I. 242
Alcanna II. 406
Alchimilla II. 513
Alcis ungula I. 176
Alcium epilepſia unde I. 178
Alcohol vini I. 75

Alhandal I. 561
Aloe I. 550. caballina I. 551. hepatica I. 551. 552. lucida I. 550. Soccotrina I. 550. 552.
Alumen crudum vulgare I. 374
Amara I. 468. inodora I. 469. odorata balſamica I. 470. eorum principia I. 470. virtutes I. 477
Amaricantia I. 468. II. 394 395
Amaro-auſtera II. 394. 396
Ambra liquida II. 298. 299
ſolida II. 386
Amomum II. 349
Amuleta medica licita & illicita I. 49. 50. activa & inertia I. 50
Amygdalæ amaræ II. 523
dulces II. 522
Animalculorum ſpermaticorum, aliorumque vermiculorum ſtupenda exiguitas I. 56
Animal moſchiferum II. 375
Zibethicum II. 378
Anima oleorum II. 7
Antophylli II. 355. 361
Anthos II. 78
Antimonium crudum II. 597
Anodyna I. 561. vid. vaporoſa.
Anſerina II. 513
Aqua calcis vivæ I. 168
ejusdem præparatio I. 168
Aqua picis liquidæ II. 281
ſimplex II. 607. 608
Aquæ puræ criteria & examina II. 609. 610
uſus medicus ampliſſimus II. 611
Aquæ ſoteriæ minerales calidæ & frigidæ II. 612 613. earum differentia II. 612. acidularum & thermarum convenientia & origo II. 614. 615 earum elementa II. 613 uſus medicus ampliſſimus II. 615 ſequ.
Argentum vivum II. 582
Armoracia I 410
Arnica vera & ſpuria I. 419
Aromatica II. 1. eorum principia II. 3. modus operandi II. 18. virtutes II. 18. abuſus II. 24
Artemiſia II. 455
Aſa foetida II. 247
odorata ſive dulcis II. 267
Aſthma ſiccum convulſivum I. 390
Atomi ſolares I. 91
Atramenti præparatio, & nigri inprimis coloris ratio I. 352
Avellana Mexicana II. 534
Auſtera I. 346. eorum prin-

principia & differentia l. 346. ſequ. modus operandi l. 353 virtutes l. 353. uſus circumſpectus l. 356
Auſteriuſcula ll. 394.395
Auſteriuſculo-amaricantia ll. 394.396.397
Axungia caſtoris ll. 373
humana ll. 546

B.

Baccæ juniperi ll. 334
lauri ll. 332
Balauſtia l. 364
Balſamica ll. 1. eorum modus operandi ll 18. virtutes ll. 18 abuſus ll. 24
Balſamica debiliora ll. 394 396
Balſami liquidi naturales ll. 14
Balſamus Copaivus ll. 295
de Mecha ll. 298
Peruvianus albus & niger ll. 292. 293
Tolutanus ll, 298. 299.
Baſilicum ll. 76
Bdellium ll. 243
Benzoe ll. 267
Bernavi Ægyptiorum l. 581
Betonica vulgaris ll. 432
Bitumina balſamica mineralia ll. 16
mineralia l. 82
Borax l. 333

C.

Cacao ll. 534
Calcanthum l. 368
Calcium terrearum diverſitas l. 98
Calx viva l. 159. ejusdem incaleſcentia et diſſolutio in aere humido l. 163. ebullitio cum aqua ſimplici l. 163. elementa l. 160. infuſum l. 168
Camphora cruda ll. 192 196. depurata off. ll. 192 197. ejusdem depuratio ll. 197. elementa ll. 202
modus operandi ll. 206
virtutes ll. 208
Camphorata ſubſtantia in multis aliis plantis obvia ll. 90. 204
Canella alba ll. 188
Officinarum ll. 169
Canis Ponticus ll. 366
Cantharides l. 431. noxii interne ſumtarum effectus l. 436
Caranna ll. 255
Cardamindum l. 417
Cardamomum ll. 362

Caricæ l. 458
Caryophylli aromatici ll. 354
Carophyllus Regius ll. 361
ſpicatus ll. 361
Caſſia alba ll. 188
caryophyllata ll. 185
ceylanica ſive cinnamomea ll. 169
fiſtula Alexandrina l. 456
lignea ll. 180
purgatrix Arabum l. 456
Caſtor ll. 366
Caſtoreum ll. 366
Cathartica l 492. vid. purgantia.
Catus Zibethicus ll. 378
Cauſſæ morborum generales l. 43
Cera ll. 547
Cerafa l. 237
Ceratonia l. 454
Chalcanthum l. 364
Chamædrys ll. 437
Chamæpytis ll. 440
Chamomilla vulgaris & Romana ll. 112
China china ll. 485
Choccolada ll. 537
Cinerum metallicorum & ſemi-metallicorum reductio l. 71
Cinnabaris ll. 585. nativa ll. 586 factitia vulgaris ll. 586. antimonii ll. 586 lunæ ll. 586. lota ll. 587
Cinnamomum ll. 169
Coccus infectoria major ll. 504
tinctoria minor ll. 510
Cochinilla ll. 510
Cochlearia l. 415.
Cohæſionis cauſa materialis l. 65
Colchicum Zeylanicum ll. 27
Colocynthis l. 561
Colophonium ll. 288. 290
Colorum cauſa materialis l. 65
Conchæ fluviatiles & lacuſtres l. 126. 127
Concreta balſamica regni animalis ll. 16
Conſtrictoria l. 346. vid. Auſtera.
Contrayerva ll. 408
Corallia rubra & alba l. 135
Cornu cervi l. 181
Corpora primigenia ſive mixta prima l. 52. eorum ſubtilitas l. 52-57
Cortex aurantiorum ll. 161
caſcarillæ ll. 163
chinæ chinæ ll. 485
citri ll. 159
ligni Guajaci ll. 132. 135
ſaſſafras ll. 128. 131
limoniorum ll. 163
mali granati l. 363
Cortex Peruvianus l. 485. ll. 485

pomi Punici l. 363
pomorum Sinenſium ll. 163
thymiamatis ll. 167
Winteranus ll. 189
Coſtus Arabicus ll. 189
Cranium humanum l. 179
Cremor tartari l. 231
Crocus orientalis l. 602
Cryſtalli tartari l. 231
Cryſtallorum ſalinarum figura diverſa l. 275
Cubebæ ll. 351
Curationes morborum magneticæ & ſympatheticæ l. 41

D.

Dactyli l. 458
Decoctum avenaceum ll. 564
hordeaceum ll 564
Dentes apri l. 182. 184
caſtoris l. 182. 184. 185
elephantorum l. 183
hippotami l. 182
rosmari l. 184
Diagrydium l. 557
Dulcia l. 438. eorum diviſio l. 438. principia l. 442. virtutes l 445. uſus & abuſus l. 447

E.

Ebur l. 182. 185
Electrum ll. 381
Elementa corporum phyſica l. 51
chymica l. 51
Emetica l. 492. eorum principia activa l. 495. modus operandi l. 502 virtutes l. 507. cautelæ circa uſum obſervandæ l. 509. ſequ.
Eryſimum l 418
Eſſentia cort: aurantiorum ſicca ll. 162
pimpinellæ albæ l. 407
Euphraſia ll. 513
Extracta amara l. 469
Extractum opii l. 612

F.

Fæcula radicis pæoniæ ll. 401
ari l. 405
Febrium malignarum indoles l. 209. ſequ. remedia optima l. 211
Fermentatio incompleta in ventriculo humano poſſibilis l. 448
Ferrum ll. 601
Fertilitatis terræ cauſa materialis l. 68
Ficus l. 458
Flores

Flores anagallidis II. 513. 514
arnicæ I. 420
bellidis II. 513
benzoes II. 269
borraginis II. 476
calcatrippæ II. 473
calendulæ II. 126
chamomillæ ſimpl. & Rom. II. 112
conſolidæ regalis II. 473
cyani II. 474
hepaticæ nobilis II. 513
lavendulæ II. 133
liliorum alborum II. 555
convallium II. 460
mali Punicæ I. 364
matricariæ II. 99
meliloti II. 555
nymphææ II. 513
papaveris erratici ſive rhoeados II. 513. 514
paralyſeos II. 467
roſmarini II. 78
pæoniæ II. 467
primulæ veris II. 467
roſarum rubrarum & albarum II. 470. 472
Flores ſalis ammoniaci I. 345
ſalviæ II. 81
ſambuci I. 601. II. 555
ſpicæ II. 124. 125
tanaceti II. 101
tiliæ II. 465
tunicæ rubræ II. 469
Flos oſteocollæ I. 156
Fluxus niger I. 72
Folia altheæ II. 555
betel I. 529
cardui benedicti I. 486
majoranæ II. 85
malvæ ſylveſtris II. 555
ſabinæ II. 108
ſalviæ II. 81
ſennæ I. 540
tanaceti II. 101
Fragaria II. 513
Fraxinella I. 482
Fructus chamæmori vulgaris & Norwegicæ I. 237
groſſulariæ non ſpinoſæ I. 237
mori I. 237
Fulguris illuſtratio phyſico-chymica I. 74
Fungus laricis I. 545

G.

Galbanum II. 240
Gallæ I. 365
Gas Helmontii ſylveſtre I. 568. 587
Gelatinæ animales II. 570
earum natura & elementa I. 112. ſequ. II. 551.
Ge.

Gelatinoſa II. 549. eorum virtutes II. 552
Gialappa I. 527
Glandulæ ſubcutaneæ I. 33
Grana chermes II. 504
paradiſi II. 364
Gummi ammoniacum II. 238
anime II. 258
arabicum II. 565
ceraſorum II. 568
elemi II. 260
euphorbium I. 428
Gummi guajacum II. 135
gutta I. 500. 558
hederæ II. 257
juniperi II. 262
lacca II. 273
pomorum Armeniacorum II. 568
pomorum Perſicorum II. 568
prunorum II. 568
ſagapenum II. 245
ſenega II. 568
tacamahaca II. 265

H.

Halitus carbonum nocivus I. 571
narcoticorum activus I. 574
pyritarum pingvium I. 571
Hedera terreſtris II. 434
Hepar ſulphuris I. 72
Herba nicotiana I. 593
Hordeum vulgare II. 563
Hydrargyrum II. 582
Hydromeli I. 467
Hydrophobiæ ſpecies endemia I. 436
Hyoſcyamus Peruvianus I. 593
Hypericum II. 513
Hyſſopus II. 94

I.

Jalappa I. 527
Jchthyocolla II. 569
Jgnis actualis cauſa formalis I. 63
Jgnis gradus ad aquæ, alcoholis, olei lini & mercurii currentis ebullitionem neceſſarius I. 76
Jnebriantia I. 566
Jujubæ I. 458

L.

Lac animantium II. 537
aſininum II. 538
caprillum II. 538. 540
Lac lunæ I. 152
muliebre II. 538
vaccinum II. 538. 539

Lactis

Lactis elementa & differentia ll. 538. ſequ.
Lapides bezoardici genuini l. 190. ſpurii l. 189.
officinalium diverſitas l. 191
calcarii l. 159
carpionum l. 182. 184. 185
percarum l. 182. 184. 185
Lapis bezoar orientalis l. 186 ſequ.
occidentalis l. 186. 188
Bononienſis l. 166
hæmatites ll. 601. 602
Lignum aloes ll. 137
colubrinum ll. 156
guajacum ll. 131
juniperi ll. 148
Lignum lentiſci ll. 148
nephriticum ll. 150
Rhodium ll. 142
ſantalum album ll. 146
coeruleum ll. 151
flavum ll. 144
rubrum ll. 498
ſanctum ll. 131
ſaſſafras ll. 128
Limonada l. 223
Liquidambarum ll. 298. 299
Liquor apum venenatus l. 433
gaſtricus l. 20
oeſophagæus - -
pancreaticus - -
ſalivalis - -
Lycopodium ll. 578

M.

Machina Papini l. 117. 118
Macis ll. 338. 340
Magiſteria terreorum l. 108
Malicorium l. 363
Majorana ll. 85
Mambu ſive arundo ſacharifera l. 439
Mandibulæ lucii piſcis l. 182 184. 185
Manna Calabrina l. 462
Margaritæ l. 128
Margo ſaxatilis l. 152
Marrubium ll. 513
Martialium diverſus effectus l. 357
Marum verum ll. 105
Maslach Turcarum l. 579
Maſtiche ll. 264
Mater balſamorum ll. 340
perlarum l. 134
Materia medica empirica l. 1
rationalis l. 1. 2
Materiæ medicæ rationalis impedimenta l. 5, 6
Matricaria ll. 99
Mechoacanna alba l. 531
Mechoa-

Mechoacannæ ſuccus lacteus l. 533
Meconium l. 579
Medicamenta alterantia l. 27
diuretica ll. 154
evacuantia l. 27
externa l. 22
interna l. 18
lithontriptica ll. 155
ſpecifica l. 27
ſympathetica l. 44
tonica l. 26
Medicamentorum diviſio generalis l. 18. 26. effectus quid l. 7. 8. cauſſæ impellentes primariæ & ſecundariæ l. 12. 13. diverſæ actionis ratio l. 9. 10. diſcrepans apud diverſa animantia operatio l. 28. reſolutio in ventriculo l. 19. modus translationis ad ſanguinem l. 19. externorum actio diverſa l. 22. 35. ſanguini immediate mixtorum effectus l. 24
Medulla crurum vitulinorum ll. 546
Mel apum l. 465
Meliſſa citraria ll. 73
Romana ll. 76
Turcica ll. 76
Mentha criſpa ll. 96
Mercurius currens ll. 582
Meteora ignea l. 70
Millefolium ll. 118
Millepedes ll. 514
Minii gravitas ſpecifica plumbi gravitate major l. 86
Mixta prima l. 52. 55. 58
Monades l. 51
Morbi ex abuſu terreorum l. 102-107
Morborum curationes magneticæ l. 41
Moſchus ll. 374
Moxa ll. 457
Moxiburium ll. 458
Mucilagines l. 80. 82
Mucilaginea ll. 549. mucilaginis natura, differentia, et elementa ll. 550. mucilagineorum modus operandi & virtutes ll. 552
Muſcus clavatus ll. 578
Myrrha genuina ll. 219. ejusdem modus operandi & virtutes egregiæ ll. 227. ſequ.

N.

Naphta ll. 16
Naſturtium aquaticum l. 417
Naſturtium hortenſe l. 417
Indicum l. 417

Natrum

Natrum Ægyptiacum l. 286
Natura corporis humani quid l. 299
connata l. 17
torpida debilis l. 14. 16
torpida robuſta l. 14. 17
vivida debilis l. 14. 16
vivida robuſta l. 14. 16
Naturæ diverſitas & diviſio generalis l. 14
Nepenthe Benjanornm l. 580
Nitrum embryonatum l. 287. ll. 551.
fixum l. 242
modernum l. 286
nativum l. 286
veterum l. 286
Nitri geneſis & elementa l. 287. modus operandi l. 294. virtutes l. 296. - 305. virtus aperitiva l. 296. antiſpasmodica l. 301. antaphrodiſiaca l. 304 diaphoretica l. 301. 302 diuretica l. 300. lithontriptica l. 300. refrigerans l. 301. 303. uſus ampliſſimus l. 305. ſequ.
Nuclei Armeniacorum ll. 527
ceraſorum ll. 527
Perſicorum ll. 527
Nutritionis cauſa materialis l 66
Nux areca l. 579
moſchata ſive myriſtica ll. 337

O.

Obſtructionum cauſſæ l. 355
Offa Helmontii l. 252
Olea ætherea l. 80. 81. ll. 5 - 12
unguinoſa l. 81. ll. 516
Olei ætherei elementa ll. 7 - 11
Oleorum æthereorum proprietates diſcrepantes ll. 11. 12. diverſa in ſimplicibus aromaticis & balſamicis quantitas ll. 9
Oleoſa unguinoſa ll. 515. eorum virtutes ll. 520
Oleum amygdalarum dulcium ll. 523
aſæ foetidæ ll. 249
baccarum lauri ll. 332
juniperi ll. 334
balſami de Copaiva ll. 296
Peruviani ll. 293
benzoinum ll. 269
cacao ll. 536
calami aromatici ll. 50
Oleum

Oleum canellæ albæ ll. 190
caranneæ ll. 255
cardamomi minoris ll. 363
caryophyllorum ll. 357
caſtorei ll. 370
chamomillæ Romanæ ll. 114
vulgaris ll. 113
cinnamomi ll. 171. 173. 175.
cochleariæ l. 415
cort. aurantiorum ll. 161
caſcarillæ ll. 165
citri deſtillatum ll. 159
expreſſum ll. 160
cubebarum ll. 352
curcumæ ll. 34
formicarum l. 198
gummi elemi ll. 260
galbani ll. 241
hyſſopi ll. 95
lavendulæ ll. 124
ligni Rhodini ll. 142
ſantali flavi ll. 144
ſaſſafras ll. 129
lini ll 352
majoranæ ll. 85
mari veri ll. 105
meliſſæ ll. 73
menthæ ll. 99
millefolii ll. 120
myrrhæ ll. 224
nicotianæ l. 595
nucis moſchatæ ll. 340
nucum juglandium expreſſum l. 567
Oleum picis ll. 280
pini ll. 279
piperis ll. 346. 351
rorismarini ll. 79
roſarum rubrarum ll. 470
ſabinæ ll. 108
ſalviæ ll. 81
ſaturejæ ll. 103
ſem. ammeos ll. 330
aniſi ſtellati ll. 305
vulgaris ll. 303
apii paluſtris ll. 320
carvi ll. 326
cinæ ll. 313. 314
cumini Æthiopici ll. 330
dauci Cretici ll. 324
foeniculi ll. 300
nigellæ Romanæ ll. 308
ſtoracis ſolidæ ll. 271
ſuccini ll. 334
terebinthinæ ll. 287. 289
thymi ll. 89
Zedoariæ ll. 27
Zingiberis ll. 30
Olibanum ll. 262
Olivæ ll. 547
Opium l. 607. frequens ejus apud gentes orientales uſus l. 578
Opobalſamum ll. 298
Orca ll. 388
Origanum ll. 93
Os ſepiæ l. 134
Oſſa de corde cervi l. 181

Oſteocolla l. 154
Oſtreæ l. 127
Ovorum putamina l. 127
Oxymeli ſcilliticum l. 401
ſimplex l. 467

P.

Paſſulæ majores l. 457
minores l. 234
Perlæ l. 128
Peſtis curatio apud Turcas l. 212
Petroleum l. 82
Pharmaca ſordida l. 180
Phoſphorus Balduini l. 166
Pingvedines animantium l. 80. 81. ll. 517
Pingvedo caſtoris ll. 373
canina ll. 546
gallinacea ibid.
humana ibid.
porcina ibid.
viperina ibid.
Pingvia ll. 515. eorum proprietates & virtutes ll. 520. differentia inter ſevum & adipem ll. 519
Pineoli ll. 525
Piper album rotundum ll. 342
caudatum ll. 351
longum ll. 345
nigrum rotundum ll. 342
odoratum Jamaicenſe ll. 349
Piſtacea ll. 525
Pix liquida ll. 278. 280. 281. ſicca navalis ll. 277 280
Plantago major et minor ll. 513.
Plantæ acres antiſcorbuticæ l. 258
Plaſte ll. 220
Principia corporum chymica l. 51
phyſica l. 51
principiata l. 52. 58
Principiorum perennis reſtitutio l. 61
Principium aqveum l. 57. 61. 89
inflammabile l. 57. 58. 61. 63. 70
ſalinum l. 57. 61. 82
terreum l. 57. 61. 89. 90
Pruna Damaſcena l. 458
Sebeſtena l. 458
Pſeudocorallia l. 136
Ptarmica l. 420
Pulpa tamarindorum l. 237
Pulvis julorum alni ll. 582
coryli ll. 582
lycopodii ll. 578
ſtrobilorum abietis ll. 582
pini ll. 582
Purgantia l. 492. eorum diviſio generalis l. 493. principia activa l. 495. modus operandi l. 502. differentis activitatis cauſæ

cauſæ l. 501. 505. virtutes l. 508. cautelæ circa uſum obſervandæ l. 509
Putamina ovorum l. 127
Putrefactionis cauſæ & effectus l. 257
Pyrophorus Hombergii l. 72

Q.

Quinquina ll. 485

R.

Radix anchuſæ ll. 406
angelicæ ll. 64
altheæ ll. 554
apii paluſtris ll. 428
ari l. 383. 402
ariſtolochiæ longæ ll. 513
rotundæ ll. 513
bardanæ ll. 413
bismalvæ ll. 554
biſtortæ l. 360
bryoniæ l. 535
calami aromatici ll. 49
carlinæ ll. 70
caryophyllatæ ll. 410
chinæ ll. 420
conſolidæ majoris ll. 556
rubræ l. 358
cichorii l. 484
curcumæ ll. 33
cyperi longa ll. 36
rotunda ll. 36
diptamni albi l. 481
enulæ ll. 53
galangæ ll. 39. 40
Radix gentianæ albæ l. 480
rubræ l. 480
glycyrrhizæ l. 452
graminis ll. 513
helenii ll. 53
hellebori albi l. 412
nigri l. 537
heptaphylli l. 358
imperatoriæ ll. 61
ipecacoanhæ l. 522
iridis Florentinæ ll. 42
leviſtici ll. 67
lilii albi ll. 555
liquiritiæ l. 450
malvæ hortenſis ll. 555
ſylveſtris ll. 555
mechoacannæ albæ l. 531
nigræ l. 527
mei ll. 69
nymphææ ll. 401
pareiræ bravæ ll. 419
pæoniæ ll. 399
petaſitis ll. 513. 514

Radix petroſelini ll. 430
pimpinellæ albæ l. 405
polypodii l. 450
ptarmicæ l. 408
pyrethri l. 408
raphani ruſticani l. 383. 410
rubiæ tinctorum ll. 404
ſarſaparillæ ll. 425
ſaxifragæ majoris l. 405
ſcillæ marinæ l. 381. 392
ſcorzoneræ ll. 559
ſerpentariæ rubræ l. 360
Virginianæ ll. 56
ſymphyti ll. 556
taraxici ll. 414
Radix tormentillæ l. 350. 358
trifolii fibrini l. 481
tuſſilaginis ll. 416
valerianæ ll. 58
vincetoxici ll. 417
viperinæ ll. 56
Zedoariæ ll. 26
Zingiberis ll. 30
Reſinæ l. 80. 81
Rhabarbarum monachorum l. 521
orientale l. 514
Rhaponticum Thracicum l. 514. 519
vulgare l. 521
Rob juniperi ll. 335
Rosmarinus ll. 78
Ros vitriolatus l. 87
Rubrica fabrilis ll. 601. 603

S.

Sabina ll. 108
Sacharum lactis l. 441
vulgare l. 439. 460
Sal acetoſellæ l. 203
acidum plantarum l. 203
Anglicanum l. 321
ammoniacum l. 337
nativum l. 337
factitium l. 337
ejus ſublimatio l. 338
Carolinarum l. 326
commune ſive culinare l. 315
Sal Ebshamenſe l. 321
fontanum l. 315
foſſile l. 315. 316
gemmæ l. 316
Kali l. 238
marinum l. 315
montanum l. 315
petræ 286
primigenium l. 83
ſanguinis naturale l. 208. 284
Sedlizenſe l. 329
Seidſchuzenſe l. 329
Salia acida l. 88. vid. Acida.

Salia

Salia alcalia fixa l. 88. 238 eorum proprietates l. 239. elementa ac geneſis l. 241. 244. 245. differentia l. 246. virtutes medicæ l. 248. abuſus l. 248. 249. 250. fixorum & volatilium differentia l. 252
ammoniacalia l. 89. eorum virtutes l. 273. 282. 283.
amaricantia l. 277. eorum virtutes l. 282
lixivioſa l. 88
media l. 59. 272. eorum differentia l. 272. diviſio l. 276. 277. proprietates l. 273. differens ſolubilitas l. 274. 277. diverſa cryſtallorum figurâ l. 274. 275. ſalium mediorum modus operandi & virtutes l. 277. 279
neutra l. 272
nitroſa l. 276. eorum virtutes l. 281
urinoſa ſive alcalia volatilia l. 238. 251. eorum proprietates l. 251. elementa l. 253. geneſis l. 253. 256. modus operandi l. 267. virtutes l. 268. 269. abuſus l. 270. cautelæ circa uſum l. 270. 271 in plantis nullum adeſt ſal urinoſum l. 258. ſequ.
Salium corporeorum geneſis l. 88. 89.
Salinæ Bochnienſes ac Veliſcenſes in Polonia l 316
Salvia hortenſis ll. 81
ſylveſtris ll. 84
Sandaracha Arabum ll. 262
Sanguis Draconis ll. 500
Sapo l. 81
Satureja ll. 103
Scammoneum l. 554
Sclarea ll. 84
Scordium l. 485
Sedativa l. 566
Semen ammeos ll. 329
anethi ll. 331
aniſi ſtellati ll. 304
vulgaris ll. 302
apii hortenſis ll. 320
paluſtris ll. 320
aquilegiæ ll. 547
badian ll. 304
cannabis ll. 531
cardamindi l. 417
cardui benedicti l. 490
Mariæ l. 490
carvi ll. 326
cinæ ll. 309
citrulli ll. 528
cochleariæ l. 417
coriandri ll. 306

Semen cucumeris ll. 528
cucurbitæ ll. 528
cumini ll. 328
cydoniorum ll. 561
dauci Cretici ll. 324
vulgaris ll. 324
erucæ l. 424
foeniculi vulgaris ll. 299
Romani ll. 300
foenu græci ll. 532
lactucæ ll. 530
leviſtici ll. 331
lini ll. 531
melonis ll. 528
naſturtii l. 417
nigellæ Rom. ll. 308
papaveris hortenſis l. 615
paſtinacæ ſylveſtris ll. 324
petroſelini ll. 324
plantaginis ll. 530
portulacæ ll. 530
pſyllii ll. 560
rutæ ll. 320
ſantonicum ll. 309
ſcariolæ ll. 530
ſinapi album l. 424
nigrum l. 424
tanaceti ll. 320
Zedoariæ ll. 309
Semina quatuor frigida majora ll. 528
minora ll. 530
Senna l. 540
Serpillum ll. 93
Serum lactis acidulum l. 231
dulce l. 231
Sevum bovinum ll. 546
cervinum ibid:
hircinum -
vervecinum -
Siliqua dulcis ſive edulis l. 454
Soda Hiſpanica l. 238
Solutionum terrearum diverſitas l. 99
Somnus naturalis & præternaturalis l. 586
Spaſmorum cauſſæ l. 296
Spelunca canina l. 570
Sperma ceti ll. 543
Spiritus ſalis concentratus Glauberi l. 84
ſubterraneus l. 572
terebinthinæ ll. 287. 289
vini rectificatiſſimi indoles & elementa l. 75. 572
Stibium ll. 597
Storax calamita ll. 270, 271
liquida ibid.
ſolida ibid.
Subadſtringentia ll. 394. 395
Succinum ll. 381
Succolada ll. 537
Succus acaciæ ll. 503
citri l. 221
limoniorum l. 222
ſedi vulgaris l. 264
Sul-

Sulphura mineralia l. 80
Sulphur caballinum ll. 573
commune ſive vulgare ll. 571
foſſile nativum ll. 572
lycopodii ll. 578
minerale ll. 571. 572
Sulphur ſtillatitium ll. 573
vivum ll. 572
Sulphuris mineralis elementa l. 72. ll. 573.
virtutes ll. 576
Summitates centaurii minoris l. 489. fumariæ l. 489

T.

Tabacum l. 593
Tabaci fumus & pulvis l. 597
Tabula graduum affinitatis corporum l. 93
Tamarindi l. 234
Tanacetum ll. 101
Tartarus vini l. 204. 230
Terebinthina ll. 286. lota ll. 289. cocta ll. 289
Terra caatchu ſive japonica l. 351. 365. primordialis l. 90
Terræ bolares ll. 603
Terræ ſigillatæ albæ l. 152
martiales rubræ, flavæ fuſcæ ll. 603
Terrea alcalina, abſorbentia, præcipitantia 95. 96. eorum principia l. 97. modus operandi l. 103. virtutes l. 103. 106. uſus l. 102. 105. 109. abuſus l. 102. cautelæ circa uſum l. 109
Terreo-gelatinoſa l. 110. eorum natura & principia l 110. 112. virtutes 115
Teſtæ oſtrearum l. 127
ovorum l. 127
Teucrium verum ll. 453
Thea Buu ll. 443. 448
fuſca ll. 443. 448
vera orientalis ll. 442
viridis ll. 443. 448
Theæ collectio ll. 443. præparatio ll. 446. infuſi virtutes ll. 446. orientalis ſuccedanea ll. 452
Thermæ ll. 612
Thus ll. 262
Thymus ſylveſtris ll. 93
vulgaris ll. 89
Tragacantha ll. 567
Trifolium fibrinum l. 486

U.

Vaporoſa l. 566. eorum diviſio & differentia l. 566. principia l. 567. principii narcotici & inebriantis indoles l. 568. corrigentia l. 576. modus operandi l. 578. eorum virtus exhilarans l. 578. ſudo-

rifera l. 582 aphrodiſiaca l. 582. hypnotica l. 589. anodyna 589. ſedativa l. 589. cautelæ circa uſum l. 591
Vaſa abſorbentia venoſa l. 29. 30
bibula l. 30
exhalantia arterioſa l. 30. 34. 40
nervoſa l. 32
inhalantia l. 30
Vaſorum in- & exhalantium ſubtilitas l. 31
Venæ bibulæ l. 30
lymphaticæ l. 31
Venenum viperæ l. 25
Veratrum nigrum l. 537. 538
Veronica ſpicata ll. 453
Veronica vulgaris ll. 431
Virunculus ſubterraneus l. 572
Vis vitæ l. 14
Viſcum ll. 476
Vitriolum l. 368. ejus ſpecies l. 368
Ultramarinum animale l. 354
Unguinoſo-oleoſa ll. 515. vid. oleoſo-unguinoſa
Unguentum arthanitæ l. 23
ophtalmicum ll. 547
Ungula alcis l. 176
Unicornu verum l. 183
Uniones l. 128
Vomitoria l. 492. vid. emetica.
Urina hominum l. 278
Uvæ paſſæ l. 457

Z.

Zibethum ll. 377
Zingiber flavum ll. 33
Zingiber vulgare ll 30
Zyzyphi l. 458

Francofurti ad Viadrum,
Typis, Johannis Chriſtiani Winteri,
Academ. Reg. Typogr.
MDCCL.